LUCÆ HOLSTENII
VATICANÆ BASILICÆ CANONICI
ET
BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI

CODEX REGULARUM
MONASTICARUM ET CANONICARUM

Quas
SS. Patres Monachis, Canonicis & Virginibus Sanctimonialibus
ſervandas præſcripſerunt.

Collectus olim à S. BENEDICTO Anianenſi Abbate:
Nunc autem
Auctus, amplificatus & in ſex Tomos diviſus.

TOMUS SEXTUS
REGULAS AC STATUTA
Recentiorum Ordinum & Congregationum,
quibus S.Eccleſia, Chriſti Sponſa, exornatur,

ADDITAMENTIS X.
(quorum Elenchus folio ſequenti exhibetur)
comprehenſa
exhibens;
Obſervationibus critico - hiſtoricis
POST OBITUM

P. R. P. MARIANI BROCKIE
S. T. D. Prioris ac Senioris Monaſterii S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ
Ab
Alio ejusdem Cœnobii, Nationis & Inſtituti Aſceta
illuſtratus,
&
Indice neceſſario inſtructus.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
Sumptibus IGNATII ADAMI & FRANCISCI ANTONII VEITH Bibliopolarum.

ANNO MDCCLIX.

ELENCHUS

ADDITAMENTORUM TOMI VI.

ADDIT. XLV.

ADDITAMENTUM XLV.

DE REGULA ET ORDINE MONACHORUM S. HIERONYMI IN HISPANIA.

OBSERVATIO CRITICA.

Quatuor Ordines Religiosos seu Congregationes diversas à S. Hieronymo Ecclesiæ Doctore nuncupatos (eo quod hunc S. Doctorem in Patronum & Protectorem sibi elegerint) DEO in Ecclesia militare novimus, Eremitas nempe S. Hieronymi in Hispania, Eremitas S. Hieronymi de observantia, seu de Lombardia, Congregationem B. Petri de Pisis, & Congregationem Fesulanam, præter Clericos Apostolicos S. Hieronymi Jesuatos dictos, sed jam extinctos. Quidam Auctores quatuor primos Ordines inter se confundunt, & pro uno eodémque indistincto Ordine habent non obstantibus quibusdam diversis observationibus & ritibus. Inter hujus opinionis Assertores numeratur M. Hermant Hist. des Ord. Relig. Tom. 2. pag. 352. *quem refutat Petrus Helyot, aliàs P. Hyppolitus Helyot tertii Ordinis S. Francisci Religiosus in* sua Historia des Ordes Monastiques Religieux &c. Gallice conscripta. Vol III. Pag. 423. *Ubi prolixe probat, eos nunquam fuisse unitos, neque in Regulis & observantiis, neque in habitu, neque uni paruisse Superiori Generali, sed semper distinctos mansisse. Tomo præcedenti hujus operis Additamento XXVI. Pag.* 43. *& sequentibus, actum est de Monachis S. Hieronymi in Italia à* Lupo Olmedo *Monacho Hispano in Monasterio ejusdem Ordinis B. Virginis Guadalupæ Professo, viro doctissimo æque ac pissimo, Martino V. Papæ præprimis charo ob amicitiam & familiaritatem olim in Universitate Perusina* (Barbosa *de jure Ecclesiastico Lib.* 1. *cap.* 41. *pro Perusina habet Salmanticensem) ubi ambo studuerant, contractam adeo reformatis, ut idem* Lupus de Olmedo *non immerito eorum Auctor & Institutor dici possit. Sed cum in Additamento isto, nescio, qua oscitantia omiserit bonus Vir p. m. nunc defunctus notitiam quandam tum istius Ordinis, tum Institutoris dare; ideo hanc negligentiam breviter hic supplendam duxi.*

Hic

Hic ergo Lupus de Olmedo Ordinis S. Hieronymi in Hispania *Generalis tertius existens animo propositum concepit Ordinem non nihil reformandi , strictiorémque observantiam introducendi , imo Regulam S. Augustini , quæ ipsi videbatur minus congruere statui Monastico , cum alia Regula ex operibus S. Hieronymi à se diligenti ac pio studio compilata , & Ordini magis accommodata , ut sic verius Hieronymiani Monachi audirent , commutandi. Igitur cum hac sua Regula Romam venit ad Martinum V. Papam , à quo ob antiquam consuetudinem benigne acceptus , exposuit suæ Sanctitati animi sui propositum , reducendi nempe Ordinem suum ad pristinum Monachorum statum & vitam solitariam , aut saltem instituendi Ordinem novum sub titulo S. Hieronymi ; si Religiosi Hispani reformationem nollent acceptare. Vocati interim à Papa ex Hispania Ordinis Definitores tanta humilitate suæ Sanctitati supplicarunt , ne nulla innovatio , aut Reformatio eis imponeretur Ordine utpote in suo adhuc primo fervore persistente , ut eos Papa remiserit cum libera facultate permanendi in priore sua observantia. Ne tamen Lupum de Olmedo contristaret , & ne ejus pium propositum omni careret effectu , Bullam ei concessit eodem anno* 1424. *pro erigenda nova Congregatione sub titulo* Monachorum Eremitarum S. Hieronymi in montibus Cazalla Diœcesis Hispalensis in Hispania *eum confirmans in Generalem perpetuum istius novæ Congregationis cum potestate absoluta in suos Religiosos. Concessit ei insuper alias Bullas continentes alia privilegia , & simul Communicationem Privilegiorum , quibus gaudent reliqui Eremitæ S. Hieronymi , confirmans quoque ejus novum Ordinem sub Regula primæva S. Augustini. His munitus Bullis reversus est in Hispaniam , jecitque fundamenta suæ Congregationis in Monasterio S. Hieronymi de l' Acella in montibus Cazalla ; & ut ædificium hoc Spirituale ædificatum solidioribus fundamentis eo altius assurgeret , Regulæ S. Augustini Constitutiones valde austeras & rigorosas , desumptas magnam partem ex statutis Carthusianorum ; V. G.* 1. *Ne Religiosi studiis domi operam darent , multóque minus ad Universitates eum in finem mitterentur , allegans illud Apostoli :* Scientia inflat. 2. *Ne fœminæ intrarent eorum Ecclesias & multo minus clausuram Monasterii.* 3. *Ne unquam manducarent carnes.* 4. *Ne unquam lino induerentur , nisi in ægritudine.* 5. *& ut jejunarent à festo S. Hieronymi usque ad Pascha. Mutavit insuper aliquid de habitu ; cum enim voluerit suos Religiosos nominari* Monachos ; *voluit , ut portarent etiam Monachorum habitum , nempe Cucullam ad modum Monachorum Benedictinorum , qua utuntur in choro , & dum exeunt. Absoluto primo Monasterio* S. Hieronymi de l' Acella *in iisdem montibus secuta sunt alia quinque ; adeo , ut hæ solitudines brevi versæ fuerint in Colonias Monachorum. Anno dein* 1426. *à Papa vocatus Romam accepit Monasterium S. Alexii in Aventino eousque occupatum à Canonicis Præmonstratensibus. Post hoc aliud obtinuit Castellatii unum milliare distantis Mediolano , quod incolebant Eremitæ Hispani S. Hieronymi , qui novæ Congregationi Lupi de Olmedo uniri petierunt. Tertium Genuenses ei obtulerunt ; quo acceptato Romam rediit , ubi novam ex scriptis S. Hieronymi Regulam (ut dudum proposuerat) compilavit , eámque summo Pontifici præsentavit approbandam , quam idem Pontifex , abrogata priori S. Augustini Regula , approbavit , præscripsitque* Monachis Hieronymianis Lupi de Olmedo *observandam. Posthac Lupus noster de Olmedo , ut suo officio Generalatus faceret satis , reversus est in Hispaniam ad visitandum sua ibidem Monasteria. Qua visitatione rite peracta venit Hispalim ; prope quam civitatem pro sua Congregatione aliud acquisivit insigne Monasterium ,* Abbatiam nempe del Campo , *fundatam à* Comitibus de Gusman ; *in qua hactenus erant Monachi Cistertienses , à quibus ob nimiam relaxatam observantiam Regularem ablata fuit , & nostro Fundatori donata ; Qui eam acceptavit , & suæ Congregationis Hispanicæ caput constituit (ut aliqui scribunt) eamque deinceps denominare voluit* Congregationem S. Isidori ; *ubi fat longo tempore mansit. Tandem sub Eugenio IV. Papa Martini V. successore Romam venit , & intravit suum S. Alexii Monasterium , ubi vitam maxime austeram duxit usque ad piissimum obitum , qui contigit* 13. *Aprilis , anno* 1433. *in corona circumstentium Fratrum , ætatis suæ anno* 63.

Eo mortuo anno 1595. *septem ejus Monasteria in Hispania jussu Philippi II. Regis unita fuerunt Congregationi Guadalupensi cæterorum Eremitarum S. Hieronymi in isto regno. Sicque remanserant sola* 17. *Monasteria Italiæ pro novo Ordine Lupi de Olmedo , qui etiamnum floret sub titulo* Monachorum Eremitarum S. Hieronymi de observantia , *seu* de Lombardia.

Ho-

Horum 17. *Monasteriorum præcipuum , & caput totius Ordinis est illud S. Petri de l' Ospitaletto Diæcesis Lodiensis :* 2. *S. Alexii Romæ.* 3. *S. Pauli Albanense.* 4. *S. Hieronymi de Castellacio.* 5. *SS. Cosmæ & Damiani Mediolani.* 6. *S. Carpofori prope Comum.* 7. *S. Hieronymi prope Navarram.* 8. *S. Hieronymi de Biella.* 9. *S. Mariæ de Caramagna.* 10. *S. Barbaciani Bononiæ.* 11. *S. Sabini Placentiæ.* 12. *S. Michaëlis à Brembio.* 13. *S. Sigismundi Cremonæ.* 14. *S. Mariæ Biadenæ.* 15. *S. Hieronymi prope Mantuam.* 16. *S. Martini Paviæ.* 17. *SS. Gervasii & Prothasii in Montebello. Hujus Ordinis Generalis titulum gerens Comitis de l' Ospitaletto , ut plurimum residet in hoc loco ; utitur Mantello , & Epomide Sacra sicut Prælati Romani , nec non Ornamentis Pontificalibus ex indulto Pauli V. Urbanus VIII. insuper ei facultatem concessit conferendi Ordines minores Religiosis suis.*

Hæc Congregatio (ut supra vidimus) ab initio sequebatur Regulam S. Augustini , sed postea assumpsit illam , quam ex scriptis S. Hieronymi excerpserat ejus fundator Lupus de Olmedo , post cujus mortem eam abrogavit resumta postliminio primæva sua Regula S. Augustini , quam hucusque profitentur, Ut videre est in hujus Congregationis Rituali Ordinario , reformato anno 1614. *in ipsorum Capitulo Generali. Ubi in Capitulo secundo habentur hæc verba :* Die 28. Februarii Translationis S. Augustini Episcopi ac Ecclesiæ Doctoris Duplex , sub cujus Regula nos quoque militamus. *Item in Formula Communi Professionis faciunt expressam mentionem* Regulæ S. Augustini. *In hoc Ordine præter Fratres Conversos sunt etiam Fratres Commissi , seu Oblati . sed nullæ Sanctimoniales ; quia expresse in statutis prohibentur suscipi. Regula Lupi de Olmedo prohibebat Religiosorum studia , ut supra vidimus ; sed in tertia , quæ post ejus mortem condita sunt , decreverunt studia reassumi. Habitus eorum talis est : Monachi portant togam albam , quam circumdat cingulum Coriaceum , scapulare coloris Camusini , cui assutum est parvum Caputium , quo non cooperiunt caput , quia pro Capite utuntur Bireto quadrato , quoties sola toga & Scapulari sunt induti. Sed in choro (sexta , nona , & completorio exceptis) super togam induunt Cucullam Coloris camusini : quam cucullam etiam portant euntes per civitatem ; non incedunt Nudipedes , nec portant Callopedia , aut calceos ligneos (quod male affirmavit Hermannus in sua historia Religiosorum) neque talibus unquam usi sunt. Fratres Conversi habent etiam togam albam cum Scapulari camusino , & loco cucullæ pallium ; Fratres autem Commissi tunicam & pallium coloris pariter camusini ; & Fratres Donati seu oblati , qui manent in Monasterio habent tunicam parvam usque ad genua ejusdem coloris camusini , sed si extra Monasterium sunt constituti , vestiuntur ut sæculares.*

Regula , quam Lupus de Olmedo ex scriptis S. Hieronymi compilavit , una cum approbatione ejusdem à Martino Papa V. habetur ad verbum in præcedenti Tomo additamento 26. *quorsum lectorem benevolum remittimus. Et hæc de hoc Ordine , in Additamento mox citato omissa , hoc loco in Lectoris gratiam annotasse sufficiat. Prosequamur jam Hispanos Eremitas S. Hieronymi.*

Hos sub protectione & patrocinio ejusdem S. Doctoris , approbante Gregorius XI. Petrus Fernandez nobilis Castellanus & Regis Petri cognomento crudelis intimus , & major Cubicularius anno Domini 1370. *tempore Urbani V. Papæ instituit. Licet alii alios (sine probabili tamen fundamento) hujus Ordinis faciant Auctores , ut refert Barbosa Lib.* 1. *de jure Eccles. cap.* 41. *num.* 144. *Prædictus ergo Religiosus Vir cum cæteris suis Sociis in unum collectis vitam Eremiticam satis asperam ducens ad Vulpianæ locum Toletanæ Diæcesis venit , in quo sacellum in honorem S. Bartholomæi Apostoli erectum invenerunt , quod ante* 40. *annos extruxerat Dominus Didacus Martinez ejus Avunculus , qui fuit etiam Cubicularius Alphonsi XI. Regis. Eum in hanc solitudinem ipsius Frater Alphonsus resignato Episcopatu Jaënensi secutus est. Cum itaque Ecclesia hæc sita fuerit in loco solitario , ubi circumcirca plura Eremitoria ædificare possent , consequenter locus aptissimus eorum desiderio ibi manendi , vitamque solitariam colendi ; cumque ejusdem Ecclesiæ Fundator fuerit eorum avunculus (ut mox dictum) facilè à Consule & Magistratu Lupiano (cui ejusdem Ecclesiæ jus patronatus competebat) sicut & ab Archiepiscopo Toletano Domino* Gomez Menrique *obtinuerunt , qui non solum ipsam Ecclesiam prædictam , sed insuper Capellanias , unà cum redditibus ad easdem spectantibus , illis donavit.*

Anno 1370. *inita sic possessione circa eandem Ecclesiam S. Bartholomæi varias cellulas ædificarunt, in quibus separatim degebant, imitantes vitam solitariam S. Hieronymi in specu sua Bethlehemitica Palæstina; Quem proin sibi imitandum proposuerant, & in Patronum, Protectorem ac Patrem unanimi consensu elegerant. Sed quidam maligni homines perversa intentione ducti, invidentes S. Eremitis æstimationem, & laudes piorum Fidelium, falsis criminationibus ipsis detrahebant, impingentes eis errores & hæresim Beguardorum, eorum vivendi modum à Sacra Sede non esse approbatum, aliáque sexcenta his similia ore livido adversus eos evomebant.*

Quibus criminationibus ut tempestive obviarent, cæterorum Nomine Ipse piissimus Fundator Petrus Romam profectus est pro summi Pontificis contra obtrectatores protectione, & simul Ordinis confirmatione obtinenda. Consilio quoque inito, simulque ab omnibus approbato mutandi vitam Eremiticam, quam hucusque in separatis Cellis profitebantur, in Cœnobiticam tanquam securiorem, & tentationibus, & periculis minus obnoxiam (ut ex Regula S. Patris Benedicti didicerant, sub qua à sua prima institutione cœnobitica Teste Tamburino militarunt) postea vero à Gregorio Papa XI. Ordinis sui approbationem sub Regula S. Augustini obtinuerunt, ut refert Sylvester Marulus in Ocean. Religionum Lib. 3. *pag.* 202.

Caput hujus Congregationis est prædictum S. Bartholomæi Monasterium; cujus Prior semper totius Ordinis Generalis est. Mortuo Petro de Fernandez Ordo insigniter auctus est ædificatione plurium hunc inde Monasteriorum; adeo ut anno 1415. *cùm primum Capitulum Generale celebrarent, numeraverint* 25. *Monasteria in Hispania, & Lusitania, quæ omnia ad id usque temporis suberant Episcoporum suarum Diœcesium Jurisdictioni; & cum observantia Regularis in variis jam Monasteriis diversimode observaretur, ideo ad uniformem observantiam in cunctis suis Monasteriis stabiliendam, statuerunt se sub uno Capite unire, celebrareque capitula Generalia; ubi conderentur statuta & Regulæ pro custodia Regularis Disciplinæ adinstar aliarum Congregationum Regularium. Tunc temporis dirum schisma Ecclesiam Christi dividebat, contendentibus simul de papatu tribus, Benedicto nempe XIII. Gregorio XII. & Joanne XXIII. & cum Regna Aragoniæ & Castiliæ Benedicto XIII. adhærerent; Monachi S. Hieronymi eum accedunt ad obtinendam optatam unionem, & licentiam eligendi Generalem; à quo proin Antipapa obtinuerunt Bullam* 18. *Octobris anno* 1414. *datam apud S. Mathæum in Diœcesi* Tortola, *in qua præcepit, ut omnes Priores & Procuratores convenirent in loco convenienti ad celebrandum Capitulum Generale; & quidem prima vice in Monasterio B. V. Guadalupensi, cujus Priori potestatem dedit mittendi literas Circulares ad reliquos omnes Priores, quibus indicaretur dies capitulum Generale celebrandi; cui Capitulo duo Religiosi Carthusiani deberent præsidere pro ista prima vice tantum. In qua Bulla eximit omnes Religiosos hujus Ordinis à Jurisdictione Episcoporum Vi itaque dictæ Bullæ celebrarunt suum primum Capitulum Generale Guadalupæ* 26. *Julii anno* 1415. *in quo erant omnes Priores & Procuratores* 25. *Monasteriorum. Qui in Generalem elegerunt* P. Petrum Didacum de Alcaron *Priorem S. Bartholomæi de Lupiano. A quo tempore (ut supra memoravimus) Priores istius Monasterii semper fuerunt Generales, ibi semper resident, & si quandoque inde egrediuntur, non licet ultra quinque milliaria recedere. Secundum Capitulum Generale celebratum fuit anno* 1416. *Tertium anno* 1418. *& sic consequenter singulis Trienniis Capitulum Generale celebrarunt.*

Deposito auctoritate Concilii Constantiensis secunda vice Benedicto XIII. electoque Martino V. qui ab omnibus Christianis agnitus fuit pro legitimo Pontifice ab eodem Martino obtinuerunt approbationem omnium eorum, quæ constituerat Benedictus XIII. quam approbationem approbavit post aliquot annos Innocentius VIII.

Anno 1447. *Nicolaus V. Papa propositum animo volebat omnes diversos Religiosos Ordines, qui S. Hieronymi nomen gerebant, in unum redigendi. Ea propter* Religiosos S. Hieronymi de Hispania *celebrare capitulum Generale prohibuit, eis præcipiens Romam venire, ad illud ibidem celebrandum die Pentecostes anno* 1448. *Verum omnia hujus Ordinis Monasteria in Hispania duodecim solummodo Religiosos Romam destinârunt, qui Reliquorum omnium causam agerent, iis solummodo subscribendo decretis, quæ in commodum suorum*

rum Monasteriorum esse judicarent, præcipue unioni impediendæ intenti. Nec frustra; tanta enim humilitate, tanta eloquentia suada, & rationum pondere, quæ habebant in mandatis, effecerunt, ut cuncta in pristino statu Papa immutata permiserit.

Regnante Emmanuele, Rege Portugaliæ Religiosi Hieronymiani istius Regni sejuncti sunt ab Hispanis, & constituerunt Congregationem distinctam sub Provinciali proprio. Philippus II. vero utriusque Regni Rex obtinuit anno 1595. *à Papa Clemente VIII. utriusque nationis Religiosorum reunionem, ut omnes uni parerent Generali. In utroque hoc regno ditissimi sunt, ut ex Monasteriorum sequentium brevi, quam hic damus, notitia patet.*

Post Monasterium S. Bartholomæi de Lupiana, *quod est caput Ordinis, præcipuum, maximéque ob devotionem frequentatum, est* Guadalupense *B. Virginis, nulli certe quoad divitias secundum. Ejus ædificia tantum occupant spatium, ut anno* 1560. *Philippus II. ad bellum Granatense proficiscens cum Archiducibus Rudolpho, postea Imperatore, & Ernesto viginti diebus cum omni suo comitatu sine ullo Conventûs, centum viginti Monachorum, incommodo commorati fuerint. Idem Rex inde discedens altare B. Virginis donavit lampade aurea. Hujus Monasterii sacristia vix ulli totius Europæ pretiosa supellectile cedit. Eleemosynæ, quæ huic Monasterio conferuntur, sunt plane immensæ, dum ex iis tantus Religiosorum numerus abundanter satis sustentatur, præter seminarium quadraginta Juvenum Clericorum, qui & humanioribus litteris, & exercitiis vitæ Clericalis imbuuntur, duo insuper Xenodochia (alterum pro viris, pro fœminis alterum) ipsi Monasterio contigua cum ingenti numero famulorum, & in diversis artibus operariorum. Xenodochio Virorum inserviunt amplius quadraginta famuli totidemque oblati Xenodochii fœminarum servitio occupantur. Ut de ingenti peregrinantium numero, qui quotidie ad duo circiter millia adveniunt, nihil dicamus quibus à Conventu trium hospitium liberali Charitate conceditur; adeo ut quotidie minimùm septingentis hominibus victus prabeatur. Nec minus notari merentur Eleemosynæ, quæ singulis diebus pauperibus ad portam conferuntur, quotannis scilicet ducenti verveces præter panem, qui quotidie distribuitur, & calceorum maximum numerum, adeo quidem, ut uno die, octavo nempe Septembris B. Virginis Nativitati sacro plerumque ad octingenta paria distribui dicantur. Ibi quoque publice docetur Medicina, & Chirurgia. Hoc Monasterium magno non nunquam auxilio fuit Regi Hispaniæ, cui ingentem sæpe pecuniæ vim pro Reipublicæ necessitatibus sublevandis gratuito subministravit.*

Guadalupensi Monasterio proxime succedit minus quidem quoad redditus, quoad ædificia vero majus magnificentissimum illud, Escuriacum (*vulgo Escurial dictum*) *cum æque magnifico templo; quod Philippus secundus in vico ejusdem Nominis, in Castella nova 7. Leucis Madrito distante, ob insignem victoriam ad fanum S. Quintini de Gallis aperto Marte ipso festo S. Laurentii reportatam ædificavit, opera usus Ludovici de Fuxio Parisiensis Architecti eruditissimi, immensis sumptibus, quinque millionibus ducentis septuaginta aureorum millibus præter millionem pro Ornamentis Ecclesiæ, in qua recentiorum Hispaniæ Regum Mausolæum splendidissimum Philippus IV. erexit in Sacello* Pantheon *dicto; quia extructum est ad normam Pantheon Romani alias* Maria Rotunda, *appellati: omnia tanto artificio elaborata, ut ab Hispanis pro octavo Orbis miraculo habeatur (quod sugillat* Michaël Antonius Baudrand *in suo Lexico Geographico his verbis:* Quodsi Reges Galliæ toties splendidissima ædificia excitassent, quoties Hispanos & alios prælio superarunt, & insigni clade affecerunt; quot miracula orbis essent in Gallia!) *Tota interior facies est ex marmore nigro, exceptis quibusdam ornamentis tum ex jaspide tum ex marmore rubro & ære Corynthiaco: Ecclesia structura pulcherrima est figuris undique ex ære Corynthiaco adornata, maximi laboris opus: Altare (præcipuum Sacri hujus ædificii ornamentum) decies centenis aureorum millibus æstimatur, ad quod sedecim à pavimento gradibus ascenditur, qui omnes ex marmore Porphyretico excisi sunt: Ipsum altare quatuor Ordinibus Columnarum ex Jaspide ornatur. In Tabernaculo, quod amplius vigesies centenis millibus æstimatur ex omni parte conspicitur aurum per lapillos pretiosos adeo perlucidos, ut eorum reflexis radiis videri possit sanctissimum Altaris Sacramentum in vase ex Achate pretioso reservatum. Partem ejus superiorem seu tectum exornat smaragdus*

ovum magnitudine adæquans pretii inæstimabilis ; intus tantæ altitudinis est , ut hominem stantem commode capere possit ; latitudine vero duas Orgias æquat. Excisum est totum ex lapide , Porphyrete , pretiosiore , pretii quingentorum millium coronatorum. Sacrarium inter ditissima Europæ numeratur : In eo cernere est infinitum ornamentorum numerum auro pretiose pictorum acu Phrigionica, margaritisque interstinctorum dono, & liberali munificentia, magna ex parte Philippi IV. Regis ; præter calices pretiosissimos, aliaque vasa sacra & candelabra tum alterum aurea, tum argentea. Sacrario proxima est Camera, ubi asservantur duo vasa , ex uno solo Saphiro exsculptum , margaritis , alitsque lapillis pretiosis exornatum , quos inter medius rutilat Carbunculus raræ admodum magnitudinis ; alterum ex ære fusum , & ipsum lapillis pretiosis decoratum , opus ut ajunt , à Maximiliano II. Imperatore propria manu factum. His duobus vasis utuntur ad portandum Sanctissimum Altaris Sacramentum. Verbo : cuncta , quæ Splendori & Servitiis Ecclesiæ deputantur , immensis pecuniæ summis steterunt , & Organi quidem Musici sola Architectura viginti septem millibus aureorum. In Choro ducenti sedecim Libri sunt , quibus Religiosi ibi utuntur , quique quadraginta quinque millibus Coronatorum steterunt , & repositorium eorundem Librorum septem millibus. Hoc Monasterium , computato Regis Palatio & Scholis , constat septemdecim Claustris , viginti duabus curiis , undecies mille fenestris , octingentis columnis , & Religiosis ultra viginti , quorum annui redditus quadraginta millia Coronatorum superant. Continuo diu , noctuque coram sanctissimo Sacramento orant duo Religiosi, sustentant seminarium centum octoginta Juvenum studentium Clericorum , quos humaniora , & Philosophiam docent , qui omnes insuper pelliceis induti una cum Religiosis frequentant Chorum. Visitur hic Bibliotheca numerosissima ultra cent[illegible]m millia voluminum continens , tum Manuscriptorum , tum impressorum ; cujus pars incendio consumpta est anno 1671.

Monasterium S. Hieronymi *communiter appellatum* S. Justi *vel ex eo memorari meretur , quod Carolus V. Imperator abdicato imperio illuc secesserit. Hujus Monasterii insignes redditus facile colligi possunt ex Eleemosinis , quæ ibi pauperibus vicinis largiter distribui solent. Nam singulis annis distribuuntur ad portam sexcentæ mensuræ frumenti ; qualibet Mensura constante sex modiis parisiensibus , vel potius juxta alios uno modio cum Dimidio. Annis sterilibus dant mille mensuras , imo tempore maximæ Caritatis mille quingentas visi sunt distribuisse : Die Nativitatis Domini donant quinquaginta mensuras Pauperibus , quos mendicare pudet ; Dominica vero Paschatis quatuor verveces. Prior potest dare , quibuscunque vult (dummodo sint personæ indigentes) triginta mensuras frumenti , sex Mensuras Olei , & duodecim aureos monetæ ; & siquis ex morbo decumbit , quotidie subministratur ei , quidquid opus habet.*

Monasterium Madritense *singulis mensibus Pauperibus distribuit duodecim millia* Maravedis , (*est autem* Maravedis *moneta Hispanica duos Galliæ denarios tantillum superans*) & *quotidie magnam quantitatem panis præter reliquias non modicas mensæ Religiosorum. Priori viginti aurei traduntur distribuendi Pauperibus , quibus ipsi libuerit , præter alia similia insignia privilegia , & jura , quibus hic Prior gaudet. Ab eo & Conventu simul dependet Nosocomium S. Catharinæ* de los Donados. *Sex pauperibus Parochiæ S. Andreæ duodecim frumenti mensuras & quatuor millia* Maravedis *distribui jubet. Ei insuper una cum Gubernatore politiæ competit jus nominandi quasdam Puellas pauperes dotandas juxta intentionem fundatorum quorundam , qui ei hoc jus nominandi dederunt.*

Prior Monasterii Hispalensis *gaudet pariter variis juribus ; ipse enim unà cum Priore Carthusiensi est Dominus Xenodochii Domini* Joannis Cervantes *Cardinalis , nec non alterius Xenodochii fundati per Marchionissam* de Tarifa , & *Ducissam* de Alcala : *Est insuper protector universitatis ibidem. Singulis quatrienniis Nobili Puellæ mille trecentos aureos in dotem , ut fieri possit sanctimonialis apud S. Clementem, vel S. Paulum , tribuit. Singulis annis alias insignes dotes quadringentorum Regalium singulis quibusdam destinatis , & quinquaginta millia* Maravedis *pauperibus , captivis & carceribus detentis, duodecim vero millia Orphanis in necessitate constitutis distribuit ; & in Cœna Domini novendecim Pauperibus pedes lavat , eos vestibus donat, & prandio illa die liberaliter excipit. Conventus præter Eleemosinas continuas novendecim pauperibus in refectorio ad hoc destinato prandium liberaliter tribuit ; insuper Priori concedit singulis annis quinquaginta mensuras frumenti , duodecim olei (cujus singulæ men-*

menfuræ viginti quinque librarum funt ponderis) & duodecim millia Maravedis , *omnia diftribunda pauperibus , quibuscunque voluerit , & ficut æquum judicârit. Reliqua bujus Ordinis Monafteria per Hifpaniam fecundum cujusque proventus in Eleemofynis diftribuendis infignem merentur laudem.*

Portugaliæ quoque Monafteria non minus celebria cenfentur , quorum Caput eft Belem (*fic corrupte pro* Bethlehem) *ubi communiter fepeliuntur Reges Lufitaniæ. Anno* 1497. *fundatum eft à Rege Emmanuele. Ecclefia ædificata eft in forma crucis valde longa & lata : per plurimas feneftras recipit lumen folis contra morem aliorum templorum Portugaliæ ; quæ paucas admodum feneftras habent , ut fic minus exponantur nimio calori. Hæc Ecclefia recipit offertorium valde fingulare ; Nam fingulis , quibus fol non videtur Ulyffipone , diebus urbs Tomarium tenetur vervecem mittere Reginæ , quæ ex devotione offert Illum Ecclefiæ Belenenfi. Altare fummum locatum eft in extremitate depreffiori Ecclefiæ in prægrandi facello , quod Chori loco habetur. Ex utraque parte altaris in muro funt excavati quidam fornices , quorum pars fuperior in arcum tornatur ; & in fingulis iftis fornicibus muro adhærent lapides fepulchrales ex marmore candido & nigro , qui fuftentantur per Elephantos itidem ex marmore nigro , quos feparant parvæ columnæ : In qualibet extremitate crucis , quæ templum format , habetur repræfentatio Maufolæi artis fcriniariæ cooperta cælo penfili feu umbella albi & nigri coloris , quæ nunquam mutatur ; nifi quando Regum , aut quorundam ex Regia familia funus terræ mandatur. Turris Clauftri conftat duplici porticu altera fuper alteram : circa quas funt Canales aquæ , in quibus nutriuntur plurimæ pifces. Religiofi Hieronymiani tam in Hifpania , quam in Portugalia tanti femper habiti fuerunt , ut adhibiti fuerint ad reformandos alios Ordines cum Religiofos , tum militares. Hi Religiofi Hieronymiani prius veftiebantur habitu albo cum fcapulari & Cappa Camufini coloris ; nunc autem fuper togam albam utuntur fcapulari nigro & fatis quidem angufto cum caputio ; ex parte anteriore rotundo , ex pofteriore vero acuminato. Exeuntes fuperinduunt cucullam nigram ufque ad terram defluentem , plicisque plenam ; Cingulum vero habent coriaceum. In hoc Ordine funt Donati , & Donatæ , quorum habitus eft toga alba cum pallio Camufino fine Scapulari. Obfervantia eorum talis eft : media nocte furgunt ad vigilias nocturnas , & quotidie horam impendunt Orationi , id eft , mediam horam ante vefperas , & mediam poft Completorium : præter jejunia Ecclefiæ Univerfalis jejunant per totum adventum , feriis fecundis & tertiis poft quinquagefimam , omnibus feriis fextis totius anni , etiamfi in iis feftum Nativitatis , occurrat : Tribus diebus Rogationum præterquam quod feriis fecundis poffint vefci ovis , lacte , & cafeo , à quibus Feriis tertiis abftinere tenentur. Jejunant infuper à Vigiliis Nativitatis , & Purificationis B. Virginis , nec non in Vigilia S. Hieronymi : In Parafceve folo pane , & aqua contenti funt. Feriis quartis etiam extra Monafterium nunquam vefcuntur carnibus. Singulis trienniis Dominica tertia poft Pafcha celebrant Capitulum fuum Generale , ad quod conveniunt omnes priores cum uno à fingulis Monafteriis deputato Religiofo , & tam Generales , quam finguli Superiores petunt abfolvi à fuis officiis.*

Cum Sanctimoniales bujus Ordinis fint fubjectæ Monafteriis virorum , quibus fuam debent originem , contineanturque intra fines hujus Regni , pauca hic de iisdem differere oportet. Harum Religiofarum Virginum Fundatrix fuit fancta quædam Virgo Nomine Maria Garcias *Filia* Domini Didaci Garcias de Toledo & Mariæ Conftantiæ *itidem* de Toledo. *Hæc necdum infantiam egreffa tantum erga Deum amorem monftravit , ut ejus Parentes unanimi confenfu , voto edito eam Divino confecrarent fervitio. Quod Parentum votum ipfa , quam primum rationis ufum obtinuit , non folum approbavit , & renovavit , fed infuper ftatuit virginitatem fuam illibatam fervare , nullumque alium admittere Sponfum , nifi JEfum Chriftum. Ut fecure eluderet tum Dæmonis tentationes, tum mundi & carnis oblectamenta, aliaque bujusmodi periculofa objecta, in quibus tot aliæ Puellæ mundanæ innocentiæ fuæ naufragium patiuntur , fecefiit in Monafterium S. Pauli* de las Duennas, *cujus Priorifa erat ejus foror , ubi plures Virgines Sacræ eminenti Sanctitate florebant.*

Pri-

Priorissa quidem ejus soror existimavit, eam ideo ad Monasterium venisse, ut Monialium augeret numerum; sed DEUS, qui eam ad altiora reservavit, noluit eam accipere habitum in hoc Monasterio; ibi enim solummodo didicit omnes observantias disciplinæ regularis, quas postmodum plures alias Virgines docuit, quasque interim ipsa exactissime ad omnium ædificationem in hoc sacro Parthenone exercuit, adeo, ut ejus fama non tantum per totam civitatem Toletanam dilatata sit, sed etiam ad Monasterium S. Claræ de Fordesillas pertigerit; cujus Monasterii Sanctimoniales ad eam litteras dederunt invitatorias tum ad sacrum habitum assumendum, tum ad Monasterii sui regimen tanquam Superiorissam in se suscipiendum: quod ultimum (ut pronum est credere) Eam absterruit, ne uni alterive propositioni assentiretur. Interim quibusdam annis in Monasterio S. Pauli transactis reversa est Toletum in domum Parentum, ubi se una cum devota Vidua, quæ se pietatis ergo Ei adjunxit, humilitatis & Charitatis proximi operibus addixit, donec tandem insidias Regis Petri non crudelitate magis, quam libidinibus infamis declinans DEO dirigente perducta fuerit in eremum de la Sysla, ubi cum socia sua commorata est usque ad mortem Petri Regis imitans austeram vitam antiquorum Ægypti Eremitarum. Hæ duæ sanctæ animæ edoctæ, in sua absentia Toleti suscitatam esse novam Congregationem piarum Virginum, quæ sibi non vanam sanctitatis existimationem acquisieraat sub directione cujusdam sanctæ Superiorissæ, statuerunt hanc novam Communitatem ingredi, in quam statim admissæ aliquo tempore in exercitiis perfectæ humilitatis, & obedientiæ vixerunt; sed cum Venerabilis Superiorissa unicum hujus nascentis Congregationis fulcrum, eodemque fere tempore parentes nostræ Mariæ Garcias ex hac misera ad meliorem transissent vitam: Hæc sancta Virgo, locuplete sibi relicta à Parentibus hæreditate amplam acquisivit domum Toleti, in quam una cum socia sua Majore Gomez intravit ad mortem usque ibidem mansura: Cui se junxerunt plures aliæ Virgines prædictæ Communitatis, morte suæ Superiorissæ jam dissipatæ, quas brevi nobilis alia Matrona Toletana cum aliis septem vel octo sui sexûs piis animabus secuta est, sicque hæc nova Communitas sat venerabilis evasit jugi disciplinæ Regularis quoad omnes suas partes observantia. Igitur ut, sicut moribus, ita & externo habitu omnino distinguerentur à sæcularibus, assumpserunt habitum Religionis Hieronymianæ, togam scilicet albam cum scapulari Canujmo, dein communi consensu omnes in Superiorem elegerunt Mariam Garciam, quæ non nisi ægerrime tandem consensit. Et hoc fuit initium celeberrimi Monasterii S. Pauli Toleti, quod est Caput Sanctimonialium Ordinis S. Hieronymi, ubi & primum exortæ sunt. Sub id temporis Petrus Fernandez Pecha Fundator Ordinis Eremitarum S. Hieronymi (de quibus præcipue hic nobis sermo) venit secundo Monasterio sui Ordinis fundamenta jacturus apud B. Virginem de Sysla, ubi nostra Maria Garcias cum sua socia Majore Gomez (ut paulo ante vidimus) aliquo tempore demorata est; quæ se suámque Congregationem eidem Beato Petro tanquam Superiori submisit, à cujus ore & consiliis totæ pendebant, ab illo tempore Religiosos S. Hieronymi B. Virginis de Sysla in omnibus exactissime imitari satagentes. Adhuc tamen non erant reipsa Religiosæ, cum necdum emisissent vota solemnia, quod longo post tempore primum fecerant; quapropter non alio nomine appellabatur istud Monasterium, quam Monasterium S. Pauli Beatarum Mariæ Garcias (Hispanice: S. Pablo de las Beatas de Maria Garcias) voce Beatas nihil aliud significante, quam Virginem aut fœminam devotam sub habitu Religioso. Augebatur in dies hæc Religiosa Communitas, pluribus eam intrantibus, quas Mariæ Garcias Sanctitas permoverat; ipsa enim erat prima in omnibus occasionibus virtutis alicujus exercendæ, præcipue humilitatis. Ex mandato Prioris B. Virginis de Sysla recitabant quotidie officium majus: Media nocte surgentes matutinos persolvebant, post quos Maria Garcias non revertebatur ad cellam, sed residuum noctis impendebat orationi; quam consuetudinem etiam in magnis infirmitatibus non intermittebat. Etsi prope finem vitæ infirmitatibus ex austera, & mortificata vita contractis cogebatur modicam quietem capere, non alio utebatur lecto, quam nuda humo. Non obstante vita tam rigida ad ætatem satis grandævam pervenit. Morti, quam prædixit, proxima excellentem ad Sorores habuit sermonem de perseverantia in Religiosa disciplina. Pluribus prædixit, quid ipsis postea esset eventurum: & sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis munita animam DEO reddidit decimo Februarii anno 1426. moritura expresse mandavit, corpus suum sepeliri in Monasterio B. Virginis de Sysla, quia

ipsa

ipsa pro suo instituto nondum templum habuit : ejus cognati volebant eam terræ mandari in Ecclesia Cathedrali Toleti ; verum Religiosæ ejus Filiæ cupientes ejus ultimam voluntatem exequi , corpus ejus dederunt Patribus Hieronymianis B. Virginis de Sysla , qui illud summa cum reverentia , magnaque pompa in sua Ecclesia prope summum altare inhumarunt , erecto super ejus tumulum monumento marmoreo , in quo ipsa insculpta erat opere Anaglypho cum habitu Religioso.

Primum incorporatæ fuerunt hæ Religiosæ fæminæ Ordini S. Hieronymi sub Generalatu P. Michaëlis de Ocanna *anno* 1510. *quo emissis votis solemnibus petierunt mutari nomen* Beates *in nomen Sanctimonialium Religiosarum promittentes strictam clausuram servare. Ab illo tempore variis in locis propagatæ sunt sanctimoniales Ordinis S. Hieronymi , ædificatis hinc inde insignibus Monasteriis , in quibus per Religiosam observantiam & vitæ Sanctimoniam magnam sibi ubique existimationem acquisiverunt , in omnibus presso pede imitantes fervorem & observantiam Monasteriorum Virorum S. Hieronymi , adeo , ut ad eorum imitationem scapulare , & Cucullam Canusini coloris in nigrum colorem mutaverint.*

Et hæc pro notitia tum Institutoris , tum ipsius instituti celeberrimi in Hispania , & Portugalia Ordinis Monachorum S. P. Hieronymi ; quem (ut supra vidimus) instituit Petrus Fernandez *cognomento* Pecha *anno* 1370. *sub Pontificatu Urbani V. cujusque approbationem , & confirmationem sub Regula S. Augustini à Gregorio Papa XI. Avenione residente obtinuerunt per Bullam die* 18. *Octobris datam anno* 1373. *Qui eis præter Regulam S. Augustini insuper præscripsit Constitutiones , quæ observabantur in Monasterio S. Mariæ de sepulchro ejusdem Ordinis S. Augustini extra muros Florentiæ. Has Constitutiones observarunt , usque dum obtenta ab Antipapa Benedicto XIII. Bulla unionis suorum Monasteriorum in Congregationem formatam cum licentia celebrandi Capitulum Generale & eligendi totius Ordinis Generalem Superiorem ; quod factum est anno* 1415. *In quo primo , aliisque singulis triennii celebratis Capitulis Generalibus varia alia pro re nata , & ut Circumstantiæ variæ requirebant , suo Ordini & Instituto accommoda statuebant statuta particularia : juxta quæ satis laudabiliter vixerunt usque ad Pontificatum Clementis XII. cùm multis deliberationibus & acribus disputationibus habitis sequentes.*

CONSTITUTIONES ET EXTRAVAGANTES ORDINIS MONACHORUM

S. P. HIERONYMI MAXIMI ECCLESIÆ DOCTORIS.

Ab Emo, & Rmo Dno VINCENTIO Tit. S. Honuphrii Presbytero Card. PETRA S. R. E. Pœnitentiario Majori,

Ex Auctoritate Sac. Congregationis EE. & RR. S. R. E. Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium præpositæ,

Nunc denuo compilatæ,

Atque à SS. D. Nostro CLEMENTE PP. XII.

Confirmatæ anno 1729.

Annòque sequente 1730. Romæ Typis impressæ.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ECclesiæ Catholicæ, regimini, meritis licèt imparibus per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam præsidentes, ea, quæ pro fœlici, prosperoque Monasticorum Ordinum in Ecclesia Dei piè sanctèque institutorum, ac bonorum operum fructus assiduè proferre satagentium, statu, ac gubernio providè, prudenterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, & sub illorum directione Christi fideles divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati, vota sua Altissimo in sanctitate, & justitia reddere, populumque Christianum bono vitæ suæ exemplo fructuosiùs ædificare, & spiritualium aromatum odore perfundere valeant, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id à nobis petitur, libenter constabilimus. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Reinoso Monachus expressè Professus Ordinis Sancti Hieronymi in Hispania, Sacræ Theologiæ Magister, ac B. Mariæ de Guadalupe, S. Laurentii de Escorial, nonnullorumque aliorum dicti Ordinis Monasteriorum in Romana Curia Procurator, quod diversæ Constitutiones, ac Leges, quas Extravagantes appellant, cum earum Prologo, pro salubri ejusdem Ordinis, illiusque Monasteriorum, ac Monachorum regimine, gubernio, & progressu, de mandato Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum per dilectum Filium Nostrum Vincentium Tituli Sancti Honuphrii ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem Petra nuncupatum compilatæ, ac in unum volumen redactæ fuerunt, tenoris, qui sequitur: videlicet;

INCI-

Incipiunt Constitutiones Monachorum Ordinis Sancti P. Hieronymi Ecclesiæ Doctoris.

PROLOGUS.

AD laudem, & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui est unus in essentia, trinus in Personis, Alpha, & Omega, Principium, & Finis omnium; & ad salutem universorum, & singulorum modernorum, futurorumque Ordinis Sancti P. Hieronymi Monachorum, ac bonum Statum; & firmam dicti Ordinis conservationem: infrascriptæ sunt Constitutiones, & Leges Extravagantes, quæ ab universis; & singulis præfati Ordinis Monachis perpetuò, inviolabiliter, & religiosè observari debent; Ordinationibus, & Usibus quibuscumque quorumlibet Monasteriorum in contrarium penitus abrogatis. Ex hujusmodi tamen Constitutionibus, & Legibus Extravagantibus, aut ex quibuscumque aliis, quæ imposterum fuerint legitimè ordinatæ, & promulgatæ, etiamsi Monachi universim Ordinis, vel eorum aliqui ignorantia, negligentia, vel ex certa scientia, seu quavis alia causa ipsis non obtemperaverint, vel contravenerint in totum, vel in parte: nullum peccatum mortale, seu veniale, vel culpam aliquam animam pertingentem incurrant; sed tantummodo pœnæ corporali subjiciantur: si quæ propter præmissam inobservantiam, vel contraventionem fuerit cuiquam imposita, nisi expressè in aliqua, vel aliquibus Constitutionibus, & Legibus Extravagantibus aliter caveatur.

II. Antequam verò singulæ exponantur Constitutiones, & Leges Extravagantes: plurimùm ad Posterorum eruditionem confert breviter explicasse Constitutionum ipsarum, & Legum Extravagantium nomen, & originem; deinde Compilationum seriem; atque tandem hujusce modernæ, sive postremæ compilationis causam, maturitatem, & auctoritatem.

III. Quæ constitutiones dicuntur, sunt antiquæ Leges fundamentales, cum quibus Ordo Sancti P. Hieronymi à Gregorio XI. fan. mem. institutus, Deo bene juvante, adolevit, & prima rudimenta habuit. Quantæ igitur sint auctoritatis, & venerationis, ipsa antiquitatis reverenda Dignitas, quæ immota, & firma in tot Sæculorum revolutionibus stetit; Primorum Patrum sapientia, & prudentia, quæ in ipsis constitutionibus, & in singulis earum apicibus elucet, ac tutissimum Ordinis experimentum suadet, & comprobat. Hujusmodi primitivæ Constitutiones ordinari, & disponi cœperunt anno à Nativitate Salvatoris nostri MCCCCXV., quæ deinde in Capitulis Generalibus Ordinis celebratis in Monasterio S. Bartolomæi de Lupiana jugibus laboribus, & vigiliis discussæ, & examinatæ, tandem anno decurrente MCCCCXXXIV. in uno Codice promulgatæ fuerunt, qui Liber Constitutionum Monachorum Ordinis Sanctissimi P. Hieronymi nuncupabatur.

IV. Quoniam verò humanarum rerum singulares vicissitudines, & casus innumeri, nec prævideri, neque provideri universim possunt ab hominibus, quantavis sapientia, & prudentia præditis: temporum successu necesse fuit alias in Capitulis Generalibus perpetuas condere Leges juxta methodum, & formam præscriptam in antiqua Constitutione VIII., & Ordinis Stylum, & morem; quæ posteriores Leges, ne divisæ, dispersæque in foliis à Monachorum manu, & memoria facilè exciderent: in unum collectæ Librum Constitutionum fuerunt insertæ; ut quisque faciliter nosceret: quo Jure uti, quibusque Legibus vivere in Ordine opporteret. Ab earum origine sub nomine Extravagantium hæ posteriores Leges nuncupari cœperunt, eo quia extra corpus antiquarum Constitutionum vagarentur; quod proinde nomen distinctionem ab antiquis ipsis Constitutionibus indicat: nihil verò legislativæ auctoritatis imminuit; Cum ipsæ Extravagantes Leges sint nostri Ordinis perpetuæ, & obligatoriæ.

V. Harum Extravagantium compilationes plures in Ordine editæ fuerunt; sicuti necessitas, & utilitas postulavit, vel ex earum numerò, qui augebatur; vel ex ordinis, sive dispositionis perfectiori methodo: Nam in fine Libri antiquarum Constitutionum quondam inserebantur; deinde in calce singularum Constitutionum juxta propriam materiam divisæ, & applicatæ fuerunt. Prima igitur Extravagantium Compilatio ordinata, & edita habetur in Capitulo Generali

rali anno MCCCCLXXX. Secunda prodiit anno MDXIII. Tertia fupervenit anno MDLXXXII. Quarta acceffit anno MDXCVII. Quinta fucceffit anno MDCXIII. Sexta tandem in lucem venit anno MDCCXVI.

VI. Collatis Monachorum ftudiis in hac Compilatione anni MDCCXVI. non eadem omnium fuit opinio, neque idem judicium; cum tamen omnium eadem effet voluntas, idemque zelus erga Ordinis decorem, & utilitatem. Etenim aliqua Religionis infignia Monafteria, eorumque Monachi Compilationem anni MDCXIII. propugnantia, hanc Compilationem MDCCXVI. impugnare cœperunt; alia verò non minus digna Monafteria, illorumque Monachi è converfo pro eadem ultima Compilatione infurrexerunt adverfus antiquam anni MDCXIII. In hujusmodi opinionum, non animorum diffenfione, & conflictu Monafteria illa Compilationem ultimam impugnantia ad Tribunal Legationis Apoftolicæ in Regnis Hifpaniarum proceflerunt gravemque hujufmodi controverfiam in Capitulo Generali anni MDCCXXVI., cui præeffe Apoftolicus Nuncius debebat, examinari, refolvi, & omnino extingui fuppliciter poftularunt.

VII. Apoftolicus Nuncius, quo omnibus maturiùs, & confultius provideret, in dicto Generali Capitulo, cui præfuit, quatuor Monachos ex qualibet parte fcientia, prudentia, Ordinisque Conftitutionum, & Legum cognitione pollentes; eodem affentiente Generali Capitulo, deputavit, & defignavit, ipfis injungens, ut intra fex menfium fpatium congregati utramque Compilationem maturè examinarent; omniaque dubia, & difficultates fummo ftudio inter fe conferrent; ut eorum relatione audita, omnibufque rationibus utrimque perpenfis, ipfe Nuncius Apoftolicus, quod in Domino juftum & expediens fibi videretur, refolvere, & diffinire poffet.

VIII. Collationibus inter fe factis, Monachi deputati in contrarias iverunt fententias, quatuor antiquam anni MDCXIII., quatuor modernam anni MDCCXVI. Compilationem propugnantes tam verbo, quàm fcriptis coram eodem Nuncio Apoftolico; qui tandem, omnibus utrimque circumfpectis fub die XVII. Octobris anni MDCCXXVI. diffinitivè pronunciavit: ut abrogata Compilatione anni MDCCXVI. obfervarentur in Ordine Leges, Conftitutiones, & Extravagantes in Compilatione anni MDCXIII. exceptis iis, quæ Sac. Conc. Trid., Decretis fan. mem. Clementis VIII., & aliis Conftitutionibus Apoftolicis, necnon Refolutionibus Sac. Congregationis forent contrariæ. Præterea obfervarentur decem, & novem Capitula, nempe Extravagantes, quæ in generali abrogatione aliarum refervatæ fuerunt in Capitulis Generalibus annorum MDCCV. MDCCVIII. & MDCCXI.; tandem fervarentur aliæ omnes Extravagantes, quæ ab anno MDCXIII. legitimè, & canonicè in noftro Ordine editæ, & promulgatæ fuerunt.

IX. Decreto Nuncii Apoftolici Partes non acquieverunt; fed appellatione interpofita ad S. Sedem, Controvefia cum omnibus actis delata fuit ad S. Congregationem EE. & RR. S. R. E. Cardinalium negociis Epifcoporum, & Regularium præpofitam. Itaque in fupremo eodem Tribunali diu inter Partes concertatum fuit; Sed tandem Informationibus tam voce; quàm fcriptis auditis, plenèque difcuffis, Ponente Eminentiffimo, & Reverendiffimo D. Vincentio Tituli S. Onuphrii Cardinali Petra, fub die VII. Aprilis MDCCXXIX. hæc fuit Eminentiffimorum, & Reverendiffimorum PP. refolutio - *Dilata, & ad mentem Eminentiffimi Ponentis; ac interim fervetur Decretum Nuncii Apoftolici - Mens eft, ut fiat nova Compilatio Conftitutionum per Eminentiffimum Ponentem juxta votum ipfius in fequenti modo expreffum.*

X. *In nova Compilatione ponantur Conftitutiones omnes fundamentales, quæ non fint revocatæ, five oppofitæ S. C. Trid, Conftitutionibus Apoftolicis, & refolutionibus Sac. Congregationis; Quæ verò funt revocatæ, ita noviter fuppleantur: quatenus revocatio fit in aliqua particula, feu parte: addendo, vel minuendo emendentur; quatenus verò revocatio deftruat integram Conftitutionem: enunciativè fiat mentio antiquarum Legum in his tantum, quæ funt decoris Ordinis, five Monafteriorum; difpofitivè autem circa eandem materiam fiat Conftitutio obfervanda. Apponantur Extravagantes, quæ continentur in Compilatione anni MDCXIII. in fuis locis; dummodo non fint revocatæ. Addantur Extravagantes; poft dictam Compilationem ufque ad moderna tempora in locis opportunis, dummodo non fint revocatæ, ut fupra. Adjungantur etiam in fuis locis*

cis opportunis Capitula XIX. publicata sub anno MDCCV., *dummodo non sint contraria S. C. Trid.*, *&* *Apostolicis Constitutionibus. Ex Capitulis Privatis, Rotulis, Actis, aliisque, quæ habentur in annotationibus Compilationis MDCXIII., & in Ordinationibus Compilationis anni MDCCXVI. sumantur aliquæ Leges, quatenus necessariæ, sive plurimùm utiles videantur pro recto Gubernio Ordinis: in minori tamen numero possibili juxta arbitrium Eminentissimi Ponentis, & suis locis collocentur. Reliquæ verò Annotationes, Rotuli, sive Ordinationes, ut supra, separentur à Codice Constitutionum, & quatenus Capitulum Generale expediens judicaverit, Typis imprimantur in Codice particulari sub Titulo eidem benevi-so: cum expressa tamen declaratione in principio Libri, quod in eodem contenta vim Legis obligativam non habent, sed tantùm instructivam, & doctrinalem; dummodo tamen non sint contraria Sac. Conc. Trid., Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Resolutionibus Sac. Congregationis, & legibus contentis in novissima hac Compilatione. Post factam vero novam Compilationem; ipsa referatur in Sac. Congregatione.*

XI. Mandatis igitur S. Congregationis obsequendo, grande hujusmodi opus novæ Compilationis assumptum fuit à prælaudato *Eminentissimo*, *&* *Reverendissimo D. Cardinali Petra*: atque singulis ferè apicibus antiquæ Compilationis anni MDCXIII., alteriusque novæ anni MDCCXVI. jugi, contentoque studio examinatis, & discussis? duobus Monachis Hispanis, qui utrimque Jura propugnaturi ad Urbem accesserant, pluries, plenèque auditis: & difficultatibus non paucis ad regulam Juris, & rationis examinatis: hæc novissima prodiit Compilatio Constitutionum, & Legum Extravagantium.

XII. In hac Compilatione, ut numeris omnibus consurgeret absolutissimum opus; Consilium fuit circa aliquas præsertim Extravagantes, declinandi, & respectivè declarandi in sensu vel in verbis implexam obscuritatem, supervacuam similitudinem, molestam prolixitatem, apparentem contrarietatem, paucis additis, vel respectivè sublatis. Ordo, sive locatio Constitutionum, prout in antiquis Compilationibus disponebatur, servatus fuit; Leges verò Extravagantes, ut potuit, juxta materias sub ipsis Constitutionibus contentas collocatæ fuerunt ex antiquo more. Et quidem antiquæ Constitutiones desumptæ fuerunt ex prima latina Editione anni MCCCCXXXVII., ut ex Textu Originali Monachi audirent vocem primorum Patrum, qua cum ipsis locuti sunt. Leges verò Extravagantes ex Actis idiomate hispanico, juxta latinam translationem Partium consensu approbatam, expositæ fuerunt.

XIII. Hæc igitur novissima Compilatio, quæ ex privato studio ejusdem Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Petra processit; deinde eodem referente, sedulò examinata, & plenè approbata fuit à Sac. Congregatione sub die XVI. Decembris MDCCXXIX. cum hoc sequenti Decreto *Sac. Congregatio Eminentissimorum*, *&* *Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Episcoporum*, *&* *Regularium præposita; Ponente Eminentissimo*, *&* *Reverendissimo D. Cardinali Vincentio Petro Tituli S. Onuphrii, censuit*, *&* *decrevit supplicandum SS. D. N. pro expeditione Literarum in forma Brevis super approbatione Apostolica Compilationis Constitutionum Ordinis S. Hieronymi cum suo Prologo facta ab Eminentissimo*, *&* *Reverendissimo Cardinali Petra Ponente de mandato S. Congregationis; itaut Capitulum Generale ipsum Prologum, Constitutiones, Extravagantes, aliaque contenta, & disposita in eadem Compilatione mutare, corrigere, & derogare non valeat.*

XIV. Cæterum ad omnem ambiguitatem tollendam, tam Constitutiones, quàm leges Extravagantes cum omnibus additionibus, & correctionibus suis, sicuti in præsenti Compilatione, pro originalibus habeantur: etiamsi non concordent cum aliis Compilationibus, vel actis Ordinis; ex quibus desumptæ fuerunt; proindeque ad perpetuam rei memoriam hæc ipsa Compilatio in Archivio Religionis reponatur, & cautè custodiatur. *Cæteræ autem omnes, & singulæ Compilationes usque nunc factæ nullius imposterum sint auctoritatis legislativæ.*

XV. Omnes igitur præclari Ordinis S. P. Hieronymi Monachi enixe animum intendant ad observantiam Constitutionum, & Legum Extravagantium, quæ in hujusmodi Opere tam providè, quàm salubriter sunt compilatæ; ut per bona opera certam eorum vacationem faciant; atque Deo propitio, Ordo ipse nedum incolumis in spiritualibus, & temporalibus servetur; sed in melius semper usque in finem Sæculorum procedat.

INDEX CONSTITUTIONUM.

Con-

CONSTITUTIO I.

De Electione Patris Generalis nostri Ordinis, & ad quos dicta Electio pertineat.

ANtiqua statutum erat Constitutione, ut Prior pro tempore Monasterii S. Bartholomæi de Lupiana Ordinis nostri Prior major, Generalis, & Caput totius Ordinis esset, ejusque electio ad Monachos Capitulares prædicti Monasterii, & non ad aliquos alios insolidum, & solummodo pertineret, atque in eodem Monasterio continuò ipse P. Generalis residentiam teneret: Propterea quod jam dictum Monasterium primum olim fuit, in quo Ordo initium habuit, exindeque propagatus fuit; & quasi in medio aliorum Monasteriorum constitutum erat. Confirmatores autem electionis prædictæ nequaquam consentirent eligi in Priorem majorem Monasterii S. Bartholomæi, qui infra duos menses non posset in eodem Monasterio personaliter interesse, & suo uti Officio; ita ut aliter facta electio statim per eos cassaretur, & ad alterius electionem procederetur.

Quoniam vero, Procuratore Generali totius Ordinis, necnon Monasterio prædicto S. Bartholomæi de Lupiana auditis, ex Decretis à S. Congregatione EE. S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præposita editis, & deinde confirmatis in forma specifica a Ven. Innocentio XI. cum Litteris Apostolicis in forma Brevis, præ cæteris definitum, & resolutum est; ut imposterum Electio Patris Generalis sit facienda à tota Religione, non verò à solo Monasterio S. Bartholomæi Lupianæ; quodque idem Monasterium possit tantùm in electione concurrere cum ejusdem Priore, & Procuratore, sicut concurrunt cætera alia Ordinis Monasteria: idem autem Prior S. Bartholomæi à Vocalibus ejusdem Monasterii juxta Generale Ordinis statutum eligendus Diffinitor sit perpetuus cum præcedentia supra cæteros alios; & vacante Generalatu, Vicarius Generalis usque ad novam Patris Generalis electionem remaneat. Præterea attenta renunciatione à prædicto Monasterio S. Bartholomæi de Lupiana ex rationabilibus causis facta, & à Capitulo intermedio acceptata, etiam ex auctoritate Capituli Generalis Ordinis, super residentia Superioris Generalis in eodem Monasterio S. Bartholomæi, imposterum idem Pater Generalis in Collegio Abulensi ejusdem Ordinis resideat; ubi nimirum à Capitulo Generali anno M. DC. LXXXIV. ejus residentia statuta fuit; prout latiùs in prædictis Litteris Apostolicis in forma Brevis continetur.

Ex Brevi Ven. Innoc. XI 2. Nov. 1688.

Hinc

Hinc veteri penitus abrogata Constitutione, perpetuis futuris temporibus exequi, & observari inviolabiliter præcipimus, & mandamus omnia, & singula, quæ in dicto Brevi Apostolico disponuntur. Superior autem Generalis nostri Ordinis non eligatur nisi talis, de quo verisimiliter præsumatur: quod intra duos menses haberi poterit ejus in Monasterio suæ residentiæ residentia personalis ad residendum ibidem, & suo utendum Officio. Aliter verò facta electio statim cassetur, & ad electionem aliam procedatur.

Electus veró canonicè in Generalem nostri Ordinis quicumque Prior, vel Monachus ad acceptandum Officium Generalatus per Diffinitores possit compelli. De speciali tamen gratia liberè, ac irrovocabiliter cuilibet Priori Domus de Guadalupe, suorum immensitate arduorum negociorum attenta, concedimus, quod, si forte idem Prior in Generalem eligatur; ad acceptandum nullatenus compellatur.

EXTRAVAGANS I.

OBsequendo, ut par est, Decretis à Sacra Congregatione Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Episcoporum, & Regularium negociis præposita editis, & deinde in forma specifica confirmatis à fa: me: Innocentio XII. in Literis Apostolicis in forma Brevis, statuimus, & ordinamus, in casu vacationis Officii Patris Generalis, durante triennio, quod inter unum, & alterum Capitulum Generale intercedere debet, pro electione novi Superioris Generalis Capitulum Generale hoc tempore intermedio non convocetur, sed solum sexdecim Monachi ex octo designatis Monasteriis dicti Ordinis: Prior nempe, & Procurator cujuslibet eorum, dictum novum Superiorem Generalem, qui vacantis Generalatus Officii tempus, quod usque ad proximum sequuturum Capitulum Generale superest, compleat: uti Vocales, seu Electores ad id specialiter deputati, eligant: quodque Jus eligendi hujusmòdi, rursùs eveniente alia simili vacatione, ad alios sexdecim Monachos, Priores pariter, & Procuratores respectivè aliorum octo Monasteriorum nostri Ordinis spectet; itaut quandocumque similis vacatio contingat; ista alternatio inter Priores, & Procuratores quadraginta octo Monasteriorum, quibus noster Ordo constat, per statas vices, seu Turnos in hujusmodi electione Intermedia servetur. Turni autem ita perpetuò constituantur.

Ex Brevi Innoc. XII. 18. Oct. 1698.

TURNUS I.

S. Bartolomæus de Lupiana.
S. Hieronymus Cordubæ.
S. Catharina de Monte Corbàn.
S. Hieronymus Hispalis.
S. Maria de Prado Vallisoleti.
S. Maria Murtæ Barcinonæ.
S. Hieronymus Matriti.
S. Maria de la Esperanza.

TURNUS II.

S. Maria de Guadalupe.
S. Hieronymus Vallis Hebron.
S. Maria de la Estrella.
S. Michael Regum.
S. Hieronymus Granatæ.
S. Maria Lucis.
S. Maria Victoriæ Salmanticæ.
S. Maria Pietatis de Benavente.

TURNUS III.

S. Laurentius Regius.
S. Hieronymus de Cotàlva.
S. Maria de Frexdelval.
S. Anna de Tendilla.
S. Engratia Cæsaraugustæ.
S. Maria Rosarii de Boruos.
S. Isidorus del Campo.
S. Maria de Valdebusto.

TURNUS IV.

S. Maria de la Sisla.
S. Blasius de Villavitiosa.
S. Hieronymus de Yuste.
S. Maria de la Murta Valentiæ.
S. Maria del Parral Segobiæ.
S. Maria Pietatis de Baza.
S. Maria Vallis de Ezixa.
S. Hieronymus de Caravacca.

TURNUS V.

S. Hieronymus de Guisando.
S. Maria de la Mexorada.
S. Hieronymus de Espexa.
S. Hieronymus de Zamora.
S. Michael del Monte.
S. Antonius de Porta Cœli.
Collegium Salmaticense.
S. Petrus de la Nora.

TURNUS VI.

S. Catharina de Talabera.
S. Maria de Armedilla.
S. Joannes de Ortega.
S. Leonardus de Alba.
S. Maria Remediorum de Barrameda.
S. Michael Angelorum de Alpechin.
S. Maria Gratiarum de Carmona.
S. Hieronymus à JEsu Abulæ.

Pro-

Pro hujusmodi verò Turnorum principiu, & successiva serie ad Regulam dirigenda: Primus Turnus incipiat à Capitulo Generali anni M. DC. XC. usque ad immediatè sequens Capitulum Generale anni M. DC. XCIII. quo quidem tempore cum forma electionis intermediæ alterata fuerit; Secundus Turnus nequaquam ab ipso anno M. DC. XCIII. incipiat; sed quidem eodem triennio intermisso, à Capitulo Generali anni M. DC. XCVI. quo iterum reassumpta, & confirmata eadem forma intermediæ electionis extitit, usque ad Generale Capitulum anni M. DC. XCIX. Deinceps verò a tertio Turno de triennio in triennium successivo ordine perpetuò Turni prædicti sequantur. Absolutis verò omnibus sex Turnis, iterum incipiat primus, & succedant quolibet triennio, ut præfertur, sequentes ordine circulari. Quod si in triennio, quod pertinet ad aliquod ex prædictis sex Turnis, non succedat vacatio Generalatus, & Capitulum electionis intermediæ; nihilominus tamen pro triennio immediato hujusmodi Jus eligendi pertranseat ad Turnum sequentem. Quodsi verò vacatio Generalatus duplex succedat in unico triennio: tunc in prima vacatione procedat Turnus juxta ordinem; In altera verò succedat sequens Turnus; itaut unicus Turnus duplicem electionem intermediam numquam faciat in eodem triennio.

Quoniam verò ex Generalium Capitulorum Decretis Monasterium S. Hieronymi de Caravaca, quod in quarto Turno comprehenditur, fuit redactum in Vicariam absolutam absque Priore; proindeque in eodem dicto Turno, deficiente Priore, & Procuratore prædicti Monasterii, sexdecim Vocales concurrere ad electionem non possunt, ut in Brevi Apostolico statuitur; sed tantum quatuordecim ex septem reliquis Monasteriis Vocales, duo nempè pro unoquoque, ut supra: Obsequendo Decretis S. Congregationis cum Oraculo Sanctissimi D. N præcipimus, & mandamus: quod in eodem quarto Turno electio intermedia fiat ex qua uordecim Vocalibus septem Monasteriorum; donec, & quousque idem Monasterium S. Hieronymi de Caravaca ad pristinum statum restituatur cum Priore.

EXTRAVAGANS II.

Decretum, & Brev Innocentii XII. supra cit.

SI contingat Vocales in electione Patris Generalis tam in Generali, quàm in dicto Intermedio Capitulo celebranda, inter se dissidere, aut electionem minùs canonicam fieri: Electio hujusmodi ad sex duntaxat scrutinia reducatur hac forma; videlicet, ut si in primo, secundo, tertio, quarto, & quinto scrutiniis hujusmodi electio canonica sequuta non fuerit; duo Monachi, qui plura, quàm cæteri, suffragia sortiti erunt, eligantur; in quos Vocales in sexto scrutinio sua suffragia omnino dirigere teneantur. Quod si nec in hoc sexto, & ultimo scrutinio ob paritatem suffragiorum electio canonica peracta fuerit: eorum duorum alter, qui priùs ad Habitum Regularem admissus fuerit, electus intelligi, & declarari debet. Attamen si in quinto scrutinio suffragia in diversas personas collata fuerint; pluresque paria suffragia obtinuerint: tunc quoque duo, qui priùs similiter, quàm cæteri, ad Habitum Regularem admissi fuerint, ex his eligantur: At si quis in hoc quinto superior, alii pares suffragiis extiterint; superiori suffragiis ex his, qui pares sunt, is pariter, qui priusquam cæteri ad Habitum prædictum admissus fuerit, adjungatur: Ut deinde in sexto scrutinio, primo quidem casu in duos ex iis, qui paria suffragia obtinuerunt, sicut præmittitur, eligendos; secundo verò in superiorem suffragiis, illique, ut præmissum est, adjungendum, omnia Electorum suffragia restringi, & conferri debeant. Quæ pariter ab eadem Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium approbata, & successivo Brevi Apostolico prædicto confirmata sunt.

EXTRAVAGANS III.

Alexan. VI. 17. Kal. Novembris 1448. Leo X. 22. Nov. 1520. Nuncius Apostol. Hispaniar. 12. Novembris 1726. ex facultate SS. D. N Benedicti XIII 23. Septembris ejusdem Anni.

PAter Generalis per triennium tantùm duret in officio à tempore ejusdem electionis; ejusque expiret Officium statim, ac electi & nominati fuerint Diffinitores in Capitulo Generali. Prætereà ordinamus, quod Generalis absolutus immediatè, & successivè reeligi non possit, nisi post novennium vacationis ab eodem Officio absoluto: etiamsi electus fuerit inter Capitulum, & Capitulum, & quolibet brevi tempore Generalis fuerit. Quæ dispositiones ex Auctoritate Apostolica firmitatem, & robur habent.

EXTRAVAGANS IV.

Nunc. Apost. Hisp. 13. Novemb 1726. ex facult. SS. ut sup.

NON possit eligi in Generalem Monachus aliquis professus ejusdem Monasterii, cujus erat professus Generalis immediatè absolutus, & vacans: nisi intercesserit novenoium inter hujusmodi vacationem, & dictam electionem, quod etiam Auctoritate Apostolica confirmatum est.

EXTRAVAGANS V.

IN scrutinio ad regulanda suffragia electionis Patris Generalis in Capitulo Generali simul cum PP. Diffinitoribus assistant, tanquam scrutatores, singuli ex Visitatoribus Generalibus cujuscumque Territorii antiquiores Habitu: & in horum absentia alter socius Convisitator. At verò in Capitulo intermedio duo Scrutatores ex Vocalibus dicti Capituli eligantur, qui simul cum Patribus Privati Capituli Deputatis scrutinio, & regulationi suffragiorum intersint; quorum antiquior electionem factam publicare debeat.

EXTRAVAGANS VI.

PAtres Privati Capituli Deputati conveniant ad præsidendum simul per modum unius cum P. Vicario Generali Capitulis Generalibus Intermediis cum Jurisdictione Præsidum, absque tamen suffragio approbandi, vel reprobandi; & quin ob dictum Præsidum titulum vocem activam habeant in dictis Capitulis.

EXTRAVAGANS VII.

IN casu, quo eligatur in dicto Capitulo Intermedio Generalis Professus Monasterii valdè distantis; Electores non discedant à Monasterio S. Bartholomæi, vel ejus circuitu, ultra sex leucarum distantiam: donec compulsoriâ transmissâ ad Electum citandum per Deputatos Privati Capituli, habeatur notitia authentica dictum Electum suum electioni præstitisse consensum. Qua habita poterunt Electores ad propria Monasteria redire: ibidem dumtaxat permanentibus dictis Privati Capituli Deputatis; ut ad debitum effectum electionem factam perducant; & obedientiam nemine totius Religionis noviter electo Generali præsentialiter præstent. Si tamen Electus non acceptaverit, impotensve fuerit pro dicto officio Generalis exercendo, procedant dicti Electores ad novam electionem modo, & forma debitis.

EXTRAVAGANS VIII.

DE gratia speciali liberè concedimus Priori pro tempore existenti Monasterii S. Laurentii Regalis, suarum magnitudine occupationum attenta, quod si fuerit electus in Generalem Nostri Ordinis, ad acceptandum nullatenus compelli possit.

EXTRAVAGANS IX.

ADsit Vicarios Generalis, qui deficiente Persona Patris Generalis per mortem, seu aliter, Ordini nostro præsideat; & hic Vicarius Generalis sit imposterum non Vicarius, (ut hactenus:) sed Prior pro tempore existens Monasterii S. Bartholomæi de Lupiana, quod decrevit, & declaravit S. Congregatio Episcoporum, & Regularium, & Apostolica Auctoritate est confirmatum.

Decret Sac. Cong. Episc. & Regul. & Breve ven. Innoc XI. sup. constitut. citat.

EXTRAVAGANS X.

SAcra Congregatio S. R. E. Cardinalium negociis Episcoporum, & Regularium præposita statuit, & decrevit: quod si contingat Prioratum Monasterii S. Bartholomæi quomodolibet vacare, dom Prior ipsius Monasterii, vacante Generalatu munus Vicarii Generalis exercet; tunc præsideat Ordini Deputatus Capituli Privati, qui loco, & sessione cæteros Deputatos præcedit cum Jurisdictione Vicarii Generalis; donec sit facta, & confirmata electio Prioris Monasterii S. Bartholomæi, qui munus Vicarii Generalis exercere debet.

S. C. E die 16. Decem. 1729.

EXTRAVAGANS XI.

PAter Vicarius Generalis, sede vacante, habeat Jurisdictionem, & facultatem in negociis ordinariis Ordinis: videlicet nominandi Confirmatores pro electionibus, aliisque rebus executivis, ex quarum dilatione oriri potest aliquod damnum, aut præjudicium; Et denique omnem facultatem Patris Generalis pro Religionis Gubernio in negociis, sede vacante, occurrentibus eo modo, quo illam habet idem P. Generalis: excepto tamen, quod non possit dispensare in Constitutionibus, mandatis, & Ordinationibus Capituli Generalis; nec contravenire mandatis, aut præceptis factis à Patre Generali.

EXTRAVAGANS XII.

SI Pater Generalis mortuus fuerit, aliterve vacaverit tribus mensibus antè lapsum triennii: prò adeò brevi tempore Generalis non eligatur; sed Ordini præsideat Generalis Vicarius dictis tribus mensibus juxta formam, & limitationes in immediata Extravaganti determinatas, & statutas.

EXTRAVAGANS XIII.

PAter Vicarius Generalis teneatur convocare, & citare Monasteria illius Tur-

Decret. Sac. Con-

gre. 5. Sept. 1687. ad 4.

Turni, ad quem spectat electio Intermedia Patris Generalis; quatenus concurrant ad Capitulum Intermedium, electionemque novi Generalis in eo celebrandum infra duos menses á die vacationis Generalatus; ipso tamen Vicario Generali citationem hujusmodi omittente, vel renuente, possit, & debeat omninò fieri à PP. Deputatis Capituli Privati, vel à quolibet illorum insolidum; Qui si fuerint etiam negligentes, fiat dicta Convocatio à Priore, vel Vicario Monasterii Villæ Delitiosæ, ut ordinatur in Constitutione 70.: excepto tamen, si Generalatus vacaverit tribus mensibus ante lapsum triennii, quibus præsidere debet Ordini idem Pater Vicarius Generalis juxta Extravagantem supra immediatè positam.

EXTRAVAGANS XIV.

EO ipso, quod aliquis Monachus acceptat Episcopatum, vacet Officium Generalatus, aut aliud quodcumque Officium, quod habeat in Ordine.

CONSTITUTIO II.

De tempore, quo durare debent Priores in eorum Officiis.

IN Officio suorum Prioratuum durent dumtaxat per triennium à tempore confirmationis suæ electionis computandum omnes Priores Monasteriorum nostri Ordinis juxta Literas Apostolicas Sa: Me: Gregorii Papæ XI. Nostri Ordinis Fundatoris: ita quod trieonio cujuslibet Prioris transacto, ipso facto expiret ejus Officium, & fiat nova electio, prout Monachis illius Monasterii videbitur expedire; ordinationibus, statutis, seu consuetudinibus cujuscumque Monasterii nostri Ordinis, etiam Juramento, seu quacumque alia munitione etiam Apostolica, vallatis, in contrarium editis, factis, vel servatis non obstantibus quibuscumque.

EXTRAVAGANS I.

Clem. VIII. 11. Jan. anno 1594. Tract. Bull. Bula 7. Paul. V. 1. Sept. 1605.

DE cætero perpetuis futuris temporibus nullus Prior nostri Ordinis possit reeligi immediatè in eodem Prioratu, quem terminat, quod est confirmatum per Bullam Apostolicam. Et idem intelligatur de Priorissis Monasteriorum Monialium nostri Ordinis.

EXTRAVAGANS II.

PRiores Monasteriorum novorum, quæ non habent electionem, vacent in Capitulo Generali, & provideantur à Patre Generali, & à PP. Diffinitoribus per schedulas secretas datas à Secretario. Non tamen ipsi Priores immediatè reeligi possint in eodem Prioratu. Quando verò vacaverint Prioratus Monasteriorum novorum inter Capitulum, & Capitulum, provideantur à Patre Generali; Cæterùm semper hujusmodi Prioratus conferantur Monachis prudentia, & experientia præditis, qui honori, & disciplinæ Ordinis nostri, ut necesse est in ipsis Monasteriis novis consulant.

EXTRAVAGANS III.

MOnasterium de Caravaca non habeat Priorem, nec vocem in Capitulo Generali; sed sit Vicaria absoluta.

EXTRAVAGANS IV.

PRiores novarum Domorum, qui in Capitulo Generali eliguntur, & providentur, durent in suis Prioratibus usque ad proximè futurum Capitulum Generale, in quo vacent; etiamsi propter mobilitatem Dominicæ tertiæ post Sanctissimum Pascha, in qua celebratur dictum Capitulum Generale, naturale triennium tunc finitum sit; sive adhuc tunc non expiraverit; sicut in Generalatus dignitate fieri solet. Quod authoritate Apostolica est confirmatum, & observari mandatum.

Nuncius Apostolicus 13. Novemb. 1726. ex facultate SSmi D N. Papæ Benedicti XIII. 23. Sept. ejusdem anni.

CONSTITUTIO III.

Ubi, & quando celebrari debet nostrum Capitulum Generale.

GEnerale Capitulum nostri Ordinis in dicto Monasterio S. Bartholomæi de triennio in triennium perpetuò celebretur; quod teneri incipiat in tertia Dominica post Festum Resurrectionis Dominicæ computanda. Ob aliquam tamen legitimam, & rationabilem causam: puta famem, bellum, pestem, vel aliam magnam, manifestamque causam possit alibi prædictum Generale Capitulum celebrari ad dispositionem Capituli Generalis; si eodem durante Capitulo, causa hujusmodi pateat, vel rationabiliter præsumatur. Sed si inter Capitulum, & Capitulum aliqua de prædictis causis contigerit, vel verisimiliter timeatur, tunc Pater Generalis, & Personæ ad tenendum Privatum Capitulum assignatæ, quas dictus Pater Generalis ad se ob hoc faciat congregari, prædictam possint facere Generalis Capituli mutationem in aliud Monasterium ejusdem Ordinis ad illud per eos assi-

Cap. in singulis. de statu Monachor.

assignandum. Aut si forsan sibi meliùs videatur, dilatetur per eos dictum Generale Capitulum ad annum sequentem, vel aliud triennium; prout negociorum necessitas, vel utilitas eos adduxerit ordinandum. Non tamen fiat talis dilatio, nisi consentiant quatuor ex his, qui concurrunt in ipso Privato Capitulo. Cum verò hujusmodi mutatio, seu dilatio facta fuerit, notificetur per eosdem dilatantes Prioribus, & Conventibus nostri Ordinis tempore opportuno. Quæ Constitutio est approbata auctoritate Apostolica, quantum ad locum celebrationis Capituli Generalis.

Ven. Innoc. XI. 22. Nov. 1688.

EXTRAVAGANS I.

IN quolibet nostrorum Monasteriorum celebretur Missa Spiritus Sancti ipsa die, qua celebratur in Monasterio S. Bartholomæi pro electione Patris Generalis, & Patrum Diffinitorum, necnon pro negociis Ordinis in dicto Capitulo ordinandis. Et durante Capitulo Generali, saltem fiat in Missa collecta, & deprecatio post elevationem cum orationibus competentibus; nisi fuerit festum duplex.

EXTRAVAGANS II.

TAm Dignitas, & Officium Patris Generalis, quàm Priores novarum Domorum, Visitatores, cæteraque alia Officia, & munera, quæ in Capitulis Generalibus providentur, & eligi solent; durent in suis Officiis usque ad novi Capituli Generalis celebrationem; quantumcumque dictum Capitulum Generale ex causa pestis, famis, belli, vel similium, ut in hac Constitutione, prolongetur, quod auctoritate Apostolica confirmatum, & observari mandatum fuit.

Nuncius Apost. 13. Nov. 1726. ex facultate SSmi D. N. Papæ Bened. XIII. 23. Sept. ejusdem anni.

EXTRAVAGANS III.

PRiores, & Procuratores Monasteriorum magis distantium à Monasterio S. Bartholomæi ad Capitulum Generale venturi à propriis Monasteriis non exeant antè tertium diem Paschæ Resurrectionis Dominicæ, ut reperiantur in suis Monasteriis pro Hebdomada majuri, & Sanctissimo Paschate celebrandis: Propinquiores verò prælibato Monasterio ita moderatè accipiant dies pro itinere necessarios, ut sinè vagatione ad dictum Capitulum Generale accedant: nec euntes, aut revertentes per Curiam Regiam transitum faciant sinè licentia speciali Patris Generalis.

EXTRAVAGANS IV.

SI contingat Capitulum Generale in aliud tempus cum quatuor Deputatorũ Privati Capituli consensu prolongari ob causas in hac Constitutione expressas; si istæ cujuslibet dictorum quatuor Deputatorum judicio cessaverint tempore opportuno, & sufficienti ad convocandum, & congregandum Generale Capitulum; debeat, & teneatur Pater Generalis ab ipsis, vel quolibet illorum requisitus, prolongatione facta non obstante, convocare, & congregare dictum Generale Capitulum tempore designatu in Constitutione celebrandum. Quod si renuerit, vel omiserit; à dicti Privati Capituli Deputatis possit, & debeat convocari, ut tempore præscripto celebretur, ut in Constitutione disponitur.

EXTRAVAGANS V.

SI contingat Generalatum vacare, existente aliqua ex causis in hac Constitutione præscriptis ad dilatandum Capitulum Generale; aut eam ipsius vacationis tempore taliter accidere; quod duæ saltem ex tribus partibus Electorum pro Capitulo Intermedio designatorum eidem interesse debentium citari, & convocari, ad dictumque Capitulum, vel per se, vel per suos Procuratores commodè accedere nequeant: P. Vicarius Generalis possit Capitulum Privatum congregare, & dictum Capitulum Intermedium cum quatuor illius Deputatorum consensu in aliud tempus prorogare valeat. Verùm si duæ prædictæ Electorum partes ex tribus personaliter, vel per suos Procuratores commodè ad dictum Capitulum accedere possint, prædicta causa non obstante, Capitulum Intermedium omninò convocetur; Et per Electores præsentes die præfixo ad electionem Patris Generalis debitè procedatur.

EXTRAVAGANS VI.

EXpensæ necessariæ ad celebrandum Capitulum Generale subministrari debeant à Monasterio S. Bartholomæi de Lupiana ex redditibus Præstimonii de Utrera, quod ad hunc effectum clæ. mem. Cardinalis Ostiensis cum Brevi Sæ Mæ Nicolai V. Ordini nostro aggregavit. Si autem ad hujusmodi expensas ministrandis dicti Præstimonii redditus insufficientes fuerint, ab omnibus Ordinis Monasteriis pro rata suppleantur computando expensam diurnam cujuscumque Mona-

Die 5. Septemb. anni 1687.

nachi Capitularis cum Famulo, & Equitatu octo Regales cum dimidio monetæ Castellæ; Sicut decretum, & mandatum est à Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium.

CONSTITUTIO IV.

De electione, & Officio Procuratoris Capituli Generalis.

Cap. in singulis de statu Monach.

Singuli Priores Monasteriorum nostri Ordinis cum singulis Procuratoribus suorum Conventuum personaliter veniant ad Generale Capitulum celebrandum; Hujusmodi autem Procuratorem quilibet Conventus de magis idoneis, & discretioribus suæ Domus per viam scrutinii eligendo constituat; ita quod ille, qui plures numero, quàm alius voces habuerit: Procurator illius Monasterii habeatur, licèt in eo major pars Capituli non concurrat. Quod si duo, vel plures æquali numero voces habuerint; unius eorum per Priorem acceptetur electio, qui secundum suam conscientiam magis idoneus, & discretior videatur. Idem autem Procurator Socius sit Prioris ad Capitulum venientis. Alioquin nisi Priores à veniendo, & Conventus à mittendo Procuratores hujusmodi legitimo impedimento excusentur, vice illa in Generali Capitulo careant voce sua; nec alteri eam possint committere; & nihilominus ad ejusdem Capituli arbitrium puniantur. Si verò Prior aliquis infirmitate, seu alia justa causa impediatur venire, causas hujusmodi per suas Literas insinuet Capitulo Generali, suumque Procuratorem constituat, qui vicem suam teneat in ipso Capitulo. Similiter etiam Conventus non valens commodè Procuratorem de suis Monachis destinare, Procuratorem deputet aliquem Ordinis Monachum. In nullo tamen casu ultra tres Personas, computato Priore, de una, & eadem Domo ad Generale Capitulum licebit admittere; nec quisquam ibidem duas possit voces habere; etiamsi plurium Procurator existat; liceat autem sibi unam, quam maluerit, prædictarum vocum eligere. Priores autem, & Conventus legitimè impediti, nisi Procuratores ad Capitulum miserint, ut præfertur, ad arbitrium ejusdem Capituli puniantur. Priores autem, & Procuratores hujusmodi antè Sabbathum prædictam tertiam Dominicam post Pascha immediatè præcedens S. Bartholomæi Monasterium intrare non debent. Sanè ad Capitulum Generale Procurator nullus admittatur, nisi professus, & in Sacris Ordinibus constitutus. De cujus

Cap. si duo de Procurat.

Cap. si pro debilitate. de Offic. deleg.

Cap. quia in Caus. de Procur.

Cit. cap. quià in caus.

utique Procuratoris electione, sive constitotione idem Conventus Generali Capitulo fidem faciat per suas patentes Literas nominibus aliquorum Monachorum de eligentibus roboratas, & Conventuali sigillo munitas. In quibus quidem Literis non est upus hujusmodi potestatem ad longum exprimere; sed sufficit constare Generali Capitulo, quod talis est Procurator talis Conventus ad idem Capitulum destinatus. Tenor quoque hujusmodi potestati fiat in forma sequenti.

Cap. 1. de Procurat.

Noverint universi quod in Monasterio N. Diœcesis N. Ordinis Monachorum S. Hieronymi, die N. mense N. anno à Nativitate Domini &c. Omnes & singuli Monachi ejusdem Monasterii professi in Sacris constituti constituimus, & ordinamus nostrum certum, & specialem Procuratorem Patrem N. Presbyterum ipsius Monasterii ad omnia, & singula facienda, tractanda, consentienda, firmanda, seu dissentienda, sive revocanda quæcumque fuerint exponendà, dicenda, tractanda, examinanda, seu diffinienda in Capitulo Generali per Priores, & Monachos ejusdem Ordinis tenendo isto anno præsenti in Monasterio S. Bartholomæi dicti Ordinis, quæ generalem statum, seu utilitatem totius Ordinis tangant, seu concernere quomodolibet poterunt; etiam quoties fuerit opportunum, ad substituendum alium Procuratorem nostri Ordinis professum in Sacris constitutum ad omnia, & singula supradicta, & quia prædicta vera sunt, rogavimus Monachos infràscriptos in Sacris constitutos, quatenus Literas hujusmodi suis nominibus roborarent, quasque sigillo dicti Conventus fecimus sigillari.

Argum. d. cap. 1. de Procurator.

Præfati autem Priores, & Procuratores, nomine, & vice suorum Monasteriorum, potestatem habeant consentiendi, seu contradicendi quibuscumque in Generali Capitulo dicendis, tractandis, & agendis ad communem statum Ordinis pertinentibus. Nullatenus tamen iidem Procuratores habeant potestatem consentiendi, quod duratio Prioratuum quomodolibet ultra triennium protendatur; quin potiùs prò expresè prohibitis, imo pro veris Contradictoribus habeantur; nisi super hoc eis in suis Procuratoriis expressa, & specialis fuerit attributa potestas, sive facultas. Cæterum Procurator impeditus Generali Capitulo interesse, alium ad illud substituat loco sui: nisi substituendi potestas expressè sibi fuerit in Procuratorio denegata. Quovis etiam casu hi, qui non venient ad Generale Capitulum, per suas Pa-

Cap. quia in causis, de Procur.

Cap. qui ad agend. de Procurat. in 6.

Argum. cap. 1. §. Procurator, circa

Sin de Pro-curat. in 6. Patentes Literas statum suorum Monasteriorum tam spiritualem, quam temporalem ipsi Capitulo intimare non differant; & Priores humiliter misericordiam: hoc est, ab onere suorum Prioratuum absolutionem exposcant.

EXTRAVAGANS I.

PRiorissæ, & Monasteria Monialium nostri Ordinis, etiam per Procuratores, voce careant in Capitulo Generali, per Procuratores tamen Monasteriorum Priorum, qui illarum curam habent, negocia, quæ in Capitulis Generalibus agere velint, transmittant.

EXTRAVAGANS II.

PRiores non habeant votum in electione Procuratoris pro Capitulo Generali; veruntamen sint præsentes ipsius electioni, ut in Constitutione disponitur; & post factam electionem ipsi Priores pariter præsentes sint, & audiant commissiones, quas Vocales capitulariter dicto Procuratori imposuerint; quia si contrarium fiat, multa oriri possunt inconvenientia, & controversiæ.

EXTRAVAGANS III.

SI in aliquo Monasterio vacaverit Prioratus tempore Capituli Generalis; Vicarius non possit venire: nec mittere alium Procuratorem ad Capitulum Generale, quam illum dumtaxat, quem elegerit Conventus. Id ipsum in Capitulo Intermedio servari debeat, si aliquod Monasterium Turni, ad quem spectat electio, Priore caruerit tempore ipsius celebrationis.

EXTRAVAGANS IV.

VIcarius non eligatur in Procuratorem Capituli Generalis.

EXTRAVAGANS V.

PRocuratores Conventuum, qui venient ad nostrum Capitulum Generale, non proponant nomine suorum Conventuum, quod a Personis particularibus fuerit eis injunctum, & commendatum; & quod à suis Conventibus illis fuerit commissum, afferant in scriptis subscriptum à majori parte dicti Capituli. Poterunt tamen portare epistolas, & memorialia Personarum particularium eis mandata, & commissa, ad Diffinitores absque eo, quod necesse sit, ut a suis Prioribus signentur.

EXTRAVAGANS VI.

PRocuratores deputandi à Prioribus impeditis venire ad Generale Capitulum, vicem, & vocem ipsorum in eo, habituri, ut in Constitutione disponitur, necessariò constituantur, vel ex PP. Lectoribus Jubilaris, vel ex Monachis, qui Priores, aut Visitatores, Diffinitoresve Generales extiterint: & quorum Monasteria tres personas, & voces pro dicto Generali Capitulo priùs deputatas non habeant.

EXTRAVAGANS VII.

OMnes PP. Ex-Generales possint personaliter interesse Capitulis tam Generalibus, quàm Intermediis, in eisque votum activum, & passivum habere tam in electione P. Generalis, quàm in reliquis in dictis Capitulis faciendis: dummodo quoad votum passivum subjecti sint Legibus, & Extravagantibus, quibus cæteris Monachi nunc subjiciuntur, & imposterum subjecti erunt: cæterùm vox dictorum PP. Ex-Generalium minimè computetur in numero trium, quæ concurrere possunt ad Generale Capitulum ex hac Constitutione; sed præter duos, aut tres Monachos, qui ad dicta Capitula Generalia, & Intermedia respectivè concurrere possunt ex quolibet Monasterio; omnes etiam Ex-Generales ejusdem Monasterii professi concurrant, & vocem habeant; dummodo personaliter dictis Capitulis interveniant: Quod Auctoritate Apostolica est confirmatum.

Nuncius Apostolicus ex Commiss. SS D N. 13. Nov. 1726.

EXTRAVAGANS VIII.

PRiores & Procuratores ad Capitula, tam Generalia, quàm Intermedia convenientes veniant, & accedant sumptibus, & expensis Monasteriorum illorum, quorum voces in dictis Capitulis habent: Patres verò Ex-Generales expensis Monasteriorum suæ professionis.

EXTRAVAGANS IX.

VOcales Capituli Intermedii, sivè Priores, sive Procuratores, existant, infirmitate, seu alia justa de causa impediti possint Procuratores constituere suas vices, & voces habituros in dicto Capitulo; prout hæc Constitutio disponit de Prioribus, & Procuratoribus Capituli Generalis; dummodo causam prædictam per suas Literas Capitulo prædicto notificent. Constituantur verò Procuratores Personæ habentes qualitates, & conditiones requisitas per supra positam

tam Extravagantem: nulliusque Monasterii ultra duas voces admittatur tertia in dicto Capitulo Intermedio.

EXTRAVAGANS X.

Monachi eligendi in Procuratores Capituli Generales Monasteriorum professionis, & Collegiorum nostrorum, necessariò habere debeant licentiam alicujus Ordinarii Diœcesani ad audiendas confessiones, & etiam viginti annos completos ab habitûs receptione; nisi Lectores Theologiæ Scholasticæ fuerint; qui post decem annos completos ab habitu recepto ad habendam in Capitulo vocem requisitos, in tales Procuratores eligi poterunt. Eligendi verò in Procuratores Capituli Generalis novarum Domorum sint præcisè, vel ex Visitatoribus Generalibus actualibûs, non tamen ejusdem Territorii; vel ex PP. Lectoribus jubilatis; aut Regiæ Majestatis Prædicatoribus; vel ex Monachis, qui prius Priores, vel Diffinitores, aut Visitatores Generales extiterint.

EXTRAVAGANS XI.

PRocuratores Capituli Generalis in Monasteriis electionis juxta morem eligantur mensibus Novembris, & Decembris immediatis ante dicti Capituli celebrationem; ad quorum electiones Priores Monasteriorum eligentium omnes Vocales intra duodecim leucas à suis Monasteriis quomodolibet commorantes, die & hora electionis assignatis, citare debeant; & postquam factæ fuerint electiones, notificare teneantur Patri Generali Procuratorem electum, diemque, & horam suæ electionis.

EXTRAVAGANS XII.

SI contingat tempore electionis Prócuratoris Capituli Generalis Prioratum alicujus nostrorum Monasteriorum quomodocumque vacare: illius Vicarius non habet vocem in dicta electione; illam tamen debeat habere ad eligendum alterum ex duobus, inter quos sint æqualiter divisa Electorum suffragia. At verò non vacante Prioratu, sed absente Priore ab aliquo Monasterio tempore dictæ electionis, Vicarius ex commissione Prioris electionem prædictam celebrans vocem suam habeat in illa; possitque pariter in æqualitate suffragiorum eligere alterum ex duobus, qui sint pares suffragiis. Quod idem in reliquis actibus Capitularibus ex commissione Prioris absentis à Vicariis nostrorum Monasteriorum celebratis pariformiter observetur.

EXTRAVAGANS XIII.

EX concordia, & concessione totius Ordinis Procurator Capituli Generalis Collegii Salmantini Beatæ MARIÆ de Guadalupe debeat eligi necessariò ex Monachis professis ipsius Monasterii de Guadalupe nec dicti Procuratoris vox, & Persona computari debeat inter tres Personas, & voces singulis Monasteriis à Constitutione concessas; quas ultra dicta Procuratoris vocem prædictum Monasterium insuper habere possint, & valeat.

EXTRAVAGANS XIV.

PAter Generalis prima die Capituli juxta stylum, & morem nominet unum ex Prioribus, alterumque ex Procuratoribus habilioribus, & discretioribus, qui omnia mandata Procuratorum ad Capitulum venientium diligenter examinent, illorumque legitimitatem recognoscant; examenque, & recognitionem hujusmodi, atque inde sequuta, legitimosque Vocales ad Capitulum concurrentes, in eaque vocem habentes, postea in prima sessione Capituli Generalis exactè, & fideliter referant.

CONSTITUTIO V.

De Sede Priorum, & Procuratorum in Capitulo Generali.

CErtam sessionem, sive locum in Generali Capitulo teneat quilibet Prior, vel Monachus Procurator secundum antiquitatem fundationis Monasterii, cujus Prior, vel Procurator existat. Volumus tamen, quod Procuratores Priorum cunctos Procuratores Conventuum in sessione præcedant. De gratia tamen speciali multis ex causis rationabilibus statuimus, & concedimus, quod Monasterium S. Mariæ de Guadalupe nostri Ordinis Toletanæ Diœcesis in omnibus, & per omnia prærogativas, & libertates, vocem, & locum in quibuscumque actibus in Ordine nostro habeat, ac si ante omnia Monasteria ipsum post Monasterium S. Bartholomæi fuisset immediatè fundatum.

EX-

EXTRAVAGANS I.

VIcarius S. Bartholomæi, & Hebdomadarius præcedant in Refectorio omnes Procutatores Capituli Generalis; atque absentibus Diffinitotibus sedeat Vicarius in mensa principali, & signum faciat cum campanula. In choro verò Hebdomadarius sedeat in sede ad ipsum pertinente: Vicarius autem in diversis sedibus sedeat, attenta qualitate, & præcedentia Prælatorum, & Petsonatum ibi præsentium, faciatque signa de more consueta.

EXTRAVAGANS II.

VOlens nostra Religio gratiis, favoribus a Rege N. Philippo. II. acceptis, se gratiam ostendere, concessit Regio Monasterio S. Laurentii à Majestate sua fundato sedem, & antiquitatem immediatè post Monasteria S. Bartholomæi, & Beatæ MARIÆ de Guadalupe; itaut sedes Prioris S. Laurentii sit secunda in Choro ex parte Vicarii post Priorem S. Bartholomæi.

EXTRAVAGANS III.

Innoc. XI. 6. Decembris 1687. Tract. Bullar. Bull. 3.

EX Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium Decreto, quod cum Apostolico Brevi est confirmatum, Prior S. Bartholomæi præcedat in omni loco omnibus Prioribus Ordinis nostri.

EXTRAVAGANS IV.

IN præcedentia, & sessionibus Capituli Generalis servetur hic ordo, videlicet: Generalis immediatè absolutus, & vacans statim post Diffinitores omnibus præcedat in cunctis locis, quibus Ordo fuerit congregatus. Deinde immediatè post illum Patres Ex-Generales ante omnes Priores secundum suam in Generalatu antiquitatem. Post Priores actuales, Priores absoluti Monasteriorum S. Bartholomæi, Beatæ MARIÆ de Guadalupe, & S. Laurentii Regalis: Omnes Visitatores Generales secundum cujusque Territorii classem, & antiquitatem; subinde PP. Lectores jubilati: quibus succedant Procuratores Priorum absentium; & immediatè post illos Procurator, & Secretarius Generalis ante omnes Monasteriorum Procurarores; ptout hactenus de more servatum est.

CONSTITUTIO VI.

Quod Visitatores Generales eant ad Capitulum, & speciales mittant informationem suam.

Argum. cap. In sing. de statu Monach.

VIsitatotes Generales triennii proximè præteriti veniant omnino ad sequens Capitulum Generale. Idem etiam de Visitatotibus particularibus fiat: si specialitet per Patrem Genetalem fuerint evocati. Qui quidem omnes Visitatores permittantur interesse Capitulo Generali; nullam tamen vocem in eo habeant, nisi Priores, vel Procuratores existant; licèt possint loqui quicquid sibi bene videbitur. Visitatores verò particulares, qui non venerint, Diffinitoribus pet suas literas plenam suæ Visitationis informationem, quemadmodum Visitatores Generales facere debent; præsertim quoad misericordias Priorum, & statûs, reparationemque Monasteriorum mittere teneantur.

EXTRAVAGANS I.

PRima die, qua ingrediuntur Capitulares Monasterium S. Bartholomæi, Visitatores Generales Castellæ, unusque ex Deputatis Capituli Privati à Patre Generali designandus faciant scrutinium inter Priores, & Procutatores, qui veniunt ad Capitulum; Si forte invenerint subornationes, dona, aut promissiones pro electione Diffinitorum, & futuri Generalis; & quos delinquentes invenerint, juxta nostras Constitutiones, & Extravagantes puniant, & castigent.

EXTRAVAGANS II.

EAdem die Pater Genetalis assignet duos ex Privati Capituli Deputatis, qui post meridiem visitent Visitatores Generales; & audiant querelas, si quæ contra illos proclamatæ, aut inventæ fuerint. Processus verò servetur, ttadaturque Diffinitoribus futuris, ut determinent tantùm, & declarent illos habiles, aut inhabiles ad electionem Generalis; alia verò, si quæ fuerint, definienda serventur post electum, & confirmatum futurum Genetalem.

CONSTITUTIO VII.

De electione, & facultate Diffinitorum.

V. Innoc. XI. 22. Sept. 1688.

DEcretis à Sac. Congregatione Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Episco-

ſcoporum, & Regularium præpoſita ſucceſſivè confirmatis Brevi Apoſtolico ſupra Conſtitutione prima enunciato, obtemperantes declaramus Priorem pro tempore Monaſterii S. Bartholomæi Diffinitorem perpetuum cum præcedentia ſuper cæteros Priores: Quamobrem in poſterum non octo, ut antiquitùs, ſed ſeptem dumtaxat Perſonæ in Diffinitores Capituli Generalis, quarum tres tantùm ſint Priores, & quatuor Monachi ex Procuratoribus Monaſteriorum in eodem Capitulo exiſtentes ab illis, qui in eodem Capitulo vocem habent, ſine Perſonarum, & Nationum acceptione ante omnia eligantur. De Monaſterio autem Sancti Bartholomæi ultra Priorem, & Procuratorem ejuſdem Monaſterii poterunt Electores, ſi velint, eligere Diffinitorem Monachum aliquem Profeſſum ipſius Monaſterii; dummodo tamen ſit Perſona notabilis, & diſcreta, in numero dictorum quatuor Monachorum Procuratorum computandum. Quæ quidem electio Diffinitorum fiat hoc modo. Aſſignentur, & dentur in publico per majorem partem Capituli tres Scrutatores, qui priùs vota ſua, deinde ſingulorum omnium votum habentium ſecretè recipiant. Quibus receptis, & facta inter ſe collatione ſecreta ſolius numeri eligentium, perſonas quoque eligentes nullatenus tempore aliquo declarando, unus ex eiſdem Scrutatoribus omnes electos in Diffinitores ſtatim, & publicè in Generali Capitulo publicet; quorum illi ſint Diffinitores, in quos plura eligentium vota non totius Capituli, ſed reſpectu partium minorum concurrent. Si tamen in numero pari circa aliquos vota concurrerint Electorum; tunc ille Diffinitor exiſtat, quem Scrutatores ipſi, vel duo eorum in Diffinitorum, tanquam magis idoneum, declaraverint aſſumendum; ſuper quo ipſorum conſcientiam oneramus. Cauſa quoque rationabili nos movente, noſtris Monaſteriis intra Ditionem Sereniſſimi Domini Regis Aragonum conſtitutis de gratia ſpeciali concedimus, quod ex aliquo eorundem Monaſteriorum, unus Prior, vel Monachus, qui reſpectu Priorum, & Monachorum ſuæ propriæ Nationis in Diffinitores electorum plures, ut ſupra præmittitur, voces habuerit, in Diffinitorem quolibet Generali Capitulo eligatur: etiamſi in ea pauciores voces, quàm in ſingulos Priores, & Monachos Nationis Caſtellæ ad Officium prædictum electos, concurrant. Hi autem ſeptem Diffinitores (ut præfertur,) electi cum Priore S. Bartholomæi, qui eſt de per ſe, & Pater Generalis unà cum ipſis habeant in negociis particularibus omnimodam, & plenam poteſtatem ordinandi, ſtatuendi, diffiniendi omnia, & ſingula, quæ ſecundum Deum, & noſtri Ordinis obſervantiam utiliora eſſe viderint in eodem Capitulo ordinanda, ſtatuenda, diffinienda. Ea verò, quæ per eos, vel majorem partem ipſorum fuerint ordinata, ſtatuta, vel diffinita, ſine contradictione aliqua inter Perſonas, quas tangit negocium, inviolabiliter obſerventur. Nullatenus tamen poſſint Diffinitores abſque conſenſu ejuſdem Capituli Statuta, Conſtitutiones, vel Ordinationes de novo facere; ſive jam facta tollere, vel mutare; nec aliquam diſpenſationem perpetuam contra hujuſmodi Statuta concedere. Cæterùm prædicta Diffinitorum poteſtas, niſi in aliquibus caſibus multum arduis, & cauſa magna, quæ per priùs toti Generali Capitulo, vel ipſius duabus partibus multum evidens, & perutilis videatur; nullatenus poſſit tolli eiſdem.

Verùm finito Generali Capitulo, nullo modo prædicta poteſtate utantur: niſi in aliquibus caſibus, & certis diebus immediatè Capitulum ipſum ſequentibus poteſtas aliqua per idem Capitulum eiſdem ſpecialiter concedatur, Generali quoque durante Capitulo, Pater Generalis ampliorem poteſtatem non habeat, quam habet unus Diffinitorum, niſi in foro Conſcientiæ; poſſit tamen aliquid quaſi interloquendum dicere in rebus modicis, in quibus nulla videbitur dubitatio. Præterea dum publica tenebitur Capituli Generalis audientia, Pater Generalis, & Diffinitores, nullo alio inter eos ſedente, contigui ſedeant; obſervato inter eos ordine, qui ſervatur in ſeſſione Capituli Generalis. Verùm quicquid fuerit per Patrem Generalem, & Diffinitores ordinandum, ſtatuendum, vel definiendum, ſeu determinandum ante per aliquem ad hoc deſignatum in publica audientia totius Generalis Capituli proponatur, niſi talia ſint, quæ ibidem non deceat publicari. Quæ autem fuerint per eoſdem ordinata, ſtatuta, diffinita, ſeu determinata ultima die Capituli in eadem audientia per Patrem Generalem, ſeu per aliquem Diffinitorum, quem ipſe aſſignaverit, perlegantur. Omnia verò, quæ in Capitulo Generali fuerint tractata, dicta, ſeu determinata, in ſecreto penitus teneantur, donec ipſum Capitulum ſit finitum. Si tamen talia ſint, quæ utilitas petit, ſeu honeſtas admoner,

C In ſingulis de ſtat. Monach.

Ind. cap. in ſingulis.

net, ut in notitiam multorum non veniant; nullatenus aliquibus temporibus revelentur. Qui autem contrarium fecerit, debitè puniatur.

EXTRAVAGANS I.

Ex Decreto Sacræ Congregat. 5. Septem. 1687.

NOn possint eligi in Diffinitores Capituli Generalis, neque Patres Capituli Privati immediatè præcedentis Deputatis; neque aliquis omnium Visitatorum Generalium suam visitationem in dicto Generali Capitulo terminantium; qui similiter non poterunt eligi in Deputatos Capituli Privati triennio suæ visitationis: Nec denique ullus ex diffinitoribus Capituli Generalis immediatè præteriti; ut suorum munerum, & Officiorum possint residentiæ subjici, & rationem reddere. Quæ omnia à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium sunt approbata, & observari mandata.

EXTRAVAGANS II.

EX professis unius, & ejusdem Monasterii non possit esse, nec eligi nisi unus solummodo Diffinitor; neque Prior, & Procurator unius Monasterii, quamvis diversorum Monasteriorum professi, in Diffinitores simul eligi pariter valeant. Quoad Monasterium verò S. Bartholomæi remaneat in suo vigore, & vi Constitutionis dispositio: nempe, quod ultra Priorem, & Procuratorem eligi possit in Diffinitorem alter Monachus dicti Monasterii S. Bartholomæi, qui sit Persona notabilis, & discreta loco, & numero unius Procuratorum in Diffinitores eligendorum, prout in ipsa Constitutione disponitur.

EXTRAVAGANS III.

DIffinitores Capituli Generalis non possint in eo eligi in Visitatores Generales; nec exeant à Diffinitorio provisi aliis Officiis, & moneribus præter illa, quibus gaudebant, quando Diffinitores electi fuerunt; poterunt tamen eligi in Deputatos. Capituli privati. Hoc idem observetur in Capituli Privati Deputatis; videlicet, ut de aliquo Officio provideri non possint in eodem Capitulo.

EXTRAVAGANS IV.

PRocuratores Diffinitores habeant votum in electione Priorum Domorum novarum; cum non possint exire à Diffinitorio aliis Officiis provisi, sed dumtaxat cum eisdem, quibus ante electionem perfruebantur.

EXTRAVAGANS V.

IN sequenti Sabbato post electum, & confirmatum Patrem Generalem totus Ordo celebret Missam solemnem Defunctorum pro Catholico Rege Philippo II. fel. me.

EXTRAVAGANS VI.

Decret S. Congregat. 5. Septembris 1687.

PRocurator Monasterii S. Bartholomæi non sit Diffinitor ex necessitate, sed poterit eligi, si Electoribus id convenire videbitur; sicut declaratum fuit à Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium.

EXTRAVAGANS VII.

AD regulanda suffragia electionis Diffinitorum sint Scrutatores, & assistant simul cum Præside Capituli Pater Generalis immediatè absolutus, ac omnes, & singuli Visitatores Generales, aliquo verò, vel aliquibus illorum deficientibus, subrogetur, vel subrogentur Deputati Capituli Privati secundum suorum Monasteriorum antiquitatem. Visitator antiquior Castellæ publicet, & nominet electos in Diffinitores, & in absentia illius Socius Convisitator, & in utriusque defectu subsequens Visitator antiquior.

EXTRAVAGANS VIII.

ELigendi in Diffinitores debeant ad minus extitisse, vel Priores, vel Visitatores Generales, sive Lectores Jubilati, sive Prædicatores Regiæ Majestatis cum exercitio, vel Deputati Privati Capituli.

CONSTITUTIO VIII.

Quæ Ordinationes habebunt vim Legis in nostro Ordine.

In d. cap. in singulis.

TUnc censeantur omnino firma quæcumque Ordinationes, vel Statuta in Generali Capitulo facta, cum à duobus proximè sequentibus Capitulis expressè revocata non fuerint: interim tamen plenariè observentur. Idem quoque censemus de quacumque dispensatione ad relaxationem rigoris Ordinis pertinente alicui Monasteriorum, seu Personæ Ordinis per Capitulum Generale concessa, vel concedenda. Tamen libertates, & prærogativæ Monasterio S. Bar-

S. Bartholomæi in primo Generali Capitulo concessæ ita inviolabiliter serventur, prout commutatæ, & elargitæ ipsi sont ex Decretis Sacræ Congregationis successivo Brevi Apostolico confirmatis.

EXTRAVAGANS I.

Sac. Cong. Episc.&Regul die 30 September 1729.

UT omnis imposterum dubitatio in nostrarum Legum creatione, & observantia tollatur: Sac. Congreg. EE. & RR. S. R. E. Cardinalium negociis Episcoporum, & Regularium præposita statuit, & decrevit, quod perpetuis futuris temporibus P. Generalis, & Diffinitorium teneatur omnino proponere Ordinationes, vel Statuta quæcumque in nostro Generali Capitulo facta in duobus aliis proximè sequentibus Capitulis Generalibus: Et nisi, sicut præcipitur, proposita fuerint, hujusmodi Statura, & Ordinationes vim obligativam amittant.

Decret. S. C. 16. Decem. 1729.

Propositione facta, quæ revocata, & reprobata fuerint cum majori parte suffragiorum per secretum scrutinium, prorsus extincta remaneant; quæ verò similiter approbata, & confirmata fuerint in secundo immediatè sequenti Capitulo Generali, sine ulla intermissione observentur: atque iterum proponantur in tertio proximè sequenti Capitulo Generali, in quo si ita pariter approbentur, & confirmentur, omnino firma sint, & in Legem Extravagantem transeant.

Si verò Capitulum Generale in secunda, vel tertia propositione expediens judicaverit aliqua Statuta, & Ordinationes in præcedentibus Capitulis facta, diuturniori tempore esse probanda, ut ad Legem Extravagantem eleventur: sive censuerit, quod aliqua Statuta, vel Ordinationes observentur, absque eo quod teneatur in proximè sequentibus Capitulis procedere ad formandam Legem Extravagantem, tunc eadem Statuta, vel Ordinationes innovare, seu de novo facere poterit, atque ita noviter facta vim obligativam tantum habeant usque ad proximum sequens Capitulum Generale, atque in Actis capitularibus describantur, & publicentur; nunquam verò in Legem Extravagantem transeant, licèt pluries fuerint similiter innovata, nisi ulteriùs approbentur, & confirmentur in duobus proximè sequentibus Capitulis Generalibus, ut supra: atque ita Sac. Congregatio perpetuò, & inviolabiliter servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

EXTRAVAGANS II.

FIrmam vim Legis tantùm habeat, quod disponitur, & ordinatur in nostris Constitutionibus, Extravagantibus, & Ordinario. Rotuli verò Capituli Generalis, & Privati vim obligativam habeant, & observentur, quousque publicetur in Monasteriis Rotulus Capituli Generalis proximè sequentis: Literæ verò Visitatorum Generalium usque ad visitationem generalem immediatè sequentem observari debeant sub pœnis in illis contentis.

EXTRAVAGANS III.

DEclaratio nostri Ordinis Legum pertineat ad N. Capitulum Generale, aut ad Privatum, vel ad Patrem Generalem infra triennium inter Generale, & Generale Capitulum, qui consulatur, si aliquod dubium occurrat, & interim declaratio Prioris observetur. Nullæ tamen declarationes, vel interpretationes nostrarum Constitutionum, & Extravagantium à Capitulo Generali factæ vim Legis Extravagantis habeant, & assumant, nisi in duobus proximè sequentibus Capitulis Generalibus, ut supra, propositæ, & confirmatæ fuerint.

EXTRAVAGANS IV.

PAtribus Generalibus absolutis exemptiones sequentes conceduntur: Primò; In toto nostro Ordine quilibet Sacerdos duas celebret Missas pro singulis illorum ex hoc sæculo decedentibus; Qui verò Sacerdotes non fuerint, Missarum æquivalentiam, ut dicitur, nempe Vesperas cum Nocturno, & laudes defunctorum dicere debeant.

Secundò. Liberi sint, & exempti ab onere Missarum Communitatis, & à quocumque alio Officio, præterquam Prioris, aut Deputati.

Tertiò. Assistere choro, nisi fuerint Priores, non teneantur.

Quartò. Ad Capitula Generalia, & Intermedia possint personaliter convenire, in eisque vocem activam, & passivam intervenientes habere.

Quintò. In omnibus locis præcedant quibuslibet Monachis, & Prioribus Ordinis, excepto Priore, cui subsunt,

ſunt, & Viſitatoribus Generalibus, vel ſpecialibus, Confirmatoribusque in actu viſitationis, & confirmationis Monaſteriorum, ubi reſideant.

Sextò. Poſſint tam ad prandium, quàm ad cœnam in communi Refectorio Conventus, vel in deſignato pro Infirmis comedere, vel ubi ipſis magis commodum fuerit: & in Refectorio communi in menſa principali ſedeant, vel ubi ipſis magis commodum videatur.

Septimò. Ipſis deſignetur Socius in neceſſariis miniſtraturus tam in cellis, quam extra Monaſterium progredientibus.

Octavò. Eorum cella eodem modo, ac cella Prioris ſit privilegiata, & inſuper ingredi poſſint in alias cellas cum omnibus aſſociatis.

Nono. Si in propriis ſuæ profeſſionis Monaſteriis commorentur, in communi Refectorio, ſicut Perſona Prioris, tractari debeant; extra illud verò tam ad prandium, quàm ad cœnam extraordinarium ipſis tribuatur: & inſuper egreſſuris à Monaſterio Socius, & Mulæ pro ipſis parentur, ut decore, & auctoritate debitis à Monaſterio egrediantur.

EXTRAVAGANS V.

PAtribus Lectoribus actualiter legentibus, & Jubilatis exemptiones ſequentes conceduntur: Primò; Ad onus Miſſarum pro Communitate non teneantur.

Secundò. Ad nullum Officium in tabellis communibus deſignentur.

Tertiò. Gaudeant, & vocentur titulo Paternitatis.

Quartò. Eorum cellæ ſint jubilatæ, & ingredi poſſint in aliorum Monachorum cellas, horis ſilentii exceptis: præterea ipſis deſignetur Socius pro aſſiſtentia in dictis cellis.

Quintò. Choro aſſiſtere non teneantur, niſi in Feſtis principalioribus à Priore ſecundum conſuetudinem Monaſterii celebrandis, in quibus primis, & ſecundis Veſperis, Proceſſioni, & Miſſæ intervenire debeant. Ad Matutinum verò primis diebus tribus Natalis, Reſurrectionis Domini, & Pentecoſtes, die Epiphanæ, Aſcenſionis, & Corporis Domini, Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, S. P. N. Hieronymi, omnium Sanctorum, Commemorationis Defunctorum, Patroni, vel Titularis Monaſterii, aut Collegii, & in triduo majoris Hebdomadæ: Præterea Sabbato ad Completorium, Vigilia Nativitatis Domini ad Primam, Dominica Pentecoſtes ad Tertiam, & in die Aſcenſionis ad Nonam accedant.

Sextò. Actuales Lectores legere non teneantur, niſi usque ad Pentecoſtem, impoſterumque ab illo die pro ipſis legant ſubſtituti, qui poterunt eſſe Paſſantes.

Septimo. Poſtquam duodecim annos in Lectura Philoſophiæ, & Theologiæ in noſtris Collegiis compleverint, cæteris requiſitis obſervantiæ, Religionis, & integritatis concurrentibus, Jubilati exiſtant, & declarentur, omnibusque ſupradictis exemptionibus perfruantur: dummodo tamen ex debito Officiorum Ordinis, ſi quæ ipſi habeant, puta Prioris, Vicarii, aut aliorum aſſiſtentiæ chori, & communitatis non teneantur.

EXTRAVAGANS VI.

PAtres Vicarii Generales, qui exercitè Ordini, Sede vacante, præfuerunt, iisdem gaudeant exemptionibus, quibus Lectores Jubilati, excepto tamen, quod Miſſas pro Communitate celebrare teneantur.

EXTRAVAGANS VII.

MOnachis, qui quatuor munera, ſeu Dignitates obtinuerunt, & compleverunt, ſerventur exemptiones ſequentes: nimirum, quod non teneantur accedere ad Matutinum media nocte, niſi in Feſtis ſolemnioribus celebrandis à Priore; nec pariter ad aliquam Horam canonicam diebus ferialibus, & ſimplicibus per totum annum.

Munera autem, ſeu Dignitates ad has exemptiones lucrandas ſunt Prioratus Domus electionis, aut Collegii, vel hujus Rectoratus integrè completus; Diffinitor Capituli Generalis; Viſitator Generalis, qui in Regnis Caſtellæ duodecim ad minùs Monaſteria, in Bœticæ Regnis decem, & in Aragoniæ ſex, exercitè viſitaverit; Secretarius Generalis, & Procurator Generalis.

EXTRAVAGANS VIII.

MOnachis triginta annos à receptione habitûs habentibus ſervari debeant exemptiones in ſingulis Monaſteriis conſuetudine, & praxi introductæ, & ob-

observatæ : ad quas lucrandas Vicariis, Novitiorum Magistris, & Correctoribus cantus ultra annos habitus superaddantur illi, quibus hæc Officia obtinuerunt.

EXTRAVAGANS IX.

PAtribus Prædicatoribus Regiæ Majestatis Residentibus in Curia in prædicationis hujusmodi exercitio serventur sequentes exemptiones.

Primò. Teneantur Monasteria suæ professionis vestiarium ipsis tribuere, nec non alimenta juxta taxam in Capitulo Generali præscribendam.

Secundo. Habeant vocem in omnibus sui Monasterii, atque ad Prioris electionem, etiam extra vigintiquinque leucas commorantes, citari debeant.

Tertiò. Post quatuordecim annos in hujusmodi exercitio prædicationis sint Jubilati cum his exemptionibus : nempe non teneantur ad Chorum, nisi in Festivitatibus majoribus à Priore celebrandis ; Ab onere Missarum Communitatis sint omnino liberi ; Non legantur, nec designentur ad aliquod Officium in tabellis ; Et denique gaudeant titulo Paternitatis. Prædicatores verò Regiæ Majestatis, qui in propriis Monasteriis residentes singulis annis tres saltem sermones in Regia Basilica, sive ad suæ Majestatis Consilia, vel alibi prædicant in Curia, post dictos quatuordecim annos omnibus dictis exemptionibus gaudeant.

CONSTITUTIO IX.

De Misericordiis, quæ demandari debent in Capitulo Generali.

MIsericordiam sibi fieri antequam ad alia in Generali Capitulu procedatur, Prior S. Bartholomæi, flexis genibus, coram Diffinitoribus in eodem Capitulo publicè, ac humili verbo petat. Cui primò sedens unus de Diffinitoribus dicat : Quæ est misericordia, quam petitis ? Et tunc dictus Prior respondeat : Peto, ut absolvatis me ab onere hujus Prioratus, quem indignus guberno ; quia ad illum regendum insufficientem me reputo. Cui respondeat Diffinitor, dante Domino, delibe-rabit Ordo, utrum vestra petitio sit admittenda, vel ne : vobisque imposterum respondebit ; Surgatis ergò, & ad vestrum locum redeatis. Per eundem quoque modum successivè faciant alii omnes, & singuli Priores in eodem Capitulo consedentes, incipiendo à primo sedentibus, seriatim id petendo : quibus Prior S. Bartholomæi sigillatim respondeat, prout sibi fuit responsum. Super hujusmodi autem misericordiis cum Prioribus, (ut prædicitur,) faciendis videant Diffinitores, Generali durante Capitulo, cum grandi, maturaque deliberatione ; præhabitis, si sit opus, veris informationibus. Quas utique misericordias ultima die Capituli faciant, cum quibus viderint expedire, utilitate, ac honestate Ordinis, & Monasteriorum attentis potiùs, quàm Personarum favore ; super quo eorum conscientias oneramus. Itaque prædicta ultima die, antequam aliquid aliud pronuncietur ibidem, cuilibet Priorum absolvendorum per unum de Diffinitoribus ordine prædicto in scriptis respondeatur publicè, sic dicendo : circa misericordias per Priores petitas Ordo deliberavit, & diffinivit modo, qui sequitur, videlicet : N. Priori talis Monasterii Ordo facit misericordiam, quam petiit. N. Priori talis Monasterii Ordo facit misericordiam, quam petiit : ipsosque absolvit à Prioratibus, quos habebant, & sic fiat de aliis Prioribus, etiam absentibus quibuscumque, quibus misericordia hujusmodi fuerit facienda. Aliis autem, quibus non fiet misericordia, dicatur : quod suo, sicut ante, utantur Officio. Præterea, si Pater Generalis, & Diffinitores super facienda absolutione alicujus Prioris se in partes æquales diviserint, petant à Generali Capitulo Personam aliquam sibi dari, quæ pro determinatione concordet parti, quam æstimat saniori ratione moveri. Hoc idem etiam observetur in quibuscumque aliis negociis Generalis Capituli, in quibus similis occurret dissensio. Si autem hoc in Capitulo contingat Privato, ipsi de Capitulo hujusmodi Personam sibi eligant, quæ similem, (ut præfertur,) unà cum ipsis habeat potestatem. Præterea, dum tractandum fuerit aliquid in speciali de aliquo Priore, vel Monacho, aut de Domo, cujus est Prior, vel Monachus : hoc tractetur, & determinetur ipso, quem, vel cujus Domus negocium tangit, absente. Qui verò remanserint, sint Judices in causa illius absentis, vel Domus ejus. Sanè qui fuerint à Prioratibus absoluti, seu privati, ad eosdem Prioratus illa vacatione nequeant eligi, vel assumi.

EXTRAVAGANS UNICA.

PRiores, quibus ex dispositione hujus Constitutionis facienda erit misericordia, & à Prioratibus absolvendi sunt, priùs vocati, vel personaliter, vel per suos Procuratores in Diffinitorio audiantur; illisque notificentur causæ, & rationes ad suam absolutionem, & misericordiam faciendam Diffinitores moventes; quibus si dicti Priores plenè non satisfecerint: PP. Diffinitores ipsos hortentur, ut sponte renuntient, liberéque cedant Prioratibus; & si secus fecerint, ad misericordiam sine strepitu judiciali procedatur.

CONSTITUTIO X.

Quomodo eligi debeant Deputati Capituli Privati, & de eorum facultate, & quomodo removeri poterunt.

AD tenendum Capitulum Privatum, quoties illud intra triennium teneri oporteat, Pater Generalis, & Diffinitores, sua præhabita deliberatione matura, assignent in ultima die quatuor Personas nostri Ordinis, Priores, vel Monachos, aut mixtim ex utrisque, discretas, à Monasterio, in quo residet Pater Generalis, non multum remotas. Quod quidem Capitulum teneatur ad dispositionem Patris Generalis, pro negociis videlicet, quæ sibi multum ardua videantur, aut quæ absque dispendio non patiuntur moram usque in futurum Capitulum Generale. Qui utique assignati omnino veniant, cum per prædictum Patrem Generalem fuerint evocati; Si tamen vocati, seu eorum aliqui sint infirmi, aut alio justo Impedimento detenti, causam hujusmodi prædicto Patri Generali notificent; quo casu ipse loco illius, vel illorum, ut prædicitur, impeditorum alium, vel alios eligat, prout viderit expedire. Idem faciat, si aliquis, vel aliqui eorum, vel omnes sint rebus humanis exempti; vel secundum judicium suum sint nimis in remotis locis occupati. Attendat tamen Pater Generalis, quod Visitatores, seu Confirmatores Generales, vel speciales, aut Personas pro Capitulo Privato, sive pro quibuslibet aliis negociis assignatas à Generali Capitulo non mutet ex eo, quià prædicti assignati mutaverint statum suum; utpotè si ille, qui erat tempore Generalis Capituli Prior, postmodum non sit Prior: aut è contrario; sed oportebit, quod alia justa, & rationabilis causa ad hujusmodi mutationem, si quam oporteat facere, eum moveat. Prætereà quæcumque fuerint ordinata, seu diffinita per jam dictum Privatum Capitulum, quoties, ut præmittitur, fuerit congregatum; firma, & valida in toto nostro Ordine teneantur. Si quæ verò per idem Privatum Capitulum fuerint minus benè ordinata, seu diffinita, per sequens Generale Capitulum debitè corrigantur.

EXTRAVAGANS I.

DEputati pro Capitulo Privato eligantur per scrutinium, & per schedulas secretas à Patre Generali, & octo Diffinitoribus, itaut Electus quinque suffragia ex novem habere debeat.

EXTRAVAGANS II.

PAter Generalis non possit removere aliquem ex designatis pro Capitulo Privato sinè consilio, & consensu Visitatorum Generalium Regnorum Castellæ; super quo strictè eorum conscientiæ onerantur; neque possit removere Visitatorem Generalem assignatum à Capitulo Privato sinè consensu Capituli Privati Deputatorum.

EXTRAVAGANS III.

IMposterum Pater Generalis non possit removere Visitatores assignatos à Capitulo Generali sinè consensu Capituli Privati.

EXTRAVAGANS IV.

SI contingat, quod moriatur, aut impediatur aliquis ex Visitatoribus Generalibus, non possit Pater Generalis nominare, neque in ejus locum eligere Visitatorem sinè consensu Capituli Privati; nisi solùm remaneant visitanda quatuor, quinque, aut sex Monasteria. Verùm ne visitatio incœpta in aliquo Monasterio detineatur: si alter Visitatorum graviter ægrotaverit, vel mori contingat; Convisitator ex Monasteriis propinquioribus Socium debita requisita habentem nominare possit pro visitatione incœpta perficienda, & prosequenda in uno, vel duobus aliis Monasteriis. Si tamen infirmitas fuerit diuturna, aut Visitator obierit: statim Convisitator notificet Patri Generali, ut de Visitatore, ut supra provideat.

EXTRAVAGANS V.

NOn celebretur Capitulum Privatum post congregatum Capitulum Generale

tale

rale in Monasterio S. Bartholomæi, nisi urgente gravi, & extrema necessitate; & tunc nullus inhabilitetur: quin priùs vocetur, & audiatur: aliàs inhabilitatio invalida sit, nullumque habeat effectum.

Constitutio XI.

De electione, & facultate Visitatorum Generalium.

Cap. in singulis de Stat. Monach.

CErtas Personas in Generales Visitatores Personarum, & Domurum nostri Ordinis constitutas in Sacris, Deum timentes, discretas, & sanctæ Religionis zelum habentes, Pater Generalis, & Diffinitores, diligenti deliberatione præhabita, in ultima die Capituli Generalis publicè in eodem Capitulo nominent, & assignent, qui Personas, & Monasteria Ordinis eisdem assignata infra triennium visitent, in tertio videlicet anno suæ assignationis, quam utique visitationem faciant secundum formam traditam in quadam nostra Constitutione infrascripta. Cæterùm nullus Visitator suum visitet Convisitatorem; sed possit tantùm informationes recipere, & quatenùs opus sit, ad Patrem Generalem transmittere, ut provideat. Neque Visitatur aliquis visitet Domum, cujus est Professus: donec habet facultatem redeundi ad Domum, suæ professionis; sed loco illorum, qui, ut præfertur, visitare non debent, assignentur prædicta ultima die, & in eodem Capitulo alii Visitatures ad hujusmodi visitationem speciales. Habeant autem omnimodam, & plenariam potestatem emendandi, & corrigendi negligentias, & excessus tàm Priorum, quàm Monachorum Ordinis nostri post visitationem proximè præteritam contingentes. Si autem negligentiæ, seu excessus correctione indigentes, qui antè hujusmodi visitationem præteritam contigerunt, Visitatores præteritos latuerunt; tunc Visitatores præsentes possunt, & debent talia corrigere, & proùt expedit, emendare. Nullam tamen possunt facere Constitutionem, seu Ordinationem de novo, quæ communem Ordinis statum concernat; nec Monachorum Domus visitatæ, nisi de Prioris, (aut Priore absente,) Vicarii licentia confessiones recipiant. Nec prætextu suæ potestatis aliquem à suo Prioratu, nisi de speciali licentia Capituli Generalis, vel Patris Generalis, absolvant, nisi in casibus infrascriptis: videlicet pro hæresi, pro simonia manifesta, pro carnali immunditia, pro dilapidatione bona Monasterii enormiter alienando, pro furto, homicidio, gravi sortilegio, solemni perjurio, pro conspiratione, hoc est, cum aliquibus malitiosa concordia ad obviandum Ordinis disciplinæ, aut statutis Capituli Generalis. Si fuerit falsarius Literarum Domini Papæ, aut Cardinalium, aut Principum, aut Episcoporum, vel Priorum nostri Ordinis. Si contra communia nostri Ordinis instituta gratias, aut privilegia impetraverit, vel retinuerit, vel uti præsumpserit. In quibus casibus, facta hujusmodi absolutione, electioni celebrandæ novi Prioris intersint; & ipsam confirment, aut infirment. Nullatenùs tamen ipsorum Visitatorum aliquis eligi poterit in hoc casu, nec alio quocumque modo vacaverit, nisi morte, vel triennii elapsu: nec dicti Visitatores recipere possint renunciationem alicujus Prioratus absque speciali potestate Capituli Generalis sibi ad hoc specialiter concessa: nec ab ipsa Domo discedant, priusquam sit illi de Prio e provisum. Sanè si persona electa ab eodem Monasterio longè distet: & interim prædictos Visitatores ibidem moram trahere foret nimis damnosum, suæque visitationis impedimentum; tunc ipsi dent Confirmatores illius electionis non multum remotos; & illi, cum fuerint vocati, teneantur ad illam Domum illicò pervenire: & ea, quæ ad Confirmatorum pertinent officium, exequi, neque ab illa Domo animo non reverten di recedant; donec illi de Priore provideant. Quod si prædictis Visitatoribus meliùs, & faciliùs videatur, quod ipsimet ad dictam Domum tempore congruo revertantur: tunc Confirmatores alios non assignent, sed ipsi hujusmodi electionis, & confirmationis negocium modo debito exequantur. Ad hæc: quocumque casu viderint expedire, possint præfati Visitatores Priorem suspendere ab officio, & administratione Prioratus ad tempus, vel usque ad Capitulum Generale; & hujusmodi absolutionem, seu privationem, si quam fecerint, primus Patri Generali in scriptis notificent; ut idem hujusmodi negocia sciat, & si oporteat, provideat in eisdem. Præfatam quoque potestatem confirmandi, vel infirmandi electiones habeant Generales Visitatores in Prioratibus Domorum suæ visitationis, quo tempore, quo in eisdem Domibus generalem suam visitationem exercent, etiamsi aliàs, quàm per privationem vacare contigerit.

Cap. in singul. & Cap. seqq. de Stat. Monach.

Cap. ad habendam de Hæretic.

Cap. de hoc autem & Cap. insinuatum de Simon.

Cap. ad audientiam & Cap. licet regimen de crimine fals. Cap. ea quæ de Stat. Monach.

EXTRAVAGANS I.

Officia, quæ providentur à Diffinitoribus, qualia sunt Visitatorum Generalium, Deputatorum Capituli Privati, & Priorum novarum Domorum, conferantur per electionem cum scrutinio, & non per compromissum; idemque servetur in Privato Capitulo.

EXTRAVAGANS II.

Mandatum commissionis traditæ Visitatoribus Generalibus sit subscriptum à Patre Generali, & ab omnibus Diffinitoribus, remaneatque, & conservetur apud Patrem Generalem: quousque tempore visitationis adveniente, dictis Visitatoribus cum sigillis ab ipso consignetur.

EXTRAVAGANS III.

Sex eligantur Visitatores Generales sub hac forma, nimirum: duo pro visitandis Monasteriis in Regnis Castellæ, & Legionis constitutis; duo alii pro existentibus in Provincia Bœticæ visitandis simul cum Monasteriis B. Mariæ de Gnadalupe, S. Catharinæ Talabricensis, & S. Hieronymi de Yuste: prout hucusque practicatum fuit; & duo pro Monasteriis Regnorum Aragoniæ unà cum Monasterio de la Nora, & Caravaca visitandis, quorum alter Monasteriorum dictorum Aragoniæ Regnorum professus esse debeat.

EXTRAVAGANS IV.

Persona Patris Generalis à Visitatoribus Generalibus Castellæ generaliter visitetur interim, quo celebratur Capitulum Generale, & quidquid resultaverit ex dicta visitatione contra Personam Patris Generalis, consignetur Diffinitoribus, qui illud pronuncient in Diffinitione. Quod authoritate Apostolica confirmatum est.

Clem. VIII. 11. Jan. 1594. Paul. V. 1. Sept. 1605.

EXTRAVAGANS V.

Pater Generalis Visitatoribus Generalibus aliquod Monasterium, aut Monasteria suæ visitationis, aut designationis non anferat; neque etiam in ipsis Monasteriis casum, aut casus aliquos Visitatoribus limitet: nec Personam, aut Personas ab eorum generali visitatione reservet.

EXTRAVAGANS VI.

Patres Visitatores Generales signa faciant consueta Monachis serò venientibus ad Chorum, eorumque excusationes recipiant, licentiasque concedant indè egressuris: idemque omninò fiat tardè ad Refectorium accedentibus: alias tamen signa faciant Priores. Quoad verò locum in Choro, vel in Refectorio Priores semper præcedant Visitatoribus, atque ita ad gratias servetur.

EXTRAVAGANS VII.

Ipso facto, quo Visitator Generalis acceptat aliquem Prioratum, absque alia renuntiatione vacet Officium visitationis generalis.

EXTRAVAGANS VIII.

Visitatores Generales non possint eligi in Priores, nec in Procuratores Capituli Generalis in Monasteriis sui Territorii, nisi in proprio suæ Professionis.

EXTRAVAGANS IX.

Visitatores Generales, nedum Monasteria suæ professionis visitare non possint, ut Constitutio disponit: verùm nec ea, ubi in triennio suæ visitationis, tanquam Subditi, aut Superiores vixerint.

EXTRAVAGANS X.

Eligendi in Visitatores Generales debeant præcisè Diffinitores Generales, vel Capituli Privati Deputati, aut Priores Monasteriorum electionis, & Collegiorum, vel Lectores Jubilati, aut Prædicatores Regiæ Majestatis in exercitio extitisse.

EXTRAVAGANS XI.

Visitatores Generales possint in sua visitatione quemcumque Priorem propter ejus diuturnam infirmitatem actualem, vel habitualem vitam communem sequi, actibusque Communitatis regulariter assistere impotentem à suo Prioratu absolvere.

EXTRAVAGANS XII.

Visitatio Generalis fieri non possit à Patre Generali, sed unicè à Visitatoribus Generalibus in Capitulo Generali nominandis, ut in Constitutione disponitur, & hactenùs observatum fuit:

S. Cong. Episc. & Regular. 12. Nov. 1693.

sicut

ficut Capitulum Generale MDCXCVI. refolvit ex commiffione Sac. Congregationis Epifcoporum, & Regularium.

CONSTITUTIO XII.

De affiftentia P. Generalis in Monafterio S. Hieronymi à JEfu Abulenfi.

NOn exeat Pater Generalis extra Monafterium S. Hieronymi à JEfu de Abula, ubi eft affignata ejus refidentia à Religione, approbata à Sacra Congregatinne, & confirmata à Ven. Innocentio XI. die 22. Novembris anno MDCLXXXVIII., ad locum, feu partes aliquas ultra quinque leucas ab eodem diftantes; nec etiam intra eafdem ad Villam aliquam accedat; nifi in cafu multum neceffario, in quo, fi non iret, maximum damnum Religioni in Perfonis, vel in rebus verifimiliter immineret. Quem utique Patrem Generalem hortamur in Domino; ne etiam infra dictas quinque leucas extra dictum Monafterium, in quantum poterit commodè, exire frequentet; ut in Monafterio pro expediendis negociis Ordinis facilius valeat inveniri.

EXTRAVAGANS I.

JUfta etiam caufa interveniente, Pater Generalis non exeat à Monafterio fuæ refidentiæ ultra quinque leucas in Conftitutinne præfcriptas absque confilio Capituli Privati Deputatorum, vel faltem duorum ex illis illuc ad id accedere debentium.

EXTRAVAGANS II.

Dec. S. C. 5 Sept. 1687.

AD congruam fuftentationem Patris Generalis, Monachorumque ejus affiftentiæ defignatorum concurrat Collegium Abulenfe fecundum illius poffibilitatem: reliquum verò à cunctis Ordinis Monafteriis perfolvi debeat propontionaliter per æs, & libram juxta uniuscujusque redditus, prout à Sac. Congregatione Epifcoporum, & Regularium decretum fuit, & impofterum obfervari mandatum.

EXTRAVAGANS III.

ARchivium noftri Ordinis exiftat in dicto Collegio Abulenfi, ubi refidet Pater Generalis: duasque claves habeat quarum unam Pater Generalis, & Generalatu vacante, Prior, vel Vicarius Præfes dicti Monafterii; alteram Secretarius Generalis, eoque vacante, vel abfente, Secretarius fecundus habeat. A dicto verò Archivio nullatenus poffit extrahi aliquod inftrumentum, Bulla, Actorum liber, proceffus, feu quodlibet aliud in ipfo archiviatum, & cuftoditum finè licentia in fcriptis dicti Patris Generalis, feu Vicarii Generalis, Sede vacante, relictaque in eo cautinne ab extrahente fubfcripta fuper reftitutione inftrumenti ab ipfo extracti. In dicto autem Archivio ferventur omnes proceffus criminoforum Monachorum, donec è vivis exceflerint: licèt delictum tantummodo fit femiplenè probatum; poft mortem verò inquifitorum, vel condemnatorum fervetur confuetudo antiqua cremandi Proceffus omnes criminales refpectivè.

CONSTITUTIO XIII.

De facultate Patris Generalis, & de remedio Monafterii, quod ab illo fuerit gravatum.

HAbeat Pater Generalis infra triennium, videlicet inter Capitulum, & Capitulum Generale plenariam, & omnimodam poteftatem, quam habet Capitulum Generale. Nec poteftas hujusmodi alteri committatur, nifi in certo, aut certis articulis ex aliqua rationabili caufa, & ad certum tempus de confenfu dicti P. Generalis, omniumque Diffinitorum contingat aliter ordinari. Verùm tamen ftatuta per Generale Capitulum facta idem Pater Generalis revocare non poffit; nec de novo aliqua facere, quæ factum Ordinis commune concernant. Caveat quoque, ne in difpenfationibus circa Conftitutiones Ordinis faciendis poteftatem fibi conceffam excedat: nec eadem poteftate ullatenus abutatur; imò Deum femper habendo præ oculis, favore, odio, & quolibet alio impedimento poftpofitis; fe viriliter, & virtuosè in omnibus exercendo, bonam honeftatem, & decentem noftræ Religionis obfervantiam femper, & ubique oftendat; alioquin per Generale Capitulum veniet puniendus. Quod fi aliqua Domus noftra per eum fe fentit intolerabiliter pergravari; fupplicet fibi, quod defiftat à tali gravamine. Quod fi renuerit, Domus, quæ damnum timet, fignificet hoc pro Privato Capitulo Deputatis: at illi à die requifitionis usque decem dies, expenfis Domus vocantis, ad Monafterium, ubi refidet Pater Generalis, ad Privatum Capitulum tenendum conveniant: & fi quod invenerint gravamen, removeant: fi autem gravamen tolerabile vi-

derint, conquerentes ipsorum arbitrio castigentur. Est enim intentionis nostræ, quod parvum, aut mediocre incommodum propter bonum obedientiæ toleretur.

EXTRAVAGANS I.

PAter Generalis non possit Romam scribere in rebus pertinentibus ad totum Ordinem sinè consensu Capituli Generalis, aut Privati. Et noster Ordo habeat Protectorem, & Procuratorem in Curia Romana.

Insuper Monachi, qui necessitatem habuerint scribendi Patri Generali non dicant, Domine, nec Domine Pater: sed tàm in literis, quàm in nostris locutionibus dicatur, & appelletur noster P. Generalis, & non Generalis tantùm; idemque observetur à Monachis cum suis Prioribus.

EXTRAVAGANS II.

SI contingat, (quod Deus avertat:) Patrem Generalem facere, aut tractare aliqua in præjudicium, & damnum Ordinis; quicumque illius Monachus possit liberè scribere Deputatis Capituli Privati, aut cuilibet illorum sumptibus Ordinis; sicut in rebus ad proprium Monasterium S. Bartholomæi pertinentibus quilibet Monachus illius poterat habere recursum ad Visitatores Generales juxta nostras Constitutiones antiquas, quando Prior ejusdem Monasterii S. Bartholomæi erat simul Generalis totius Ordinis.

EXTRAVAGANS III.

PAter Generalis non possit ponere Præsidentes in Monasteriis professionis, etiam vacantibus Prioratibus.

EXTRAVAGANS IV.

FOrmetur liber Secretariæ, in quo scribantur omnia decreta, dispensationes, causæ, & justificationes illarum; & Pater Secretarius Generalis teneatur dictum librum præsentare coram Patre Generali, & Diffinitorio subsequenti; ut videatur rectitudo dictarum dispensationum. Id ipsum observetur in sententiarum tàm à Paternitate sua, quàm à Visitatoribus, vel Judicibus Ordinis legitimè promulgatarum, dispensationibus ab ipso Patre Generali concessis.

EXTRAVAGANS V.

PAter Generalis nullum possit eximere Monachum ab obedientia immediata suorum Priorum, nec à præceptis, & censuris, prout de jure, & nostris Constitutionibus ab ipsis suis Monachis impositis; vel in eis dispensare, sive in his, quæ pertinent ad relaxationem Regularis observantiæ, & Constitutionum Ordinis, sinè legitima, & justa causa coram illo probanda; qua constet de manifesto gravamine, aut excessu Priorum; neque pariter valeat ad se avocare causas dictorum Monachorum in prima instantia à suis Prioribus de jure cognoscendas; nisi in gradu recursus, aut appellationis à diffinitiva, vel interlocutoria vim diffinitivæ habente. In casu verò manifestæ omissionis, & negligentiæ Priorum in causis inchoandis, prosequentis, & diffiniendis: cum delicta fuerint publica; dictus Pater Generalis Priorem, vel Priores de sua omissione, & negligentia arguere debeat; & quatenùs opus sit, compellere possit, ut in dictis causis procedant, ipsis designato termino competenti ad illarum definitionem; intra quem, si dicti Priores negligentes fuerint; possit ad se avocare causas prædictas, de illis cognoscere, easque deffinire per se, aut suos Visitatores; dictosque Priores de hujusmodi omissione, & negligentia punire.

EXTRAVAGANS VII.

PAter Generalis liberum relinquat Prioribus regimen, & gubernium suorum Monasteriorum, quod ad ipsos immediatè spectat: reservato, tamen in omnibus recursu ad eundem P. Generalem; ut decrevit Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium pro Monasterio S. Bartholomæi: Neque Pater Generalis ponere, & removere possit Officiales in Monasteriis: exceptis Officialibus in Domibus novis. Quoad verò remotionem, sinè prævio ad illum recursu, & causæ cognitione auditis Partibus, præcipere nequeat Prioribus, ut ab Officiis removeant Vicarium, Magistrum Novitiorum, Lectores Scripturæ, Procuratores, Depositarios, aliosque Officiales à dictis Prioribus simul cum suis Capitulis, vel Deputatis electos provisos; quatenùs verò ipsi Patri Generali, ut supra constiterit, quod in aliquibus Monasteriis non fuerint debitè, & legitimè Officiales prædicti electi, aut quod Officia fuerint provisa de Per-

S. Cong. Episc. & Regul. 5. Sept. 1687.

Personis indignis, aut malæ administrationis: tunc poterit cogere Priores, ut provisos removeant; & de Personis dignis provideant; & si Priores non obtemperaverint, contra illos procedat cum remediis facti, vel juris.

EXTRAVAGANS VII.

PAter Generalis rigorosè procedat in dispensandis mandatis, & pœnitentiis à Judicibus Ordinis impositis, ne nimia indulgentia occasio iterandi culpas existat: quarè si aliqua dispensatio ab ipso fuerit concedenda, priùs à Judicibus informationem accipiat, ut per eam ex ipsis intelligat: An conveniat, vel non talem dispensationem, & misericordiam concedere? itaut dispensationes semper ab ipso fiant cum causæ cognitione.

EXTRAVAGANS VIII.

Gregor. XIV. Const. Circumspecta 15. Martii 1590.

SErvato, ut par est, tenore motûs proprii Gregorii XIV. dictus Pater Generalis non possit dispensare cum Illegitimis ad Officia Prioris, Vicarii, aliarumque nostri Ordinis dignitatum, nisi cum Generali, vel Privato Capitulo; excepto tamen si Capitulum Generale aliquas designaverit Personas, facultate ipsis concessa ad faciendum simul cum P. Generali hujusmodi dispensationem, ut in dicto motu proprio statuitur: declarando insuper ad quamlibet dignitatem Vicarii, Prioris, Visitatoris, aut Diffinitoris novam requiri gradatim dispensationem in dictis Illegitimis.

EXTRAVAGANS IX.

PAter Generalis liberas omninò relinquat electiones nostrorum Monasteriorum, neque impediat à Vocalibus eligi quemlibet Monachum habentem conditiones, & qualitates à jure, & nostris Constitutionibus requisitas.

CONSTITUTIO XIV.

Quomodo Monachus poterit mutari ad aliud Monasterium.

MUtare Monachum aliquem invitum ad locum alium, seu Monasterium aliud in perpetuum, nec Pater Generalis intra triennium, nec etiam Diffinitores in Generali Capitulo, neque Visitatores in sua visitatione valebunt; nisi ejus demerita evidenter hujusmodi mutationem exposcant; super quo eorum conscientias oneramus. Verùm tamen propter novi Monasterii fundationem, aut aliam rationabilem causam possint dictus Pater Generalis inter triennium, aut Diffinitores in Generali Capitulo, unâ cum dicto Generali, talem mutationem facere, dumtaxat usque ad sequens Capitulum Generale: observato semper, ne fit mutatio Monacho, aut Domui, cujus est professus, majus damnum; quam commodum Domui, ad quam mittitur, ex hujusmodi motatione sequatur. Si autem Monachus aliquis voluerit à Patre Generali licentiam petere ad aliud nostri Ordinis Monasterium transeundi, illud suo priùs Priori notificet. Qui quidem Prior informationem, vel intentum suum Patri Generali transmittat; ipse autem Pater Generalis, tali informatione, vel intento præhabito, ex causa legitima, quæ sibi videbitur, hujusmodi licentiam dare possit.

EXTRAVAGANS I.

PAter Generalis non mittat Monachos fugitivos, vel quibus imposita fuerit pœnitentia, ad Monasteria nova; & si missi fuerint, non habeant vocem in Capitulo.

EXTRAVAGANS II.

MOnachi, qui ire ad alia Monasteria ex levitate procurant, disciplinæ Magistri subsiot; neque exeant ab eo Monasterio, ad quod mittuntur, usque ad sequens Capitulum Generale, & servent silentium. Illi verò, qui ob suas culpas mittuntur ad talia Monasteria, ultra pœnas eis impositas, servent silentium cum omnibus; illis exceptis, quos Prior eis designaverit.

EXTRAVAGANS III.

PAter Generalis, justâ causâ interveniente, & præhabita informatione à Monachis Religionis zelo, morumque honestate optimè commendatis, possit, prout ipsi magis expedire videbitur, transferre cum Patentibus simplicibus Monachos de uno in aliud Monasterium; dummodò tamen quoad vocem in electione Prioris Monasterii professionis habendam, serventur statuta Ordinis cum Monachis sic translatis. Possit verò tàm Monachus, quàm illius Prior ante exequutionem dictæ simplicis Patentis Patri Generali repræsentare rationes, seu causas legitimas, si quas habuerint, ut suspendatur exequutio; quibus auditis, decernat Pater Generalis, prout ipsi magis expedire videbitur: cui obedire omninò teneantur.

EXTRAVAGANS IV.

MOnachi ita translati de uno Monasterio ad aliud per simplicem Patentem Patris Generalis teneantur facere in scriptis coram Priore Monasterii inventarium, omnium suppellectilium, & mobilium, quæ secum transferunt; & pariter cum ad propria Monasteria redierint, omnium rerum, & utensilium, quæ secum portant.

EXTRAVAGANS V.

MOnacho translato de uno in aliud Monasterium cum debita licentia, ut ipsi inserviat in aliquo Ministerio, teneatur dictum Monasterium omnes itineris expensas, tam in transitu, quàm in reditu ad proprium Monasterium facere, & persolvere, prout ex consuetudine generali Ordinis hucusque servatum fuit.

CONSTITUTIO XV.

Quando tenebitur Prior epistolas suorum Monachorum transmittere ad P. Generalem.

SI proclamatorias literas, seu denunciatorias de Priore suo, vel Conventu, aut de aliquo, seu aliquibus singularibus Personis illius Domus, cujus est professus, aliquis Monachorum velit mittere Patri Generali: Prior prædicti mittentis hujusmodi literas illius Monasterii expensis mittere teneatur; dùm tamen mittens Monachus coram aliquibus dicat Priori suo in genere, quod super aliquibus visitationem, seu aliquod remedium illi Domui utile exigentibus, Patri Generali conscribit; quod si differretur, non modicum damnum, sive periculum posset contingere. Quodsi Prior prædictus literas præfatas non miserit, ad Patris Generalis, sive Visitatorum arbitrium puniatur. In aliis verò casibus Prior hujusmodi Monachi literas mittere non tenetur. Si tamen absque Monasterii expensis scribere Patri Generali aliquis Monachus voluerit: dummodò suo Priori dicat in genere; quod Patri Generali conscribit; quamvis super quibus scribit, non declaret; scribendi habeat libertatem. In quo casu Priori suo literam clausam ostendat; ut ex ejus superscriptione Generali constet, ipso sciente literam esse missam. Si contrafecerit, suo Priori litera remittatur; ut sibi pœnitentiam condignam imponat. Nullus etiam Prior, seu Monachus literas, quas Priores, vel Monachi Patri Generali, aut quas alicui Priori, vel Monacho Pater Generalis transmiserit, quovis modo aperiat, sive legat. Pater verò Generalis super contentis in hujusmodi literis, cum viderit expedire, incunctanter apponat remedium opportunum, & si oportuerit ad illam Domum Personas aliquas destinare, illas mittere non retardet cum potestate plenaria super talibus negotiis providendi. Hæ autem Personæ sic missæ, vel Pater Generalis, si Monachos, qui eas vocari procurarunt, non justa causa fuisse motos reperierint: graviter eos puniant; ut eorum exemplo alii similia non audeant attentare.

EXTRAVAGANS I.

NUllus Monachus aperiat, neque impediat malitiosè, vel per quamcumque aliam viam epistolas missivas, aut expeditiones, quas transmiserit Pater Generalis, neque ad Patrem Generalem ab aliis transmissas, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ; quod est confirmatum per Bullam Apostolicam. Hujusmodi insuper vocis activæ, & passivæ privatio durare debeat quatriennio: & si delinquens Prior fuerit, statim passiva, & post finitum Prioratum activa voce privetur usque ad finitum quatriennium.

Clem. VIII. 11. Jan. 1588. Tract. Bullar. Bulla. 7. Paul. V. 1. Sept. 1605. eodem Tract. Bulla 8.

EXTRAVAGANS II.

MOnachi scribentes epistolas, aut memorialia, quin illa ostendant suo Priori, aut si post scripta, & ostensa, aliqua addiderint: ut dicitur in nostra Regula, furti judicio condemnentur.

EXTRAVAGANS III.

NUllus Monachus nostri Ordinis possit per se, vel per alios edere, & typis mandare libros, sive aliud quodcumque opus absque licentia in scriptis nostri Diffinitorii Generalis, aut Patris Generalis inter Capitulum, & Capitulum; quibus strictè injungitur: quod operis examen Personis gravibus, & doctis nostri Ordinis committant, antequam dictam licentiam concedant; quæ simul cum censura, & approbatione, & cum debitis licentiis ante impressionem necessariò obtinendis, in principio operis imprimantur.

EXTRAVAGANS IV.

Patri Generali, atque Generalibus absolutis detur titulus Magistri, & Paternitatis Reverendissimæ; Patribus autem

tem Prioribus actualibus, & absolutis Regiorum Monasteriorum S. Bartholomæi de Lupiana, B. Mariæ de Guadalupe, & S. Laurentii, Diffinitoribus Generalibus, & Deputatis Capituli Privati, dum ea munera exercent, titulus Reverendissimæ etiam donetur.

Titulus verò Paternitatis Prioribus actualibus, & absolutis Monasteriorum electionis, Lectoribus Jubilatis, & actualibus Visitatoribus, & Confirmatoribus in actu confirmationis, Secretario: & Procuratori Generali, Prioribus Domorum novarum, & Rectoribus Collegiorum; ac demùm Vicariis actualibus Monasteriorum S. Bartholomæi, S. Mariæ de Guadalupe, S. Laurentii dell' Escorial, & Abbatiæ Parrazensis tantummòdò concedatur.

CONSTITUTIO XVI.

Quando Prior debet habere consensum sui Capituli, & consilium cum Deputatis.

Cap. 1. & Cap. Novit de his, quæ fiunt à Prælat. sinè consensu Capituli.

IN quibuscumque casibus consensus Capituli requiratur de jure, Prior cujuslibet Monasterii nostri Ordinis consensum hujusmodi habeat; puta, in venditionibus, permutationibus, donationibus, seu per longa tempora arrendationibus, aut quibusvis aliis possessionum alienationibus quarumcumque, necnon & rerum mobilium pretiosarum Monasteriorum, & aliis quibuslibet casibus in jure contentis. Verùm si talia sint, in quibus non requiratur de jure consensus Capituli: si casus hujusmodi sint ardui, seu negocia grandia; tunc Prior consilium habeat cum Monachis constitutis in Sacris ad talia negocia per sui Monasterii Capitulum sibi specialiter Deputatis. Deputentur autem quinque ad plus, & tres ad minus Monachi in Sacris constituti per viam scrutinii modo, quo Diffinitores in Generali Capitulo eliguntur, ad prædictum consilium Priori tribuendum; quoties fuerit opportunum. Postquam verò Deputati prædicti per Priorem requisiti in hujusmodi negociis explicaverint, quod sibi videbitur, Prior faciat, quod sibi magis rationabile, & proficuum videatur; omni omninò propria affectione, atque Personarum acceptione remota: exceptis tamen casibus, in quibus Prior tenetur sequi sui Capituli, aut sibi Deputatorum consilium. Qui quidem casus in nostris aliis infrascriptis Constitutionibus continentur: alioquin Prior debitè puniatur. Hoc autem præcipuè, semperque in nostro Ordine observetur: quod nullus consilium suum, judicium, seu sententiam, aut alterius pertinaciter præsumat defendere; ne in loco consilii discordiæ oriantur. Cæterùm in rebus consuetis: & levibus petere consilium ab hujusmodi Deputatis nullam Priori necessitatem imponimus. Ne autem Prior circa temporalia pergravetur; sed spiritualibus frequentiùs, devotiùsque intendat: officia Domus commendet talibus personis, quæ fideliter, & utiliter debita cum diligentia illa ministrent.

Cap. Cum ad Monasterium, de Statu Monachor.

EXTRAVAGANS I.

DIsponentibus nostris Constitutionibus, quod pro validitate alicujus actus debeant simul concurrere vota majoris partis Conventus, & consensus Prioris; in his casibus, quia sunt duo consensus, & capita distincta: etiamsi totus Conventus, aut major pars illius actum velit; nisi Prior consentiat, concurratque cum illis: talis actus est invalidus; Ità è converso: si Prior velit; nisi simul consentiat, & concurrat major pars Conventus: sit pariter actus invalidus, veluti in electionibus Vicarii, Procuratoris, in receptione, & professione Monachorum, & in alienationibus, & aliis similibus.

EXTRAVAGANS II.

QUando aliquis Monachus dixerit in Capitulo suo Prælato, quomodo vobis placuerit, vestraque erit voluntas, aliudve æquivalens: suum votum conformare intelligatur, & judicetur sine aliquo dubio cum voto Prioris; ille autem, qui posteà conquestus fuerit, aut murmuraverit, arbitrio dicti Prioris voce Capitulari privetur. Et pariter privetur voce Capitulari à suo Priore Monachus, qui revelaverit, quæ capitulariter tractantur, & aguntur inter Monachos Vocales Ordinis Sacri; Si Prior eos hortatus fuerit, ut secretum servent.

EXTRAVAGANS III.

VIcarius sit unus ex Deputatis, qui debent esse in quocumque Monasterio; cum sit secunda Persona Monasterii, & absente Priore, ejusdem habeat auctoritatem.

EXTRAVAGANS IV.

IN omnibus nostri Ordinis Monasteriis serventur de jure servanda circa alienationem, donationem, permutatio-

nem, cambium, censum quorumcumque Bonorum immobilium, seu mobilium pretiosorum, eorum ultra triennium locationem, seu alium quemlibet alienationis contractum; & præcipue observentur requisita infrascriptæ. Quod talis venditio, donatio, census, cambium, vel quilibet alius alienationis contractus cedat in manifestam, & evidentem utilitatem Monasterii, informatione de illa præhabita: quod proponatur deindè, & tractetur per tres vices in Capitulo Conventus; Capitulumque, seu illius major pars, accedente simul Prioris consensu, in dicta alienatione, seu contractu conveniat: & quod tandem petatur, & obtineatur licentia specialis à Patre Generali, informatione utilitatis, tractatibusque in Capitulo habitis ad illum in forma authentica transmissis, ac specifica facta mentione rei donandæ, mutuandæ, vel alienandæ. Idem omninò in locatione Bonorum immobilium ultra triennium, servari debeat sub pœnis à jure statutis.

EXTRAVAGANS V.

PRocurator Temporalium, & Depositarius cujuslibet Monasterii in illius Deputatos nullatenus eligi possint. Priores verò absoluti suorum Monasteriorum, licèt in Deputatos electi non fuerint; ad omnes actus consultivos cum Deputatis simul vocentur; non tamen ad eos; in quibus per nostra Statuta prædicti Deputati votum decisivum habent.

EXTRAVAGANS VI.

PAtres Priores ultra sex dies á propriis Monasteriis non exeant, nec absint absque licentia in scriptis Patris Generalis; nisi magna necessitas, casusve gravis repente contigerit, quæ prædictam licentiam absque Monasterii detrimento expectare non permittat: Tunc verò Priores casum hujusmodi post illorum absentiam quamprimùm dicto Patri Generali notificent; non tamen ad hoc teneantur in illis diebus, & absentiis, quas pro visitandis Administrationibus, Granciis, aliisque Monasteriorum Possessionibus dicti Priores consumpserint.

CONSTITUTIO XVII.

Quod nullus Prior nostri Ordinis eligatur in Priorem alterius Monasterii, nisi S. Bartholomai; & quod Monachus electus in Priorem alterius Monasterii in eo possit remanere perpetuò.

QUicumque Monachus nostri Ordinis, qui per electionem assumptus fuerit, ut sit Prior cujuscumque alterius Monasterii, terminato suo Officio, possit semper permanere in Monasterio, in quo fuit Prior, aut redire ad Monasterium, à quo fuit assumptus. Verùm si in Domu, in qua fuit Prior, elegerit perpetuò remanere: Priori ejusdem Monasterii infra mensem post confirmationem novi Prioris computandum, suisque successoribus obedientiam repromittere teneatur; alioquin priori Monasterio remaneat obligatus. Cæterum nullus Prior nostri Ordinis eligatur in Priorem alterius Monasterii: & si fuerit electus, talis electio sit nullius roboris: excepto tamen Monasterio Sancti Bartholomæi, in quo alter Prior nostri Ordinis eligi poterit, (licèt ad acceptandum compelli nequibit,) nedum ob specialem prærogativam, quam olim obtinuit, ut caput esset totius Ordinis; sed etiam ob prærogativas, quas adhuc retinet, ut sit Diffinitor perpetuus cum præcedentia, & Vicarius Generalis totius Ordinis in casu vacationis Generalatûs.

EXTRAVAGANS I.

QUando aliquis Prior fuerit postulatus in Priorem Monasterii suæ professionis; Pater Generalis, si viderit adesse causas legitimas, ei poterit dare licentiam pro acceptanda postulatione; & declaramus, quod in postulationibus intervenire debeant duæ partes Electorum, prout in nostro Ordine practicatum fuit.

EXTRAVAGANS II.

PRior absolutus nequeat manere in perpetuum in Monasterio, ubi explet Prioratum, in eoque iterum obedientiam repromittere, nisi præcedat consensus Priori, & Capituli, seu majoris partis dicti Monasterii infra mensem ab hac Constitutione præscriptum: quo præcedente, sive alia licentia Patris Generalis, aut consensu Prioris, & Capituli Monasterii suæ Professionis, possit in Monasterio, ubi fuit Prior,

per-

perpetuò permanere; Priorique, & successoribus ejus infra dictum mensem obedientiam repromittere.

EXTRAVAGANS III.

Pater Generalis possit nominare aliquos Priores actuales pro electione Monasterii, ubi residet Curia Regia: consideratis qualitatibus ad illum Prioratum requisitis; & similiter pro electione in aliis Monasteriis, quæ proxima sunt conspicuis Civitatibus; sicut etiam in Monasteriis propriæ professionis; quatenus tamen hujusmodi indulgentiam ipsa Monasteria requisiverint: Rector verò Collegii Salmantini in Priorem Monasterii Beatæ MARIÆ de Guadalupe de speciali Religionis concessione eligi valeat.

EXTRAVAGANS VI.

PRiores novarum Domorum nequeant promoveri, seu eligi in Priores aliorum Monasteriorum: nisi in propriis suæ professionis, vel in aliquo casu speciali, & valde necessario; & tunc præcedere debeat licentia Patris Generalis. Sic verò electus à Prioratu, quem obtinet, nullatenus vacet: donec fuerit confirmatos in Monasterio, ubi fuerit electus.

CONSTITUTIO XVIII.

Ad quem pertineat hæreditas illius, qui est electus in Priorem alterius Monasterii.

SI Monachus unius Monasterii per electionem in Priorem alterius Monasterii assumator; & eidem Priori manenti aliqua donatio, hæreditas, aut Legatum deveniat: ad prius Monasterium pertinebit; nisi antequam ei talia obvenirent, vel in brevi obventura verisimiliter crederetur; idem Prior declarasset velle se, sui tempore Prioratus expleto, Monachus ejusdem Monasterii remanere: tunc enim ad secundum Monasteriom pertinebunt; in quo casu, tempore sui Prioratus exacto, ibidem manere, & profiteri cogetur. Si verò ad hojusmodi Prioratum non fuit per Monachorom electionem assumptus, ad primum Monasterium talis omnioo hæreditas, Legatum, sive donatio pertinebit.

CONSTITUTIO XIX.

Incipiunt XIII. Constit. quolib. bimestri legendæ.

De Officio Vicarii, & Sub-Vicarii, ac de eorum auctoritate, & facultate.

Argum. cap. 1. de sede vacante.

ELectio de Monacho aliquo in Vicarium, vel Sub-Priorem in quolibet Monasteriorum nostri Ordinis fiat per Priorem, & Monachos illius Monasterii in Sacris constitutos, seu eorum partem majorem, vota uniuscujusque eorum sigillatim, & in secreto per aliquos de eisdem ad hoc specialiter deputatos per priòs suscipiendo in scriptis, vel per viam compromissi, quomodo maluerint Electores. Qui postquam fuerit sic electus, eo ipso fit Vicarios, & in absentia Prioris à Monasterio habeat eandem potestatem, quam Prior solet habere, illaque utatur liberè: nisi in casibus, in quibos de Jure Capituli consensus requiritur; in quibus quidem casibus nullam habeat potestatem: nisi casus illos, aut eorum aliquos sibi specialiter Prior commiserit. Nec etiam prædictus Vicarius habeat aliquam potestatem in aliis casibus, quos ei Prior limitaverit, seu restrinxerit: Et si forte etiam Vicarium à Monasterio abesse contingat: tunc regat Conventum, & præfatam Vicarii exerceat potestatem is, qui per Priorem pro tali absentia fuerit vice Vicarii assignatus. Et si Vicarius in suo Officio negligentias, vel excessus commiserit, Prior illum poterit corrigere, & punire. Officium quoque Vicarii duret quousque sit facta confirmatio electionis proximi futuri Prioris. Si tamen Priori cum Deputatorum consensu, aut in Monasterio præsente Priore, soli Capitulo, seu ejus parti majori, etiam renuente Priore, videbitur, quod Vicarii Officiom debeat ante prædictum tempus cessare; postquam hoc Monachi in sacris constituti, seu eorum major pars in suo congregati Capitulo declaraverint: ipso facto ejus expiret Officium, & alius in Vicarium eligatur. Vacante tamen Prioratu, vel suspenso Priore, nec Conventus Vicarium removere, nec ipse Vicarius Officiom valeat resignare. Vicarius autem in Choro, Capitulo, Refectorio, ac aliis quibuslibet locis præcedat omnes Monachos ad manum sinistram existentes Prioris.

Argum. Cap. Venerab. de confiter. & Cap. Admonet. de renunc.

EXTRAVAGANS I.

ABsente Priore a quocumque ex nostris Monasteriis, non exeat Vicarius ab eo sine magna, & evidenti necessitate; & si dicta necessitate instante, exierit: serventur cum Sub-Vicario omnes illæ cæremoniæ, & actus, qui cum Vicario observantur.

EX-

EXTRAVAGANS II.

VIcarii, absentibus eorum Prioribus, non possint concedere licentias pro suscipiendis Ordinibus, nec licentias pro obtinenda facultate ab Ordinariis audiendi Confessiones; nec faciant ea, nec dent licentias, quæ, & quas verisimiliter eredent eorum Priores non facturos, nec consueverunt, nec voluerunt facere; sed curent conservare Monasteria eo modo, & forma, quibus eorum Prælati ea relinquunt pro eorum pace conservanda.

EXTRAVAGANS III.

ELectio Vicarii debeat esse canonica, & per majorem partem suffragiorum Capituli, cui consensus Prioris debeat etiam accedere, & suffragari: casu vero, quo major Capituli pars in eligendum in Vicarium non consentiat; aut Prior cum dicta majori parte Capituli in acceptanda electione non conveniat: factis decem scrutiniis, electio Vicarii ad Priorem devolvatur: qui in dicto casu Monachum, qui ei magis expedire videbitur, eligat in Vicarium.

EXTRAVAGANS IV.

MOnachi eligendi in Vicarios in decimo octavo anno completo ab habitûs receptione existere debeant, simulque ab Ordinario Diœcesano ad audiendas confessiones licentiam obtineant.

EXTRAVAGANS V.

PRior cum consensu majoris partis Deputatorum, aut Capitulum, seu major illius pars absque causæ cognitione, & quin teneantur illius rationem reddere, possint rationabilibus de causis Vicarium ab Officio suo removere, ut in hac Constitutione ordinatur; non tamen per hoc impediatur recursus, quem Vicarius ab Officio remotus ad Patrem Generalem potest habere.

EXTRAVAGANS VI.

ABsente Priore ab actibus Communitatis, Vicarius prostrare, & elevare possit quemcumque Monachum, qui in illis aliquam gravem culpam committat: vel ipsi obedire renuat, aut irreverenter se gerat, etiam cum aliis Monachis. Teneatur tamen Vicarius reddere Priori quamprimum de hujusmodi facto, & ejus causa rationem.

CONSTITUTIO XX.

De modo quem servare debent Monachi in egrediendo a Monasterio, & quando redeunt ad illud.

EXtra Monasterii metas nullus Monachorum exeat sine Prioris licentia & si eodem, qua exierit, die non sit ad Monasterium reversurus, benedictionem, flexis genibus, tam eundo, quàm redeundo, à Priore petat, & reverenter accipiat.

EXTRAVAGANS I.

NUllus Prior, aut Vicarius, aut Præsidens vadat, aut aliquem Monachorum mittat ad Curiam, ad Cancellarias, nec Compostellam, nec Romam, nec ad aliam peregrinationem; quin conscium faciat Patrem Generalem, tam Monachi mittendi, quàm casus, super quo transmittendus est. Casu verò inopinato urgente, itaut periculum sit in mora, qui mittendus erit, de consilio Deputatorum mittatur.

EXTRAVAGANS II.

MOnachi, aut Monasteria nostra conventualiter non concurrant ad Processiones, seu Rogativas publicas generales, vel speciales in Civitatibus, aut Villis dictis nostris Monasteriis finitimis: Prioresque monemus ex Indulto Apostolico Sancti Pii V. Monasteria nostra ad ipsis interessendum nullatenus posse cogi, aut compelli. Si verò propter communes necessitates, aut calamitates celebrentur in dictis Civitatibus, aut Villis, vel in toto Regno dictæ Processiones, aut Rogativæ, in nostris Monasteriis eas specialiter celebrari Priores faciant, & præcipiant; Indulti prædicti tenore omnino servato. Nec similiter nostri Monachi conventualiter interveniant Exequiis Funeralibus, aut Festivitatibus extra nostra Monasteria; neque Monachi particulares callentes musicam ad Ecclesias extra Monasteria cum aliis Musicis sæcularibus cantaturi à Prioribus mittantur.

S. Pius V. 8 Octobris ann. 1567. Pont. sui ann. 4.

EXTRAVAGANS III.

SErvetur omnino laudabilis Ordinis consuetudo, videlicet, quod Monachi egredientes a Monasterio, vel ad illud revertentes, tam in egressu, quàm in reditu orationem facturi ad Ecclesiam accedant, priusquam à Prælato benedictionem accipiant. Quando verò nostri

ftri Monachi ad Villas, aut Civitates, ubi Monafterium, vel Hofpitium noftri Ordinis exiftat, accedunt: in eis neceffariò hofpitari debeant, nec in Domo Genitorum, Fratrum, aut Confanguineorum, nifi de licentia in fcriptis Patris Generalis pernoctare poffint. Si autem a dictis Civitatibus, & Oppidis Monafterium per Leucam diftet, infra duos dies à Priore dicti Monafterii perfonaliter præfentati benedictionem accipiant; aliàs debite puniantur.

EXTRAVAGANS IV.

QUando noftri Monachi fecundum Monafteriorum confuetudines, recreationis causâ in Grancias, vel Campum egrediuntur: nullatenus ad Villas, Oppidave, aut Domos circumvicina abfque Prioris expreffa licentia divertant, minusque in illa ingrediantur: & qui contrafecerint, arbitrio Prioris debitè corrigantur. In Campum verò exeuntes fimul egrediantur; fimul incedant, ad Monafteriumque juxta laudabilem confuetudinem fimul revertantur: aliàs à Prioribus contrafacientes dicta recreatione priventur.

CONSTITUTIO XXI.

Quod non loquantur Monachi cum Perfonis, quæ non funt ex eorum Monafterio, fine licentia.

POft primam falutationem non loquatur aliquis Monachorum fine fpeciali Prioris licentia cum quibufvis Perfonis, quæ ejufdem Monafterii non fint Monachi. Si tamen intra eandem Domum habitant aliqui Familiares ipfius Monafterii, poterit eis loqui breviter in neceffariis, in quantum eft opus negotio. Monachi tamen, qui eofdem Familiares in curam fpecialem habuerint; poterunt eis fuper expedientibus rebus loqui liberiùs. Præterea nullus Monachorum det, mittat, vel recipiat litteras, feu aliquid aliud prædictis Perfonis, vel ab eis, aut ab aliquibus aliis fine Prioris licentia. Item nullus Prior, vel Monachus loquatur cum aliquo Monacho alterius Monafterii, ad quod declinaverit, poft primam falutationem abfque Prioris ejufdem Domus licentia. Quæ in Monafterio, ubi refidet Pater Generalis, propter Monachorum frequentationem ibidem concurrentium præmaximè obferventur.

CONSTITUTIO XXII.

De fcrutinio, quod facere debent Priores in cellis Monachorum.

INquifitionem, feu difcuffionem tam in cellis, quàm in dormitoriis, & locis aliis, ubi Monachi exiftunt, feu dormiunt, quilibet Prior in fuo Monafterio per fe ipfum, vel per alium, feu alios in abfentia Monachorum faciat ter in anno; & fi quæ per Priorem non conceffa fuerint reperta teneri: tollantur ab eis, & in manibus tradantur Prioris; qui de rebus ipfis difponat, prout viderit expedire; & Monachum in hoc culpabilem punire non differat.

Cap. Cum ad Monaft. de Stat. Monach.

EXTRAVAGANS I.

NUllus Monachus, etiam hofpes, ingredi poffit in cellam alterius fine licentia fui Prælati. Quod authoritate Apoftolica eft confirmatum. In horis filentii nulla cella fit jubilata, nifi Prioris.

Clem. VIII. 11. Janu an. 1594 Paul. V. 1. Sept. anno 1605.

EXTRAVAGANS II.

PRohibetur Monachis noftri Ordinis habere in eorum cellis mobilia, quæ propter magnum valorem fapiant prophanitatem. Si quæ autem hujufmodi Patres Priores, aut Vifitatores invenerint, ea ab ipfis auferant, & in commune redigant; eifdem tantum permittendo ornatum, quod noftri ftatus honeftati fit confonum.

CONSTITUTIO XXIII.

Quomodo fieri debeat Officium Divinum.

OFficium Divinum in qnolibet noftro Monafterio dicatur, vel cantetur per Monachos in Choro, alta, vel remiffa voce, fpaciosè, atque punctatim occupatione, five neceffitate qualibet non obftante.

Clem. Grave nimirum. de celebrat. Miffar.

EXTRAVAGANS I.

DIE Annunciationis Beatæ MARIÆ Virginis pulfentur Organa, fi celebretur ante Dominicam Paffionis.

EXTRAVAGANS II.

IN omnibus noftris Monafteriis oratio mentalis ante, vel poft Vefperas, aut Completorium, juxta confuetudines Monafteriorum, per dimidiam horam quotidie habeatur. A Sabbato verò primo Quadragefimæ ufque ad hebdomadam fanctam exclufivè, præcipuè dicta oratio

tio mentalis in Choro non intermittatur; ad quam Campana primò pulsetur per spatium Psalmi: *De profundis*, & secundo sex, aut septem ictibus: omnes autem Monachi legitimè non impediti interveoire teneantur.

EXTRAVAGANS III.

NON introducantur cantus, neque nova Officia, quæ non habet Ordo, exceptis Officiis Sanctorum Titularium, quæ celebrantur in propriis Monasteriis. Præterea permittimus, quod in nostris Choris cantari possit cantus organi in Festis principalibus & solemnioribus de licentia Prælati, & non cum aliis Cantoribus sæcularibus; Credo verò cum organo nullatenus cantetur.

EXTRAVAGANS IV.

OMnes Religiosi portent Candelas in Processione Corporis Christi.

EXTRAVAGANS V.

ABsentibus simul Priore, & Vicario, præsit Sub-Vicarius, tam in Refectorio, quàm in Choro, & ab eo petatur licentia inde exeundi; in Sub-Vicarii verò absentia à primo, vel secundo Correctore, & illis etiam absentibus, ab Hebdomadario.

EXTRAVAGANS VI.

FEstum Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis celebretur, & fiat duplex majus.

EXTRAVAGANS VII.

IN omnibus nostris Monasteriis quolibet negocio, aut necessitate non obstante, omnes Horæ canonicæ dicantur, vel cantentur in Choro horis, & temporibus in nostro Ordinario distributis, & præscriptis cum tali spatio, & gravitate, quod in illis persolvendis octo ad minus horæ quotidie impendantur: plurésque in Festivitatibus solemnioribus juxta consuetudinem Monasteriorum expendantur. At verò in Domibus novis, quæ professionis non sunt, etiam Horæ canonicæ quotidie dicantur in Choro per Priorem, & Monachos ibidem residentes sub hac distributione, videlicet: Matutinum ad occasum Solis, & antea Vesperæ, & Completorium; Prima, Tertia, Sexta, Nona statim post ortum Solis. Idem præterea in nostris Collegiis observetur sub hac forma, videlicet: Prima, Tertia, Sexta, & Nona, quando juxta consuetudinem oratio matutina debet haberi: Vesperæ vero, & Completorium cum matutino sequentis diei post Solis occasum.

EXTRAVAGANS VIII.

OMnibus Sabbatis cantentur post Completorium Litaniæ Beatissimæ Virginis Mariæ, ut in Sancta ejus Domo Lauretana: congregatis omnibus Monachis in Ecclesia, aut in Choro secundum antiquam cujuslibet Monasterii consuetudinem; ad quas, & ad Antiphonam ejusdem Beatissimæ Virginis, qua terminatur quotidie Officium, & Completorium, facto Campanæ signo, omnes Monachi, etiam exempti, accedere, & interesse teneantur.

EXTRAVAGANS IX.

IN omnibus nostris Monasteriis nominetur à Priore, prout hactenus, Monachus practicus, & intelligens in cæremoniarum Magistrum: cujus curæ incumbat eas docere, & zelare defectus, qui in earum praxi accidere possunt in Divinis Officiis, & tempore opportuno ita prævenire, & cavere: ut nullus error, aut defectus in Officio Divino, vel Missarum celebratione contingat.

CONSTITUTIO XXIV.

De celebratione Missarum, Communione Monachorum, & quomodo sit solemnizanda Festivitas N. P. S. Hieronymi.

MIssa Conventualis cum nota una ad minus, in quantum bono modo fieri poterit, omni die in quolibet nostro Monasterio celebretur. Sacerdotes autem Missas celebrare frequententur, præcipuè in diebus Dominicis, & festivis. Cæteri quoque Monachi certis diebus annuatim communicent, videlicet: in prima Dominica de Adventu, die Nativitatis Dominicæ, Epiphaniæ, Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, prima Dominica, & tertia Quadragesimæ, Dominica de Passione, in die Cœnæ Domini, in qua etiam omnes Sacerdotes communicent: die Resurrectionis Dominicæ, Apostolorum Philippi, & Jacobi, Dominicæ Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, Festo Sancti Jacobi Zebedæi, Festivitate Assumptionis Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, Nativitate ejusdem, Festo Patris N. Beati Hieronymi mensis Septembris, cujus dies per Monachos, & Donatos, Familiares, & mercenarios nostri Ordinis ab omni servili opere colatur, & observetur; die

Cap. Cum Creatura. de celebr. Missar. argum. Cap. Ne in agro §. Sane. in Clementina de statu Monach.

Argum. Cap. Dolentes de celebrat. Missar. & Cap. Te referen. eodem tit.

die Sancti Lucæ Evangelistæ, qua quidem die noster Ordo institutus, & reformatus extitit, & exemptus: festo omnium Sanctorum. In quibus diebus Priores debent, si commodè poterunt, celebrare.

EXTRAVAGANS I.

HOrtantur omnes Monachi nostri Ordinis, quod sæpe confiteantur cum Priore; atque Prior curet, quod plures sint Confessarii deputati in Monasterio.

EXTRAVAGANS II.

QUandocumque nominatur noster P. S. Hieronymus, tam legendo, quàm loquendo, dicatur noster P. S. Hieronymus: & ejus transitus integer, & completus legatur in Refectorio, donec terminetur.

EXTRAVAGANS III.

IN Domibus novis, & Collegiis cantetur Missa Conventualis omnibus Dominicis, & diebus festivis. Sin verò sufficiens numerus Monachorum non adsit, ut cantari possit cum notis, in tono saltem cantetur.

EXTRAVAGANS IV.

MOnachi, qui non fuerint Sacerdotes, & Fratres Laici sacram Communionem recipiant omnibus diebus Dominicis, nisi in hebdomada occurrat aliquod festum, in quo communicare debent juxta Constitutionem: quia tunc omittetur communio Dominicæ eidem festo propinquioris.

EXTRAVAGANS V.

Clem. VIII. Constitut. Romani Pontificis. Anno 1599.

OBsequendo, ut par est, motui proprio fa. me. Clementis VIII. Monachi nostri Ordinis non possint in virtute Bullæ Cruciatæ, nec alterius Privilegii eligere Confessarios, qui illos à casibus reservatis per eorundem Superiores absolvere valeant.

CONSTITUTIO XXV.

De tempore, & locis silentii.

SIlentium per nostros Monachos, debitis necessitate, ac utilitate exceptis, summo studio observetur intra septa, vel metas cujuslibet nostri Monasterii, locis, & temporibus infrascriptis, videlicet: omni tempore post ultimum signum factum ad Completorium usque ad secundam pulsationem Primæ sequentis diei perfectam: & à Resurrectione Domini usque ad festum Exaltationis Sanctæ Crucis, statim post primam refectionem usque ad secundum signum factum ad Nonam, in diebus verò jejunii usque ad signum surgendi de dormitione diurna: in Claustro principali, & etiam in Choro continuè. In Refectiorio tempore refectionis, in dormitorio tempore dormitionis. In prædictis autem locis, & temporibus ex causa rationabili breviter, submissa voce loqui licebit.

Cap Cum ad Monasterium. de statu Monachor.

EXTRAVAGANS I.

INcumbant Præsidentes, ut in diebus festivis evitetur omnis vagatio, & negociatio, serveturque silentium inter Monachos.

EXTRAVAGANS II.

A Festo S. P. N. Hieronymi usque ad Quinquagesimam non fiat Campanæ signum ad dormiendum post Matutinum in nostris Monasteriis, nisi hora tertia jam pulsata: reliquo verò tempore statim post terminatum Matutinum; & nullus Monachus ante signum ad dormiendum accedat sine speciali licentia.

EXTRAVAGANS III.

QUamquam Monachi Choro assistant, horis tamen vacationis à Choro, aliisque Communitatis actibus, se se exerceant; & occupentur in scribendo, aut in aliis exercitiis pro obedientia sibi injunctis, vel injungendis.

CONSTITUTIO XXVI.

De habitu Monachorum, & de eo, quem portare debent Donati, & de eorum obligationibus.

HAbitus noster, & vestes juxta institutionem fel. rec. Domini Gregorii Papæ Undecimi Institutoris nostri Ordinis, formæ, ac prætii sint sequentis, videlicet: Tunicæ sint clausæ, & amplæ de panno albo, vili, & grosso, aut de illo panno, qui vulgariter dicitur *Calcil*, cum manicis moderatè amplis, & clausis, atque decentis longitudinis: ita quod cinctæ usque ad talos descendant, & terram non tangant. Mantellus, & scapulare sint de panno griseo, seu burello similiter grosso, & vili, nullo præter nativum tincto colore. Sit quoque mantellus parte anteriore

Clem. ne in agro. de statu Monac.

riore fissus, & unico claudatur ejusdem panni botone: licèt mantellus non sit de necessitate, sed de habitus honestate, illum tamen deferre debebimus, cum in publicum procedimus. Scapularis autem longitudo brevior sit tunica per manum unam, & ejus capuccium in amplo bumeros non excedat, ac in longitudine per quatuor salrem digitos distet à zona. Mantelli etiam longitudo per quatuor digitos tunicæ longitudini non æquetur, ita quod tunica mantello, & mantellus scapulari sit longior. Zona quoque sit de corio nigro latitudinis duorum digitorum, vel quasi, cum fibula ferrea, vel ærea absque aliis laminulis, vel clavelis. Calceamenta sint sotulares nigri, qui tribus ad minus laqueis adstringantur. Vestes, quibus subtus induuntur ad carnem, non sint lineæ, vel canabinæ, sed laneæ: femoralibus tamen exceptis; nec in lectis habeant linteamina de lino, vel de canabo; poterunt tamen habere pulvinaria, sive cervicalia de eisdem. Debilibus tamen, seu Infirmis ad arbitrium Prioris, quories opus fuerit, poterunt linteamina, seu indumenta canabinea, vel linea ministrari. Idem habitus donetur Novitiis, hoc superaddito, quod ad scapularis latera juxta zonam duæ de eodem panno ligaturæ suantur, *Travas* vulgariter nuncupatæ, trium habentes amplitudinem digitorum.

Cap. Cum ad Monasterium. de statu Monac.

Cap. 1. de Regul. in 6.

Donatis verò nostris donentur tunica, & mantellus, & largum capuccium de burello cum cauda longitudinis palmi unius, vel aliæ vestes honestæ. Præfati quoque Donati dicant quotidie pro omnibus horis quindecim *Pater noster* cum *Ave Maria*: & die, qua in Donatos recipiuntur, obedientiam plenè promittant. Idem etiam de Fœminis Donatis fiat præter vestes prædictas; dum tamen desuper induantur burello prædicto, cum honestate omnimoda conversantes. Et Donati, & Donatæ nostri Ordinis per Priorem, & Capituli majorem partem recipiantur, & non aliter.

EXTRAVAGANS I.

NON recipiantur ad obedientiam Donati, quin priùs per annum probentur; si verò emisso voto obedientiæ, reperti fuerint intractabiles, honestarique Monasteriorum nostrorum non convenientes: à Priore cum Deputatorum consensu possint expelli, voto facto non obstante.

EXTRAVAGANS II.

DOnatis nostri Ordinis, quando recipiuntur, & antequam votum obedientiæ emittant, notificetur, quod nisi fuerint tales, quales disponit Extravagans, ejicientur ab Ordine, etiam post professionem.

EXTRAVAGANS III.

DOnati, qui retinent propria bona, solvant Decimas illorum, quia de personalibus non tenentur.

EXTRAVAGANS IV.

NON recipiantur Mulieres Donatæ in nostro Ordine sine licentia Patris Generalis.

EXTRAVAGANS V.

OMnes nostrorum Monachorum interiores vestes, caligis comprehensis, debeant esse laneæ ex panno albo, vili, aut stamina, seu ex *Cordellate*, & interiores thoraces, (vulgo *sayos*) descendant ultra genua juxta laudabilem Ordinis consuetudinem: quæ vestes, quotiescumque fiant, & Monachis distribuendæ sint, priùs à Prioribus examinentur: nec Monachis permittantur, quæ cum aliqua prophanitate, curiositate, aut usu sæculari fuerint factæ. Transgressores verò, qui aliter vestes facere, vel gestare præsumpserint, pœna clausuræ sex mensium coerceantur.

EXTRAVAGANS VI.

CAveant omnino Priores, ne suis Monachis licentiam concedant linteis utendi, femoralibus exceptis nisi ob gravem, & manifestam necessitatem, aut habitualem infirmitatem Medicorum judicio declarandam, & non aliter: Monachis verò, qui absque dicta licentia lineis utuntur, pœna unius anni clausuræ pro prima vice imponatur; si autem reinciderint, pœnæ Superiorum arbitrio aggraventur.

CONSTITUTIO XXVII.

De Culpis levibus.

LEvis culpa est, si quis ultimo signo ad horas jam facto, non assistat in Choro. Si quis in Choro malè legendo, sive cantando, solus, vel cum alio offendens, non statim se inclinans pectus suum manu percusserit, genuaque versus Altare flexerit; aut si cum aliis recitans, vel cantans offenderit, & prædicta pœnitentiæ signa præter genuflexionem non fecerit. Si quis divino non

in-

intentus Officio, levitatem ostendat, vagis oculis perspiciendo, vel motum irreligiosum aliquem faciendo. Si quis in Ecclesia dormierit, vel alio quovis loco aliquid inquietudinis fecerit. Si tempore opportuno lectionem, vel cantum non providerit. Si quis legerit, aut cantaverit aliud, quam communiter Monachi cantant, vel legunt. Si in cameris privatis quisquam fuerit capite non operto. Si quis dissolutè ridendo, sive dicta, vel facta ludicra, seu irrisoria dicendo, aut faciendo, alios ad risum provocaverit. Si vagos oculos per vias, aut plateas, sive loca alia publica, vel privata, hinc inde inhonestè duxerit. Si quis benedictionem non receperit à Priore cum extra metas Monasterii, illa die non reversurus, exierit, aut quando ab extra ad Monasterium venerit. Si dormierit in Choro, dum Officium fit divinum. Si statutis temporibus audiendæ lectioni non adsit. Si ornamenta Altaris, vel Ecclesiæ negligenter tractaverit. Si libros, aut aliqua, quæ sibi fuerint pro sui necessitate collata, tempore convenienti non reddiderit. Si liber in Conventu legendus alicujus negligentia ibidem defuerit. Si scutellam, aut quicquam aliud fregerit, vel perdiderit. Si cibum, aut vinum effuderit, aut sine benedictione sumpserit. Si ad mensam sedens communem quicquam cibi, seu potus gustaverit, antequam Lector legere incipiat, & fiat signum ad refectionis initium. Si per negligentiam quisquam in principio Capituli, communis refectionis, vel collationis præsens non fuerit. Si quis cum juramento quicquam affirmaverit, seu negaverit. Si verba vana, vel inhonesta protulerit. Si quis in Officiis Domus sibi commissis negligens reperitur. Si quis silentium non servaverit. Si propter victum, vel vestitum, aut rem aliam murmuraverit. Propter culpas prædictas, vel similes committentibus illas Prior ad arbitrium suum imponat pœnitentiam, sicut viderit expedire.

Cap. De Causis. de Offic. Judic. Deleg. & Cap Corripiantur. 24. qu.

CONSTITUTIO XXVIII.

De Culpis gravibus.

Gravis culpa est: si Monachus, cum Monacho, vel cum Sæculari in præsentia Sæcularium inhonestè contenderit. Si Monachus cum Monacho jurgia, vel rixas quocumque loco habuerit. Si Monacho, vel Sæculari inhonestum quid dixerit. Si quis deprehendatur scienter mendacium protulisse. Si quis Monacho præteritam culpam, pro qua satisfecit, improperaverit: Si quemquam increpaverit pro eo, quod de ipso increpante in Capitulo proclamaverit. Si in consuetudine duxerit non tenere silentium. Si in latrinis, seu privatis silentium non servaverit. Si culpam suam, vel alterius cum superbia defenderit. Si quis inter Monachos discordias seminaverit. Si proclamando aliquem, jurgium, seu turbationem fecerit. Si contra aliquem comminatoria, seu opprobriosa, vel irreligiosa verba protulerit. Si malitiosè de suo Priore, aut de suis Monachis aliqua mala, quæ probare non possit, evomuerit. Si in Fœminam oculos fixerit, & hoc in usum habuerit: aut cum ea solus in loco suspecto loquatur. Si sine causa, & absque licentia jejunia per Ecclesiam, vel Ordinem statuta solverit. Si quis ad aliquem locum missus, ante, vel post terminum sibi assignatum, sine rationabili causa redierit. Pro hujusmodi culpis, & his similibus veniam petens, & non proclamatus, unam in Capitulo substineat disciplinam: prout in proxima sequenti Constitutione describitur; ac uno die in pane, & aqua jejunet. Denunciatis verò pœnitentia duplicetur; & ultra hoc imponat illis Prior Psalmos, & venias, sicut sibi expedire videbitur.

Can. Qui aliorum, & Can. Quid autem 24. qu. 3.

CONSTITUTIO XXIX.

De Culpis gravioribus.

Gravior culpa est: si quis per contumaciam, vel manifestam rebellionem, aut verbis contumeliosis Priori suo per diem integram inobediens extiterit: vel si cum eo intus, vel foris protervè persistens in sua duritia, saltem per diem non consentiens veritati, omni reverentia, & paterno timore postpositis, quasi de pari contendere ausus fuerit. Si habito cum alio, vel aliis consilio, sive per conjurationem, aut malitiosam concordiam se manifestè contra suum Priorem erexerit. Si peccatum mortale manifestè commiserit. Si in Ordine perseverando, sui ipsius exemptionem obedientiæ contra Priorem suum procuraverit. Si rem sibi collatam scienter celaverit. Qui culpam aliquam de prædictis voluntarius, vel accusatus de illa, se commisisse confessus fuerit, aut convictus: tot diebus, quot Priori visum fuerit, pœnitentiam substineat subsequentem, videlicet: exuta superiori tunica, brachio, & scapula denudatis: percutiatur cum virgis per manum Prioris in Capitulo, vel Refectorio post benedictionem mensæ in prima refectione cum Psalmo, quem Prior voluerit per eum, & Monachos ad Choros dicendo. Pœnitentia quoque durante prædicta, sit in

Cap. Cum in Ecclesiis. de majorit. & obedient.

Argum. Cap. Novimus de verbor. signific.

Conventu ultimus in loco, ubicumque Conventus fuerit congregatus. Inſuper in Refectorio cum aliis ad menſam non ſedeat; ſed in terra, tam in prandio, quàm in cœna in medio Refectorii ſuper tabulam nudam comedat de pane groſſiori pro cibo & ſola aqua pro potu miniſtretur eidem; niſi Prior ſibi aliquid aliud miſericorditer præcipiat dari. Quod autem de ejus cibo, & potu ſuperfuerit, non commiſceatur cum his, quæ de menſis remanſerint aliorum. Dum verò gratiæ poſt refectionem communem de manè aguntur, jaceat proſtratus in terra, tenſus ſuper faciem ſuam, junctis manibus, ante portam Eccleſiæ, ſeu Chori: donec Monachi, ipſum pedibus non tangendo, intrent, & exeant ſuper eum. Sæculares tamen hoc videre non debent, niſi delictum illis fuerit manifeſtum; tunc enim, ſi Prior viderit expedire, faciat Sæculares eſſe præſentes: ut qui fuerunt de crimine ſcandalizati, per hujuſmodi pœnitentiam ædificentur.

Argum. C. Quæſitum. de pœnit. & remiſſ.

Nullus inſuper audeat ad talem pœnitentem accedere, nec ſibi quicquam loqui ſine Prioris licentia: ſed ne in profundum deſperationis deveniat, mittat ad eum Prior Monachum, ſeu Monachos aliquos diſcretos, qui illum ad pœnitentiam, patientiam, & ſatisfactionem moveant, & induant. Quodſi humilitatem in eo viderint, & etiam alii de Conventu; ſupplices preces pro eo Priori porrigant: ut cum illo miſericorditer ſe habere dignetur.

Argum. C. Eaquæ, de ſtat. Monachor., & Cap. Cum non ab Homine. de Judic.

Quas quidem preces Prior libenter acceptet, præſatam pœnitentiam, prout ſibi videbitur expediens, moderando. Verùm ſi forte ipſum in cordia duritia perſiſtentem invenerint: iterum cum diſciplinis, modis præfatis, per Priorem ad ejus arbitrium feriatur, aut per alium de Prioris ſpeciali mandato; ſi Prior fuerit legitimè impeditus.

Can. Presbyter. diſt. 82.

Præterea, dum Monachus præſatam pœnitentiam continuaverit, non communicet: nec cum aliis oſculum pacis accipiat; nec vocetur, ſeu ſcribatur: ut in Eccleſia, vel alibi aliquod Officium faciat, niſi Officia ſervitutis.

Can. Placuit. diſt. 50.

Officio tamen divino poterit intereſſe. Inſuper non habitum Profeſſorum, ſed Novitiorum tantummodo portet, quouſque plenè, prout expedit, ad Prioris arbitrium ſatisfecerit.

Dicto Can. Placuit. cum ſeqq.

Et ſi forſan talia Monachus Sacerdos, Diaconus, vel Subdiaconus fuerit: Officiis hujuſmodi non utatur, donec à Priore utendi eis licentia illi detur. Ultra prædictas etiam pœnas, ſi quis pravo conſilio cum alio, ſeu aliis habito, aut per conjurationem, ſeu malitioſam concordiam ſe manifeſtè contra ſuum Priorem, (ut præfertur,) erexerit, nullam vocem in Capitulo eo ipſo habeat: donec

Can. Conjurationum cum ſeqq. XI. quæſt. 1.

Prior de conſenſu Capituli illam miſericorditer ſibi reſtituat. Necnon qui permanendo in Ordine exemptionem ab obedientia ſui Prioris, (ut præmittitur,) ſibi, vel aliis procuraverit, præter pœnas jam dictas, communio ſibi Ordinis denegetur: & talis exemptio, quantum expediens fuerit, impugnetur; ſeu ut revocetur, inſtetur. Cæterùm ei, qui proclamatus, culpam aliquam de prædictis confeſſus protinus fuerit: brevi; illi verò, qui non accuſatus, ultrò confitebitur: breviori; ei autem, qui de culpa convictus fuerit: longiori tempore ſupradicta pœnitentia imponatur.

EXTRAVAGANS I.

DEnegare alicui Monacho Ordinis participationem, ut in hac Conſtitutione præſcribitur, ex antiqua conſuetudine Ordinis in eo conſiſtit; quod nec ad Chorum, nec ad Refectorium, nec ad Capitulum, nec ad aliquod officium, vel beneficium Ordinis admittatur: veluti ſi membrum Religionis non exiſtat.

EXTRAVAGANS II.

MOnachus, qui de aliquo falſo crimine alium accuſaverit: ultra pœnas crimini, de quo falſo accuſavit debitas, alias ſufferat arbitrio Viſitatorum imponendas.

EXTRAVAGANS III.

CAveant Monachi, ne cuicumque Perſonæ Sæculari, aut Eccleſiaſticæ, aut Regulari alterius Ordinis directè, vel indirectè verbo, aut ſcripto, per ſe, aut per alios quomodolibet manifeſtare, aut revelare præſumant culpas graves, aut graviores noſtrorum Monachorum, vel pœnitentias graves, pœnaſque propter eas ipſis impoſitas; unde gravis infamia, & manifeſtum dedecus noſtro Ordini ſubſequi, & imminere poſſit. Qui contrafecerint ſi fuerint Prælati: ſuſpenſionis ab Officio per annum pœna mulctentur; ſi ſubditi in ſacris conſtituti: vocis activæ, & paſſivæ privatione, & clauſura intra Clauſtra per annum etiam puniantur; ſi verò in ſacris non conſtituti; habitum Novitiorum per annum ſimiliter portent; ſi autem fuerit ipſe Reus, prædictæ pœnæ duplicatæ ipſi infligantur.

EXTRAVAGANS IV.

NUllus noſtri Ordinis Monachus per ſe, vel per alios ſcribere, publicare, & multò minus imprimere, imprimi ve, aut publi-

blicari, directè, vel indirectè facere audeat libellos, scripta, aut memorialia anonyma, vel sub nomine supposito, & ficto: quæ in injuriam, dedecus, aut infamiam nostri Ordinis, ejus regiminis, aut alicujus Monasterii, vel Monachi, maximèque Prælatorum, quomodolibet cedant, vel cedere possint: contrafacientes de hujusmodi culpa convicti, carceri per annum mancipentur, & gravioris culpæ pœna debita puniantur. Eis verò Monachis, ad quorum manus dicti libelli, vel memorialia pervenerint, districtè præcipimus: ne aliis ipsa communicent; sed vel statim discerpant: vel Prioribus tradant: aliàs graviter puniantur.

EXTRAVAGANS V.

NUllus Monachus intra septa cujuslibet Monasterii nostri ludere possit, nec cum aliis Monachis, nec cum Sæcularibus ludis prophanis, & sæcularibus, maximè Alearum, & Taxillorum, aliisque *de Invito* nuncupatis: etiam causa recreationis, infirmitatis, aut alio quovis prætextu, sub pœna culpæ gravioris, & Proprietariorum pro qualibet vice imponenda. Eadem pœna puniatur, qui extra Monasterium cum Sæcularibus pecuniam in magna quantitate, aut gravi scandalo subsequuto, publicè, & manifestè quocumque ludo luserit. Super qua pœna, nisi per Capitulum Generale dispensari non possit.

EXTRAVAGAS VI.

SUB pœna unius anni clausuræ intra septa Monasterii, nullus Monachus nostri Ordinis agitationi Taurorum in plateis, & locis publicis intervenire, vel assistere, possit; sed si contingat agitari in Civitatibus, vel locis, ubi cum debita licentia nostri Monachi existant: hujusmodi diebus, si commodè fieri possit, ad Monsterium propinquius, si quod fuerit, propter bonum exemplum se conferre teneantur sub eadem pœna.

EXTRAVAGANS VII.

SUB pœna sex mensium suspensionis ab Officio, Priores, Vicarii, & Præsidentes nullatenus permittant, quod in Ecclesiis, Sacristiis, vel Choris nostrorum Monasteriorum comœdiæ prophanæ repræsententur: nec etiam permittant Monachos suorum Monasteriorum comœdias in Theatris publicis repræsentatas scandalosè videre, & audire; sed pœnis debitis in hoc delinquentes puniant, & coerceant; super quo eorum conscientiæ valde onerantur.

EXTRAVAGANS VIII.

NUllus Monachus intra Monasteria nostri Ordinis habere possit sclopos, aliave arma offensiva cujuscumque generis, vel eadem secum scandalosè portare itinerando: aut cum illis in Civitates, seu Oppida ingredi, etiam sub motivo naturalis defensionis: sub pœna unius anni clausuræ pro prima vice imponenda, & in casu reincidentiæ privationis omnium Officiorum honoris, & administrationis. Monachi verò, quibus incumbit extra Monasteria bonorum temporalium administratio, arma prædicta in suis Administrationibus, & Granciis retinere, & conservare poterunt propter dictorum bonorum Monasterii defensionem, Prædonumque incursionem repellendam.

CONSTITUTIO XXX.

De Culpa gravissima.

GRavissima culpa est Incorrigibilitas, ejus videlicet, qui non timet culpas committere, & post commissas ferre pœnas recusat: contra quem in Regula nostra dictum est: si ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur, juxtà dictum Apostoli præcipientis: talem hominem, ut Hæreticum, evitari. Et quidem, postquam talis fuerit tertiò monitus, ut desistat à crimine, ejusque incorrigibilitas extiterit manifesta: veluti peccans peccatum ad mortem, & quasi qui videtur professionem de sui cordis visceribus abjecisse, compellendus est habitum professionis dimittere. Quod utique fiat, si usque ad illam expulsionis horam fuerit sanæ mentis; nam si mente captus existat: non decet, nec expedit, ablato sibi professionis habitu occasione prædicta, illum sic de societate projicere fraterna.

Can. Relatum ne Cler. vel. Monach.

Can. Dixit Apostol. 24. qu. 3. Cap. Contingit. 2. de sent. excomm.

Dicto Can. Dixit Apostolus. cum seqq.

EXTRAVAGANS I.

IN omnibus Monasteriis nostri Ordinis carceres existant, in quibus puniri possint Monachi delinquentes; & nullus nostri Ordinis Prior expoliare habitu possit Monachum, quantumvis gravissimum sit ejus delictum; ipsum verò carceratum retineat; usque dùm provideatur à Capitulo Generali, sive à Patre Generali.

EXTRAVAGANS II.

MOnachi, qui crimen aliquod jure civili corporali morte plectendum suæ professionis obliti perpetraverint, à Capitulo Generali, aut Privato, vel à Visitatoribus Generalibus ad carcerem perpetuam condemnentur.

EXTRAVAGANS III.

S. Pius V. 18. Septembris an. 1566. & 19. Septemb. ejusdem anni, & 21. Decembris anni 1567.

EX Indultis à Sancto Pio V. nostro Ordini concessis Pater Generalis per seipsum, seu ejus Ministros sæculares, vel etiam dicti Ordinis Regulares, etiam professos, Apostolica auctoritate punire, & corrigere poterit Monachos quorumcumque criminum, & delictorum reos, quantumvis gravia, & enormia fuerint; sed in casibus, in quibus de jure communi pœna mortis locum habere potest, & debet: eisdem Monachis taliter delinquentibus, carcerem perpetuum, vel ad tempus, eadem Apostolica auctoritate dare, & assignare: ac illos in carcere hujusmodi detineri facere: aut illos ad Triremes, etiam perpetuò, vel ad tempus, condemnare, & relegare: prout etiam habitu expoliare poterit, tam in Generali, vel in Privato Capitulo; quàm si solus procedere velit inter Capitulum, & Capitulum: dummodo tamen ad id seniorum gravis, & maturi consilii in regimine expertorum accedat assensus; ut latiùs in Brevibus Apostolicis desuper expeditis continetur.

EXTRAVAGANS IV.

Urban. VIII. 27. Sept. ann. 1624. Innoc. XII. 24. Julii 1694.

1. IN sententia nostra Religione omnino servetur Breve, & Decretum fel. rec. Urbani VIII. omniaquè in eo præscripta, videlicet: quod nullus nostri Ordinis Monachus professus possit imposterum habitu expoliari, ab eoque expelli: quin fit verè incorrigibilis.

Innoc. XII. 24. Julii 1694.

2. Incorrigibilis nullatenus judicetur Monachus, nisi concurrant omnia ea, quæ de jure requiruntur, ut incorrigibilis præsumatur: & præterea probetur pœnitentiis, & jejuniis per spatium sex mensium in carceribus Monasterii: sicut moderando Decreta Urbani VIII. dispofuit Innocentius XII.

3. Si transacto dicto spatio temporis, non resipiscat, induratusque perseveret in sua impœnitentia, & incorrigibilitate: possit expelli à Religione, tanquam membrum putridum: sed dumtaxat à Patre Generali cum consilio, & assensu sex Patrum graviorum Religionis in singulis Capitulis Generalibus ad id deputandorum, & eligendorum; factoque primum, & compilato processu: plenèque probatis causis expulsionis, juxta canonicas sanctiones, stylum, & Constitutiones Ordinis.

4. Expulsus maneat subjectus jurisdictioni, & obedientiæ Ordinarii Diœcesani: incedatque in habitu clericali; donec ad Religionem revertatur. Itaque Pater Generalis teneatur sententiam expulsionis Ordinario notificare in eodem exequutionis tempore.

5. Nulli ex prædictis expulsis litteræ testimoniales expulsionis, concedantur: sed ad sanctam Sedem Apostolicam remittantur; vel ipsos hortentur, quod in aliam Religionem ingrediantur.

6. Expulsi maneant suspensi ab exercitio Ordinum susceptorum toto tempore, quo extra Religionem vixerint: sublata Episcopis, & Ordinariis locorum, facultate moderandi, vel relaxandi dictam suspensionem, licentiamque illis concedendi ad exercitium dictorum Ordinum.

7. Quæ omnia, & singula sub pœnis privationis omnium Officiorum, & vocis activæ, & passivæ, inhabilitatisque perpetuæ ad illa, & alia imposterum obtinenda, cum reservatione dictarum pœnarum Sedi Apostolicæ, prout in dicto Brevi, imposterum observari decernimus: & irritum, ac inane, & invalidum omne illud, quod contra prædicta fuerit factum, declaramus.

8. Stylus ergo, & praxis imposterum observanda erit: quod Visitatores, aut Judices in suis sententiis declarent Monachum delinquentem ob sua delicta habitu expoliandum esse, & à Religione expellendum: atque sententiæ exequutionem remittant ad Patrem Generalem; qui, viso, & examinato processu: habitoque consilio, & consensu dictorum sex Patrum à Capitulo Generali assignandorum, confirmet, vel infirmet sententiam: prout justum videbitur.

EXTRAVAGANS V.

NEC Pater Generalis, nec Diffinitores Capituli Generalis dispensare possint ad obtinenda aliqua Officia electionis, aut Magistri Novitiorum, Confessoris, aut Prædicatoris, Monachos, qui commiserint aliquod delictum ex infrascriptis, ipsis majus, vel simile, videlicet: peccatum carnale, furtum de rebus Ecclesiasticis, vel Sacristiæ, aut triginta ducatorum ex aliis rebus Mona-

nasterii; solemne perjurium; falsum testimonium contra aliquem in judicio.

Qui duabus vicibus fugitivus fuerit; qui aliquem notabili, aut enormi percussione vulneraverit; qui confessiones manifestaverit; qui crimen læsæ Majestatis commiserit, aut hujusmodi criminis fautor fuerit; qui condemnatus fuerit à sanctæ Inquisitionis Officio in rebus fidem concernentibus; qui in aliqua electione pro seipso votaverit. Quorum, & similium dispensatio ad Capitulum Generale solummodo, & insolidum pertineat. Quoad verò delicta sensualia, & carnalia, etiam post sententiam, poterit Pater Generalis dispensare: quando ipsi constiterit per relationem suorum Priorum, aut Visitatorum, quod Reus cum vita religiosa, & exemplari per aliquot annos sit emendatus.

Explicitunt XII. Constitutiones quolibet bimestri legendæ.

CONSTITUTIO XXXI.

Quando Prior in correctionibus sequi debet consilium Deputatorum, aut sui Capituli.

Exequi possit quilibet Prior per se ipsum pœnas in dictis Constitutionibus de gravibus & gravioribus culpis taxatas; quando manifestè apparuerit in eas Monachum aliquem incurrisse. Si tamen Monachus, cui hujusmodi culpa impingitur, affirmat illam gravem, seu graviorem non esse; aut de hoc dubitatur per Monachos aliquos de Conventu: Prior consilium habeat super hoc cum Monachis sibi per suum Capitulum ad habenda consilia deputatis. Verùm in judicando culpas graves, & graviores, quæ in prælibatis Constitutionibus non sunt expressæ: sequatur Prior consilium à Deputatis prædictis. Cæterùm in imponenda, seu remittenda, mutanda, laxanda, vel aggravanda pœna gravissimæ culpæ, Prior sequi consilium sui Capituli teneatur. Si tamen Priori videatur, quod pœnam culpæ gravis, aut gravioris in Constitutionibus suprascriptis taxatam, oportet aggravari contra illum, de quo constet culpam hujusmodi incurrisse: ad hoc judicandum Deputatorum sequatur consilium.

Cap. Non est de consuet. in 6. Cap de causis: de offic. deleg.

Argum. cap. Cum olim. de Arbitr.

Argum. Can. Epis. nullius. 15. q. 3. & arg. d. cap. Non est. cum Gloss. in 6.

CONSTITUTIO XXXII.

Quando poterit Prior per se ipsum dispensare in pœnitentiis.

Dispensare in pœna culpæ gravis, & eam mutare, vel laxare solus Prior possit: quandocumque sibi rationabile videatur; sed super culpa graviore consilium ad præmissa cum Deputatis debet habere. Oneramus etiam conscientias Prioris, & Deputatorum; ut in pœnis hujusmodi judicandis, dispensandis commutandis, laxandis, ac imponendis, se discretè exhibeant, præ oculis solum Deum habentes: amore, odio, favore, timore, & quolibet alio impedimento postpositis; quatenùs justitia compleatur, & fructus correctionis, & emendationis accrescat. Potiùs tamen in præmissis pœnis ad misericordiam, quàm ad crudelitatem intendant.

Cap. 1. de Sent. & re judic. in 6. can. quod facit. 23. q. 4.

CONSTITUTIO XXXIII.

Quomodo imponi debeant pœnitentiæ culparum gravium, & graviorum.

Graviorum culparum pœnas coram omnibus in Capitulo Prior imponat; nisi in culpis occultis aliter sibi videatur cum Deputatorum consilio faciendum. Si verò culpa non occulta sit talis, quæ meritò sit illicò punienda: & videatur mora nociva, si spectatur culparum Capitulum; congreget statim Prior suum Capitulum, pro judicanda, & imponenda pœna hujusmodi gravioris culpæ. Verùm pro gravi culpa poterit pœna extra Capitulum judicari: si Priori cum Deputatorum consilio videatur.

Cap. 1. de Pœnit. & remiss. cap. Non solum. de Regul. in 6 can si peccaverit 2. q. 1

CONSTITUTIO XXXIV.

Quomodo se gerere debeat Prior in dando, aut commodando.

Panem in grano, vinum, monetam, aut res alias quascumque magni valoris in eleemosynam, seu aliàs gratiosè Prior non donet: nisi quantum, consideratis facultatibus Monasterii, per eum, & Monachos in Sacris constitutos fuerit prætaxatum, quod Prior solus, vel cum Deputatorum consilio dare possit.

Can. Sinè exceptione 12 q. 2. cap. Irrita. de his quæ fiunt. cap. Cæterum. de donat.

Poterit tamen de rebus Monasterii mutuare, vel commodare: moderatè tamen, & sic discretè, videlicet, sub talibus pignoribus, aliisque idoneis cautionibus in convenienti custodia reponendis, id faciat: quod sinè difficultate Monasterium mutuata, sive commodata recuperet. Si tamen res commodandæ, attentis Monasterii facultatibus, magni valoris extiterint: Deputatorum consilium habere debebit.

Argum. cap. Quibusdam de fidejuss.

EXTRAVAGANS UNICA.

NUllus Monachus administrationi bonorum temporalium nostrorum Monasteriorum præpositus, ea commodare, vel in mutuum dare possit absque expressa licentia Priorum; aliàs in pœnas Proprietariis debitas, juxtà quantitatem rei commodatæ, vel in mutuum datæ, incurrat.

CONSTITUTIO XXXV.

Quomodo debeat se habere Prior in operibus, & in ædificiis.

Cap. 1. & cap. de his de Eccles. ædifican.

REparanda necessariò, tàm in Monasterio, quàm in ejus hæreditatibus, quilibet Prior, prout viderit expedire, faciat reparari. Si tamen reparatio hujusmodi magnas requirat expensas, Monasterii facultatibus super hoc attentis, habeat in hoc Deputatorum consilium. Præterea, si aliqua sint de novo ædificanda, quæ magnas expensas requirunt, non fiant sine consensu Capituli.

Argum. c. 1. de his, quæ fiunt a majori parte.

EXTRAVAGANS UNICA.

PRiores novarum Domorum non possint in eis nova ædificia quoquo modo construere; quin priùs planta ad nostrum Capitulum Generale, vel ad Patrem Generalem infra Capitulum, & Capitulum, transmittatur: ut ædificii utilitas, convenientia, & expensæ ab illis examinentur: & sinè ipsorum licentia, & approbatione nullatenus executioni mandentur; quæ verò in Capitulo Generali, vel à Patre Generali ordinata fuerint, in constructione ædificiorum omninò Priores observare teneantur.

CONSTITUTIO XXXVI.

De electione, & Officio Procuratoris in temporalibus, & de ejus obligatione reddendi rationes.

Can Monachi 16. q. 1. cap. unico de Syndicis

ELigatur, seu assumatur in Procuratorem cujuslibet Monasterii per Priorem, & Capitulum, seu ejus partem majorem, unus de Monachis professis constitutus in Sacris, qui ad Prioris consilium, & mandatum bona temporalia Monasterii recipiat, & fideliter administret. Si tamen videatur expediens, poterit unus de Fratribus laicis in Procuratorem assumi. Quodsi unus Procurator non sufficit, possunt modo prædicto duo, aut plures constitui. Procurator autem, seu Procuratores hujusmodi teneantur quater in anno Priori, & per eum ad hoc assignatis, in præsentia claves arcæ tenentium, de administratis reddere rationem: & in una de istis quatuor vicibus sint Deputati præsentes. Officium verò Procuratoris non de facili sibi tollatur; ex causa tamen legitima poterit illum Prior cum Deputatorum consilio, & consensu: vel major, & sanior pars Capituli, etiam nolente Priore: ab hujusmodi Officio removere.

EXTRAVAGANS I.

QUilibet Religiosus habens Officium dandi, & recipiendi pecunias, aut administrandi fructus redditum, possessionum, & Granciarum, aut Cappellaniarum, & Missarum, quæ celebrantur, teneatur reddere rationem, & computa semel in anno: præsentibus Priore, Deputatis, Depositariis, & Procuratoribus.

EXTRAVAGANS II.

IN quocumque nostrorum Monasteriorum habeatur liber, in quo scribantur omnes, & singulæ possessiones, hæreditates, funda, & redditus Monasterii: à quonam, & quibus conditionibus, & oneribus donata sunt: simulque spiritualia beneficia, quæ pro ipsis in Monasterio aguntur.

EXTRAVAGANS III.

PRæsidens, Procurator, aut Custos absque scrupulo conscientiæ possint moderatè, & prudenter corrigere verbis, vel facto, pro eorum arbitrio, Famulos servientes, & Commensales intra Monasterium.

EXTRAVAGANS IV.

QUilibet Monachus in reddendis rationibus, & computis deficiens, atque debitor resultans, ipso facto voce activa, & passiva privetur, & clausuræ intra Claustra pœnam sustineat absque aliqua dispensatione: donec debitum solvat, & satisfaciat. Sin verò Communitas, ob justas causas sibi benevisas, dicto Monacho debitum, servatis servandis, condonet, vel remittat: nihilominùs tamen voce activa, & passiva, ut priùs, privatus remanet; donec, & quousque per Capitulum Generale, aut Privatum, ac præhabita de casu informatione, ab hujusmodi privationis pœna absolvatur.

EX-

EXTRAVAGANS V.

IN electione Procuratoris temporalium concurrere debeat consensus Prioris, & consensus Capituli, seu majoris illius partis. Si tamen casus discordiæ contingat, nempè: vel quod major pars in Procuratore eligendo non concordet; vel Prior dictæ majori parti Capituli non assentiatur, seu consentiat; decem scrutiniis infra duos dies perficiendis, sinè electione Procuratoris transcursis: prædicta electio ad Priorem devolvatur, qui tunc Procuratorem eligat Monachum, qui sibi videbitur magis expedire.

EXTRAVAGANS VI.

Sac. Concil. Trid. sess. 25. c. 2. de regul.

OMnes Monachi administrationi bonorum temporalium à Prioribus præpositi, ad Priorum nutum sint amovibiles. At verò Procurator temporalium amoveri non possit, nisi ex causa legitima, vel à Priore cum consensu Deputatorum, aut majoris partis illorum: vel à majori parte Capituli, ut in hac Constitutione disponitur.

EXTRAVAGANS VII.

IN quolibet nostrorum Monasteriorum adsit in loco publico tabella, in qua referantur Benefactores Monasterii, obligationesque DEum pro illis orandi: necnon alia tabella, in qua benefactores totius nostri Ordinis in communi pariter describantur.

CONSTITUTIO XXXVII.

Quod in quocumque ex nostris Monasteriis adsit arca Communitatis cum duabus clavibus. De electione Capserii, & de arca depositorum, & Depositario.

ARca Communitatis sub duplici clave in quolibet nostri Ordinis Monasterio teneatur, in qua moneta cujusvis materiæ, sive alia quæcumque in auro, argento, seu rebus pretiosis consistentia reponantur. Quarum clavium unam Prior, seu Monachus deputatus ab eo; alteram teneat alius Monachus ad id per Capitulum assignatus. Poterit tamen, si velit Capitulum, duas claves habere, & pro eis tenendis duos de Monachis assignare.

EXTRAVAGANS I.

IN nostro Ordine non recipiantur deposita, nisi simpliciter, absque aliqua cautione, neque obligatione: strictéque defendimus, & prohibemus, quod nullus Prior, nec Vicarius, neque aliquis alius in eorum absentia, audeat assumere aliquid ex tali deposito sinè Deponentium licentia, & consensu; qui verò contrarium fecerit, à nostris Visitatoribus Generalibus gravissimè puniatur.

EXTRAVAGANS II.

SI in aliquo necessitatis casu, aut eventu, vel ad aliquam piam causam cuilibet Monacho data fuerit pecunia: eam in arca Conventus deponat; exindeque non extrahatur sinè Prioris licentia. Et reprehendimus Monachos importunè inquietantes Priores suos pro eleëmosynis, aut Missis, licentiisque frequentibus ad sua loca, & terras eundi: causarum piarum quæsito colore, vel prætextu; insuper Monachi, qui transmittuntur de uno ad aliud Monasterium, pecunias ex itinere superstites deponant in arca Monasterii, ad quod accedunt: ut Monasterio, ad quod pertinent, consignentur.

EXTRAVAGANS III.

NUllus Monachus procuret præstimonia, aut aliam provisionem Ecclesiasticam: neque acquirat redditus Regios, (vulgò *Juros*) absque Patris Generalis licentia; quia si secus fiat, scandalum maximum oritur: malumque exemplum Sæcularibus donatur.

EXTRAVAGANS IV.

PRior est Confirmator electionis Depositarii, seu claves arcæ tenentis; quarè secundum suam conscientiam potest acceptare, vel non acceptare Depositarium pro clavibus arcæ tenendis à Capitulo electum: si tamen, vel major pars in eligendo non concordet, & conveniat: vel Prior electionem dictæ majoris partis non acceptet: decem scrutiniis biduo factis, devolvatur electio ad Priorem, qui in tali casu eligat in Depositarium, exclusis Vicario, & Deputatis, Monachum, qui ipsi conveniens visus fuerit; qui tamen, prout reliqui Officiales bonorum Monasterii, semper ad ejus nutum maneat amovibilis.

EXTRAVAGANS V.

MOnachi, quibus incumbit administratio temporalis bonorum Mona-

fteriorum, & exigentia reddituum ad illa pertinentium, teneantur, intra viginti quatuor horas ab eorum acceffu ad Monafteria computandas, omnem pecuniam, quam fecum adduxerint, in arca Communitatis reponere, & configнare; & infuper prohibemus Prioribus, Vicariis, Præfidentibus, & Depofitariis, fub pœna fufpenfionis ab Officio per fex menfes, aliisque noftrorum Vifitatorum arbitrio infligendis, pecuniam quovis titulo ad Monafteria pertinentem, extrà dictam arcam Communitatis habere: feu in celliis, vel Officinis fub eorum poteftate, quovis quæfito colore, ullatenus retinere. Siqua verò pecunia propter neceffitates Monafterii in mutuum, vel commodatum accipiatur: etiam in arca Communitatis reponatur, & à Depofitario claves arcæ tenente regiftretur; atque in computis generalibus illius ratio reddi omninò debeat.

EXTRAVAGANS VI.

IN omnibus Monafteriis præter arcam Communitatis, in qua Monafterii communis pecunia deponitur, alia etiam exiftat fpecialis pro Monachorum peculiis, cum duabus etiam clavibus: quarum unam Prior, alteram Monachus ab ipfo cum Deputatis, vel cum fuo Capitulo, fecundum confuetudinem Monafteriorum, defignandus, habeat; in qua teneantur finguli Monachi omnem pecuniam ipfis ad ufum pro fuis neceffitatibus permiffam, feu quomodolibet pertinentem confignare, & deponere: indeque nullam quantitatem extrahere poffint, nifi de Superioris licentia. Prætereà nullus Monachus dictam pecuniam fibi ad ufum conceffam, excepta ea parva quantitate, cujus confumendæ licentiam à Superiore habeat: vel peculia aliorum Monachorum apud fe retinere, vel aliis quibuscumque Perfonis cuftodiendam tradere audeat; fed in prædicta arca peculiorum præcisè deponi debeat, fub pœna privationis vocis activæ, & paffivæ per triennium.

EXTRAVAGANS VII.

NUllus Monachus poffit opera per feipfum manufacta vendere; fed fiquæ ab aliquo facta fuerint, Prioribus exhibeantur: ut eorum arbitrio de ipfis difponatur. Quodfi Monachus opera ab ipfo manufacta absque licentia Prioris vendiderit, pœna Proprietarii, juxta qualitatem culpæ, debitè puniatur.

CONSTITUTIO XXXVIII.

Quod non recipiantur plures Monachi, quam illi, qui fuftentari poffunt cum redditibus Monafterii.

NOn recipiantur Monachi in majori numero, quàm poffint de Monafterii facultatibus commodè fuftentari; ne egeftatis prætextu mendicantes vagari extra Monafterium compellantur; quod non eft noftri Ordinis, imò potiùs Ordinum Mendicantium. Infuper, quarenùs commodè fieri poterit, obfervetur: quod Monachorum recipiendorum duæ partes ad minus divino deputentur Officio. Alii verò ad Domus fervitia recipiantur in Fratres, Laicos apud nos vulgariter nuncupatos. Alioquin Receptores debitè puniantur.

Cap. Quoniam de vita, & honeftate Clericor. c. 2. de Stat. Regular. in 6. & cap. Non amplius de Inftit.

EXTRAVAGANS I.

NUllatenus poffint acquiri bona, nec ftabilia, nec mobilia, vel redditus, per viam fucceffionis, aut hæreditatis ab inteftato, quæ pertineat ad aliquem Religiofum in iis Monafteriis, in quibus viget confuetudo non fuccedendi ab inteftato in hæreditatibus: in illis verò Monafteriis, in quibus confuetudo eft fuccedendi ex perfona Monachorum, non prohibentur hujusmodi jure fucceffionis uti; femper tamen attendant ad bonum noftri Ordinis nomen, & cum religiofa confideratione ad qualitatem, & poffibilitatem illarum Perfonarum, ex quibus provenit hæreditas, & ad paupertatem, neceffitatem, & debita Confanguineorum: & quatenus expediens judicaverint: in his cafibus, de confilio majoris partis Capituli, ab hoc jure fuccedendi poterunt laudabiliter abftinere; ut declaravit nofter Ordo ex facultate fan: mem: Pauli III., & ufu eft confirmatum. Si verò aliquis Monachus, fivè Monafterium fuerit inftitutum hæres, aut ipfi relictum aliquod legatum, vel donatio, ràm in teftamento, quàm alio quocumque modo: Monafteria indiftinctè, & unumquodque illorum poterunt acceptare tales inftitutiones, legata, & donationes, & retinere talia bona: etiamfi fint bona ftabilia, & redditus.

Paul. III. 1538.

EXTRAVAGANS II.

NUllum noftrum Monafterium emere poffit aliqua bona immobilia, redditus, jura, & alia fimilia absque licentia Patris Generalis: cui commedatur,

ne

ne hujusmodi licentiam faciliter concedat. Ut autem Monasteria in suis redditibus, & possessionibus, ut par est, conserventur; illud Monasterium, quod à suis redditibus, & possessionibus temporum calamitate defecerit, vel quolibet eventu propria bona perdiderit, compensari, & integrari valeat de prædictis bonis, & redditibus perditis: acquirendo alia bona, & redditus tantæ saltem æstimationis, quantæ erant bona, & redditus, à quibus defecit. Illa verò Monasteria, quæ dotem, & redditus sufficientes non habent pro decenti, & congrua sustentatione Monachorum ipsis designatorum, facultatem habeant acquirendi bona quæcumque mobilia, vel immobilia, & redditus quæcumque jure, aut titulo ad ipsa quomodlibet pertinentia, usque in quantitatem illis à Capitulo Generali, juxta numerum Monachorum, taxatam, vel taxandam.

EXTRAVAGANS III.

Sub dispositione præcedentium Extravagantium non comprehendantur Monasteria nostrarum Monialium.

EXTRAVAGANS IV.

NOstra Monasteria possint acceptare, & acceptent quascumque Cappellanias, quas Fideles pro eorum devotione voluerint instituere cum licentia Ordinis, vel Patris Generalis inter Capitulum, & Capitulum, cum quocumque numero Missarum, aut aliorum bonorum spiritualium: & retinere bona, & redditus ipsis pro omnibus supradictis donata, vel relicta. Si verò pro supradictis eleemosyna, aliquave dotatio desuper facta, aut facienda, in numerata pecunia Monasteriis data fuerit; cum tali pecunia nedum possint: verùm debeant, & teneantur emere bona stabilia, & redditus: illaque retinere, & possidere: ut à Sac. Congregatione Concilii decretum, & inviolabiliter observari mandatum fuit.

Decret. S. Congreg. Conc. sub Urbano VIII. const. Cum sæpè contingat. §. Præterea 21. Jun. 1625.

CONSTITUTIO XXXIX.

De examine, quod fieri debet illorum, qui recipi debent pro Monachis, & de eo quod præcedere debet pro professione.

REcipiendus ad habitum nostri Ordinis, antequam ad illum admittatur, diligenter examinetur per Priorem, si velit, aut per aliquos per eum ad id assignatos: utrùm pro statu clericali, an laicali sit aptus, & in eo statu, quo sibi visum fuerit, recipiatur. Et si fuerit receptus in Clericum, fiat ei rasura ejusdem quantitatis, quæ fieri consuevit constitutis in Sacris, etiamsi non extiterit ad clericalem Tonsuram promotus: cujus coronæ capillorum longitudo quantitatem duorum in latitudine digitorum non excedat, nec auris sumitatem attingat. Fratres autem pro laicali statu recepti, coronam non deferant; & mandamus, & ordinamus: quod non possit super hoc dispensari absque Capituli Generalis, vel Patris Generalis inter Capitulum, & Capitulum, licentia speciali.

Can. Non liceat 2. dist. 23.

EXTRAVAGANS I.

FRatres in statu laicali recepti, semper, & perpetuò absque aliqua dispensatione permaneant in ea vocatione, & statu, in quo à Deo in Religionem vocati sunt; & cum serò ad Chorum accesserint, ponantur ad signum pœnitentiæ, sicut Choristæ. Insuper Chorista, qui in Ordine sacro constitui procuraverit, ipso facto graviter puniatur.

EXTRAVAGANS II.

NOn recipiantur ad nostrum habitum Religiosi alterius Ordinis sine licentia Patris Generalis; exceptis Canonicis Regularibus, aut Religiosis Ordinum Militarium.

EXTRAVAGANS III.

NUllus possit recipi in Monachum, vel Fratrem laicum nostri Ordinis, qui ex Neophitis, seu noviter ad nostram sanctam fidem conversis, aut à Judæis intra quartum gradum, ortum, vel originem ducat, aut descendat, sub pœna Excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ, tàm ab eo, qui professus fuerit, scienter regens hunc defectum: quàm ab illis, qui scientes ipsum receperint; & ulterius sit nulla, & invalida professio. Quod confirmatum est per Bullam Apostolicam.

Alex.VI 23. Dec. 1495. Tractat. Bull. Bull. 17.

EXTRAVAGANS IV.

SUb eisdem pœnis non recipiantur in nostri Ordinis Monachos, vel Fratres, qui descendunt, & originem ducunt à stirpe Maurorum, & Saracenorum; usque ad dictum quartum gradum. Quod pariter est confirmatum per Bullam Apostolicam.

Pius V. 27. Jan. 1565. in eodem Tract. Bull. 18.

EXTRAVAGANS V.

1. EX inviolabili praxi, & consuetudine antiquissima nostræ Religionis, quæ jam vim legis obtinnit, quandocumque aliquis in nostro Ordine recipi ad habitum desiderat, & petit: infrascripta omninò serventur.

2. Recipiendus ad habitum à Priore cum Deputatis omni cura, & diiigentia de vocatione & intentione, quibus ad nostram Religionem accedit, prudenter examinetur; & in dicto examine discretè, & cautè spiritum, quo movetur, & in Religione recipi petit, intelligere, & detegere dictus Prior, & Deputati sollicitè conentur.

3. Si bono spiritu, perfectaque vocatione moveatur: iterùm examinetur de ætate, nomine, tàm proprio, quàm Genitorum, Avorumque utriusque lineæ, de patria, ubi vivunt, aut quandoque vixerunt: de officiis, quæ exercenr, vel anteà exercuerunt; si habeant redditus, & facultates ad congruam, & decentem vitæ sustentationem; si sint veteres Christiani mundi ab omni macula, & infectione Judæorum, Saracenorum, recenrerve conversorum, aut alterius cujuscumque Sectæ reprobatæ? si sint, vel fuerint liberi, aut servi? si Recipiendus sit natus ex matrimonio legitimo? si matrimonio sit ligatus, illudve contrahere promiserit: aut alterius Ordinis sit Religiosus?

4. Si est major sexdecim annorum, iterùm examinerur: si aliquod obtinuit officium, vel munus publicæ, seu particnlaris administrationis, cujus computa reddere teneatur? si ære alieno, & debitis gravetur, quæ suis facultatibus persolvere omninò non possit? si aliqua gravia, & enormia delicta commiserit, de quibus ab aliquo Judice sit processatus, vel processari, & damnari timeat? si sanus sit corpore: vel habet aliquam infirmitatem actualem, vel habitualem occultam, qua impediri possit à vita communi, Monastica, & Regulari, ejusque asperitatibus tolerandis.

5. Si hoc examine constiterit Recipiendum habere aliquem defectum ex relatis in prædictis interrogationibus: omninò debeat à Priore, prudenter tamen, & discretè, repelli: nec Conventui proponi; sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, omnium Officiorum, graduum, honorum, & dignitatum, & inhabilitatis perpetuæ ad hæc, & alia imposterum obtinenda: & si fuerit facta propositio, easdem pœnas incurrant scienter Recipientes, juxta Constitutionem Sixti V. & moderatorias Gregorii XIV. & Clementis VIII. quæ pro Recipiendis in qualibet Religione emanarunt, postquàm prædicta omnia est nostra diuturna consuetudine jam observabantur.

Sixt. V. Const. Cum de omnibus 26. Nov. 1587. & Const. Romanum 21. Oct. 1588. Greg. XIV. r. Circumspecta 15. Mar. 1590. Clem. VIII. r. Circumspecta in suprema 2. Aprilis. 1602. & Cum ad Regularem 16. Martii 1603. Greg. XIV. d. Const. Circumspecta cit.

6. Sin verò Recipiendus nullum ex his se habere defectum dixerit, responsa illius in summario scribantur; moneaturque, & certificetur ipse Recipiendus: quod ante professionem de omnibus supradictis sumi debet plenaria informatio, qua si constiterit ipsum suis responsis veritatem celasse, prorsùs à nostra Religione debet expelli.

7. Si Recipiendus fateatur, vel aliàs constet ex legitimo Matrimonio natum non esse: antequam recipiatur, omninò fieri debear, juxta tenorem Constitutionis Gregorii XIV. & anteriorem praxim nostri Ordinis, informatio plenaria de vita, moribus, indole, ingenio, & virtute Recipiendi, quibus defectus natalium suppleri possit, & valeat; spereturque fore valdè proficuum, utilemque Religioni. Quo casu poterit ad nostrum habitum recipi, proficeri, sacris Ordinibus initiari: voceque activa, & passiva suo tempore gaudere; nisi fortè Illegitimus alicujus Religiosi fuerit Filius: quo casu dictus Illegitimus nullatenus possit, vivente Patre, recipi in Religione eadem.

8. Cum autem Recipiendus fuerit naturalis Villæ, aut Oppidi per sex leucas à Monasterio, in quo recipi debet, non distantis: non proponatur Conventui absque licentia Patris Generalis: qui ipsam non concedat, nisi justis de causis, quæ in utilitatem Monasteriorum cedant; nisi fortè in aliquibus Monasteriis adsit contraria consuetudo eos absque dicta licentia recipiendi, quæ toleratur.

9. Prætereà diligenter attendant Prior, & Deputati: ne Genitores, Avi, vel Fratres Recipiendi exerceant, aut anteà exercuerint officia aliqua, quæ in æstimatione communi vilia, aut infamiam inducentia reputentur, videlicet; si sint, vel fuerinr Histriones, Gladiatores, seu cum hominibus, vel bestiis Luctatores, Scænici, vel Citharedi in locis publicis ob lucrum, publici Lusores, Carnifices, Laniones, Tibicines, Bajuli, Caupones, publici olei,

aceti, comestibiliumque Venditores, Sutores, Lanifices, Calceatores, Coriarii, Hospitatores, Machinatores, Muliones, Filii publicarum Meretricum, & illarum Genitores, omnesque complices in earum lucro, & exercitio, Usurarii, Falsarii, Proditores, Latrones, Assassini, qui peccatum contra naturam commiserint, aliaque similia, quæ in opinione Prudentum in Villis, & Oppidis vilia, & Infamia reputantur: à quibus omnibus, nisi Fratres, Genitores, & Ascendentes ad habitum Recipiendi, sint prorsùs liberi, & immunes; non admittatur: & admissus Novitius expellatur; cautè tamen & prudenter, ne ipsi infamia oriatur.

Alex. VI. an. 1495. Pont. sui ann. 4. S. Pius V ann. 1565. Pont. sui ann. 5.

10. Caveant insuper, quod similiter rejiciatur: si in quocumque gradu, etiam remotiori, constiterit descendere ex stirpe Maurorum, Judæorum, aut noviter conversorum ad nostram fidem, vel in ea suspectorum, seu illorum, qui publicè pœnitentiati, seu reconciliati quandoque fuerint à sancto Officio Inquisitionis: seu ab alio quocumque Judice publicè etiam puniti fuerint pœna infamiam inducente: quia hujusmodi ad professionem non possunt in nostro Ordine admitti, sub pœnis Extravagantis III.

11. Postquam in prædictis sine aliquo defectu repertus fuerit Recipiendus, procedatur ad examen de sufficientia in Grammatica, & latinitate, de voce, visus integritate, & cantu firmo per dictos Priorem, & Deputatos simul cum Magistro Novitiorum, & Correctore cantus; quorum omnium, si eorum judicio omninò capax, & idoneus non fuerit, rejiciatur. Sin verò aliquam magnam habilitatem in nostris Choris necessariam obtineat: ut puta, si Organista, Musicæ Compositor, vel alicujus instrumenti peritus extiterit; defectus latinitatis eorum arbitrio, & prudentia suppleri possit, & valeat.

12. Peracto examine, approbatoque à Priore, & Deputatis, seu illorum majori parte, Recipiendus proponatur Monasterii Capitulo: in quo Examinatores prædicti, antequam ad suffragia procedatur, de sufficientia, reliquisque partibus, & qualitatibus hujusmodi Recipiendi in examine expertis, plenè, & fideliter informent. Dum sit hæc informatio, à Capitulo egrediantur Consanguinei Recipiendi, & ejusdem patriæ naturales, si qui in Capitulo adfuerint; ad suffragandum tamen cum cæteris Vocalibus, informatione peracta, reversuri.

13. Posteà procedatur ad receptionem per suffragia secreta, quæ debet esse canonica: & à toto Capitulo, vel saltem à majori illius parte, & simul à Priore Novitius debet admitti; ut præscribitur Extravaganti i. ad Constit. XVI. Sin verò suffragia fuerint æqualia: votum Prioris non sufficit, ut admittatur; sed necessariò expelli debeat ob defectum majoris partis Capituli. Huic verò, & aliis hujusmodi receptionibus cum Priore assistant, tanquam Scrutatores, Novitiorum Magister, & Vicarius, seu, absente Vicario, alius ex Capituli senioribus.

14. Prætereà, dicta forma servata, currente Novitiatus, & probationis anno: aliis tribus vicibus, (prout hactenus ex inviolabili nostri Ordinis consuetudine observatum fuit,) Novitius Capitulo proponatur, ut ab ipso recipiatur, videlicet: prima post quatuor menses ab habitus receptione completos; secunda post octo; tertia denique post decem; prout Priori videbitur tempus requiri, & sufficere: ut ante expletum probationis annum, fieri possit informatio plenaria de moribus, & vita, stirpis, & sanguinis puritate Novitii secundum nostra statuta, & privilegia; & facta informatio, examinari, approbarique possit à Priore, & Deputatis: ne aliter ultra annum probationis expletum professio Novitio protrahatur. Omnibus tribus dictis propositionibus Novitiorum Magister Capitulum informet, secundum Deum, & suam conscientiam, præhabitamque de Novitio experientiam, de indole, moribus, humilitate, aliisque qualitatibus Novitii; pariter egredientibus à Capitulo, dum fit hæc informatio, ut in prima præmissum est, Novitii Consanguineis, & ejusdem patriæ naturalibus, & post illam completam ad suffragandum cum cæteris similiter revertentibus. Informatione peracta, recipiantur suffragia, & regulentur, ut supra: ita quod ab omnibus Vocalibus, vel eorum majori parte, & simul à Priore Novitius admitti debeat, ut supra in prima præmittitur. Sin verò à majori parte Capituli non admittatur, rejici Novitius omninò debeat: nec iterum Capitulo proponi possit.

15. Quo verò receptiones maturiùs, & liberiùs fiant: teneantur Priores diem, quo singulæ Novitiorum propositiones fient, per suas litteras notifica-

care Vocalibus absentibus, qui commodè illis assistere possint, si veliot. Primæ verò, & ultimæ hujusmodi propositionum dies, omnibus vocalibus intra sex leucas à Monasterio distaotibus, priùs necessariò notificent tempore opportuno, ut si velint, dictis receptionibus adsint: & cum reliquis suffragentur; & si notificatio hujusmodi fuerit omissa: receptio sit nulla, quatenus illi, qui notificati non fuerint, reclament. Præterea, si aliqui Vocales infirmitate impediti, Capitulo singularum dictarum receptionum interesse non possint: prædicti Scrutatores, cum buxula clausa ad id præventa, ad recipienda eorum suffragia à Priore transmittantur: quibus reversis, dictorum Infirmorum vota cum reliquis in Capituli buxulis misceantur, & incorporentur, antequam omnium fiat regulatio, & scrutinium.

16. Tempore tandem opportuno, Novitioque jam ultimo, ut prædictum est, à Capitulo admisso, Prior cum Deputatorum consilio nominet, & mittat Monachum ejusdem Monasterii professum: vel si valdè distet à Monasterio patria Novitii: alterum ex professis Monasterii dictæ patriæ proximioris, prudentem, discretum, maturæ ætatis, atque peritum, pro facienda plenaria informatione de moribus, & vita, sanguinis puritate, officiorumque vilium exemptione, quæ juxta Bullas Apostolicas, tàm communes, quàm speciales nostro Ordini concessas, professionem cujuslibet Novitii præcedere debet: imposita pœna privationis vocis activæ, & passivæ, omniumque Officiorum, graduum, honorumque, & dignitatum, quæ habuerint, & inhabilitatis perpetuæ ad hæc, & alia impolterum obtinenda, tàm Prioribus, quàm Monachis Novitium ad Professionem recipientibus: nisi dicta informatio præcedat.

17. Monachus iste sic nominandus, nequeat esse Consanguineus, Affinis, aut aliqualiter Propinquus Novitii, nec ejusdem patriæ oriundus, aut naturalis; sitque præterea liber ab omni suspicione, & præsumptione puritatis sanguinis, aut cujusvis affectionis amoris, vel odii, amicitiæ, vel inimicitiæ, tàm cum Novitio, quàm cum suis Genitoribus,& Consanguineis;omninoque teneatur in ejus executione servare formam in nostro Ordinario descriptam, sub pœna privationis omnium Officiorum Ordinis, inhabilitatisque imposterum ad illa obtinenda.

18. Prior dare debeat suum mandatum, & commissionem ad faciendam prædictam informationem, simul cum Regio privilegio nostro Ordini concesso; ut testes ad testificandum compelli possint: & insuper tradat notulam nominum, & cognominum, tàm Novitii, quàm suorum Genitorum, & Avorum, Villarumque, ubi vivunt, vel vixerunt: & officiorum, quæ exercent, vel exercuerunt: fideliter extractam ex responsis Novitii in summario notatis, dum examinatus est ad primam receptionem. Juret insuper dictus Monachus, antequam exeat à Monasterio, coram Priore, & Deputatis in verbo Sacerdotis, se dictam informationem rectè, & fideliter facturum secundum nostri Ordinis statuta, & instructionem. Et cum redierit ad Monasterium: ita à se factam informationem, coram ipsis Priore, & Deputatis similiter juret; vel secundum stylum, & instructionem, completa informatione, ad pedes illius juramentum hujusmodi faciat, & subscribat.

19. Caveat diligenter Monachus Deputatus, quod in hujusmodi informatione facienda instructionem solitam, & usu receptam ad unguem prorsus servet; & antequam ad publicam procedatur: fiat omninò secreta inter Personas antianas, & integræ fidei, nulliusque suspicionis, ut in Instructione præscribitur: omni adhibita cura, & indagine pro comperienda veritate ab illis sub sigilli secreti promissione. Si in hac informatione secreta aliquem defectum substantialem repererit, sive in Novitio, sive in ejus Ascendentibus, duorum testium omni exceptione majorum juramento comprobatum: ratione cujus Novitius ad professionem admitti non possit: ad informationem publicam nullatenus procedat; sed secretò ab Oppido, vel Villa discedens, illum defectum Priori quamprimum notificet: Prior verò cum cautela possibili, & secreto servato, Novitium habitu expoliari, & à Monasterio expelli prudenter curet; ne ejus familia expulsione diffametur.

20. Sin verò nullus defectus in secreta informatione à dicto Monacho inventus fuerit: statim procedat ad publicam coram Judice, & Notario fideli, & legali; quam factam, & peractam, à Judice petat sibi originaliter consignari, juxta Regium privilegium ad hoc specialiter Religioni concessum; ne aliquod damnum testibus immineat, cujus timore à deponenda veritate retrahantur.

tur. Consignatam informationem in forma authentica, vel secum adducat; vel Priori cum certo Noncio statim ad Monasterium remittat; ubi à Priore, & Deputatis diligenter examinetur; & quatenus de illius legitimitate constet: ab iisdem approbetur; subscribaturque ab omnibus approbatioois Decretum: & ante professionem Novitii Prior Capitulo notificet, qualiter facta, examinata, & approbata fuerit ejus informatio; postea in Archivio Conventus custodienda reponatur; ut in Constitutione Gregoriana ordinatur.

21. Postquam omnia prædicta fuerint absoluta, annusque probationis terminatus; Novitius ad professionem solemnem, ut in nostro Ordinario Cap. XI. §. IV. sinè dilatione admittatur: & ad majorem cautelam, proùt hucusque inviolabiliter observatum fuit, in litteris suæ professionis à Novitio illam emittente fiat sequens protestatio: *Ego. Fr. N. N. attestor, & profiteor, quod sum Christianus vetus ex omnibus quatuor lineis: & quod semper, ac constiterit contrarium: & me habere aliquam maculam, seu infectionem Judæorum, Maurorum, Saracenorum, seu quodvis aliud impedimentum contra Bullas Apostolicas Ordini S. P. N. Hieronymi concessas: expelli velo à dicto Ordine, expoliarique illius habitu; & quod hæc professio à me facta, invalida sit, & nullius effectus.* Subscribaturque à Novitio coram testibus.

22. Insuper quilibet Prior cum Deputatorum consilio eligat in Magistrum Noviciorum, Monachum prudentem, expertum, quindecim saltem annos à receptione habitus habentem; quique de Religionis zelo, morum honestate, vita exemplari, spiritualiumque discretione sit optimè commendatus; cujus directioni, correctioni, & disciplinæ, tàm Novitii, quàm Professi, usque ad expletos septem habitus annos, omninò subjiciantur: Prioresque prædicto Magistro omnem auctoritatem necessariam concedant, & committant; ut ab omnibus sub disciplina ejus existentibus obediatur, veneretur, & simul timeatur: eosque omninò instruere, educare, & in spiritualibus juxta statuta Ordinis dirigere possit.

23. Nullus prætereà Monachus ad hujusmodi Magistri Noviciorum munus electus, sinè legitima causa à Priore approbanda, se excusare, & eximere possit; & si aliquis sinè dicta causa se excusaverit, & acceptare renuerit Officium hujusmodi: ad Prioris arbitrium puniatur. Prædicto etiam Magistro nullum detur Officium cum proprio munere incompossibile: quodque, sive in Noviciatu, sive in Choro, sive in Refectorio à suo munere impedire, aut divertere aliqualiter possit: nec ad aliud in tabellis deputetur communibus, quàm ad hebdomadam, lectionem, Pluvialemque pro Celebranti comitando; totumque tempus, quo dictum Magistri munus exercuerit, supra annos à receptione habitus completos, ad lucrandam exemptionem triginta annorum, ipsi pariter computetur.

24. Caveat autem prædictus Magister: ut in educatione Noviciorum, & sub ejus disciplina existentium, illorumque correctionem, instructionem in nostro Ordinario Cap. XI. præscriptam, & laudabiles Monasteriorum consuetudines omninò servet. Attendat etiam: ne qui sunt in Noviciatu, ullum commercium, conversationem, seu communicatione, nisi præcisè in necessariis breviter expediendis, cum Monachis extra existentibus habeant; & siqui in hoc fuerint delinquentes, graviter puniat: super quo maximè etiam invigilent Priores, Vicarii, & Præsidentes, Monachos extra Noviciatum, qui in prædictis defecerint, tale commercium, vel communicationem habentes, pariter corrigendo. Eorum nullus ad Noviciatum accedere, vel ingredi valeat, nisi de Magistri, vel Prioris licentia. Idemque observetur in communi dormitorio: ubi & quando Novitii dormiunt: seu in quolibet alio loco, ubi sub disciplina Magistri existentes fuerint congregati.

25. Curet proindè: ne in Noviciatu existentibus aliquod consignetur officium, in quantum commodè fieri possit, quod illis distractionis, seu diversionis occasio sit, seu causa esse possit commercii, & communicationis cum Monachis extra disciplinam existentibus; multóque minùs cum Sæcularibus: & cum recreationis causa in Hortos, vel in Campum sub disciplina ejus existentes egrediuntur: cum ipso Magistro, vel eo impedito, cum alio Monacho de Prioris licentia, simul procedant, & permaneant: nec ullus Monachus extra disciplinam ipsis associetur.

26. Inviolabiliter prætereà observet laodabilem diuturnam consuetudinem Ordinis, videlicet: quod singulis feriis sextis anni cum omnibus, qui sub ejus disciplina existant, faciat disciplinam,

nam, sive in dormitorio communi, sive in alio loco opportuno; ut alii etiam Monachi, si ex devotione velint, hujusmodi exercitio assistere valeant.

27. Modo, & forma prædictis Fratres laici, etiam ad habitum, & professionem recipiantur; sub disciplina Magistri per septem annos existant: quibus in observantiis Ordinis, & officiis servitutis, ob quæ recepti fuerunt, à Magistro instruantur; prorsusque perseverent in statu suæ vocationis. In singulis verò Monasteriis in tali competenti numero admittantur, ut ab officiis servitutis, & temporalibus Monachi omninò liberi, cum majori mentis tranquillitate, divinis possint vacare.

28. Priores verò, & Magistri maximoperè caveant: ne aliquis Frater laicus post receptionem habitus legere, & multò minùs Grammaticam discat; nec illum aliquis Monachus, sive Frater legere, vel Grammaticam docere audeat: & qui secùs fecerint: Novitiorum habitum per annum portent; nisi qui ipsum docuerit, Monachus in Sacris constitutus existat: quo casu per dictum annum voce Capitulari privetur. In qua pœna nullus Prior dispensare possit.

29. Denique Fratres laici singulis diebus post prandium, & cœnam cum his, qui sub disciplina Magistri existunt, ad mensas Refectorii extergendas intervenire teneantur; donec viginti annos habitus compleverint: Prioresque non permittant Sacerdotibus eos nimia reverentia, & honore tractare: nec alio nomine vocari, quàm Fratrum; quod ipsum servetur cùm aliis, qui Presbyteri non existant.

CONSTITUTIO XL.

De tempore quo durare debet Novitiatus, & de dispositione bonorum Novitii.

NUllus Novitius admittatur ad professionem, nisi de rebus suis anteà disponat, juxta dispositionem Sac. Concil. Trident. cap. 16. sess. 25. de Regular. donando inter vivos Monasterio, vel aliis Personis, aut locis ad placitum, nihil sibi omninò reservans: ut spiritus ejus Christum sequatur liberiùs, à terrenis oneribus, & eorum fiducia expeditus. Nec recipiatur cujusquam professio ante annum probationis expletum.

Cap. ad Apost. de Regul.

EXTRAVAGANS I.

NOn recipiantur ad habitum illi, qui non habuerint decem, & octo annos completos: quia in ætate minori non possunt cognoscere adeò perfectè statum, quem assumunt. Cum Personis tamen, quæ speciale meritum habent, poterit Prior cum suo Capitulo dispensare: ut ipsæ ad habitum admittantur ante dictam ætatem; dummodo tamen professio non recipiatur ante decimum sextum annum expletum, juxta S. Conc. Trid. dispositionem Cap. 15. sess. 25. de Regul.

EXTRAVAGANS II.

NOviter Professi, saltem per septem annos ab habitus receptione completos, sub disciplina Magistri Novitiorum subjecti perseverent: ut ex inviolabili praxi Ordinis in nostro Ordinario statuitur. Si autem in aliquibus Monasteriis vigeat consuetudo, ut longiori tempore Magistri disciplinæ subjiciantur: penitùs observetur; neque expleto dicto tempore, à dicta disciplina liberentur: donec per Priores de consilio suorum Magistrorum, (absque tamen illorum aliqua hujusmodi liberationis prætensione,) ipsis libertas concedatur. Siqui verò à dicta disciplina absolvi directè, aut indirectè procuraverint: subjectio sub Magistro illis ipsomet facto ulteriùs prolongetur.

CONSTITUTIO XLI.

De præcedentia, & ordine sessionum inter Monachos.

PRæcedant Monachi in Sacris constituti, in quibuscumque locis cæteros Monachos suos. Veruntamen inter prædictos constitutos in Sacris, ordo præcedendi minimè observetur. Idem quoque inter Monachos Clericos, & Laicos observetur.

EXTRAVAGANS I.

QUando Corrector mensæ fuerit Hebdomadarius: in loco Correctoris sedeat; & aliundè corrigere, aut emendare non valeat.

EXTRAVAGANS II.

UBicumque Conventus se congregaverit: juxta antiquam Religionis nostræ consuetudinem, Monachi sedeant, & ordinentur secundùm singulorum anti-

tiquitatem ab habitu recepto : ita tamen, ut Sacerdotes semper Diaconos, & isti Stubdiaconos, licèt habitu antiquiores, præcedant; Subdiaconi Choristas; Choristæque Fratres laicos; & Novitii sint omnium novissimi; sin verò aliquis Monachus, postquam alii jam fuerint ordinati, adveniat : in loco, quem invenerit vacuum, constitul, & sedere debeat.

EXTRAVAGANS III.

PRiores absoluti Monasteriorum professionis omnes alios Monachos præcedant, etiam antiquiores, qui Priores non extiterint : quos pariter præcedere debeant Secretarius, & Procurator Generalis Ordinis actuales; quandocumque in nostris Monasteriis interveniant : non verò dictos Priores absolutos.

CONSTITUTIO XLII.

Quando Monachi habere debeant votum in eorum Capitulo.

Clem ut ii de ætat. & qualit.

AD Capitulares actus non recipiantur, nisi Monachi professi in sacris Ordinibus constituti.

EXTRAVAGANS I.

MOnachi propter eorum demerita transmissi ad alia Monasteria, necnon qui sunt Priores in Monasteriis, quæ non sunt eorum professionis : quamvis sint intra vigintiquinque leucas, non habeant vocem in electionibus Monasteriorum, ubi sunt professi : nec Monachus, qui est vicarius Monasterii, cujus non est professus, habeat votum in electione Prioris illius; votum tamen habebit in electione Prioris Monasterii suæ Professionis; & si fuerit intra vigintiquinque leucas : etiam ad electionem citari debeat. Itidem Monachi, qui sunt in Monasteriis novis, habeant votum in electione Prioris sui proprii Monasterii; ad eamque citari debeant : si existant intra viginti quinque leucas; nisi fortè fuerint pœnitentiati.

EXTRAVAGANS II.

MOnachi, qui in aliis Monasteriis obedientiam perpetuam repromittunt, non habeant votum in Capitulo, antè quatuor annos completos à die repromissæ obedientiæ : exceptis Prioribus, qui, terminato Prioratu, remanent perpetuò in aliis Monasteriis, ubi Priores extiterunt : atque Monachis illis, qui in Domibus novis permansuri, obedientiam perpetuam pariter repromittunt.

EXTRAVAGANS III.

IMposterum nullus Monachus habeat vocem in Capitulo : donec decem annos ab habitu recepto compleverit, atque in Ordine sacro constitutus extiterit. Collegiales tamen in Collegiis existentes, si sint in Sacris constituti, in dictis Collegiis votum habeant post sex annos ab habitus receptione completos.

EXTRAVAGANS IV.

MOnachi illi, qui, habitu etiam retento, & cum legitima facultate, assistunt eorum Genitoribus, aut alicui Episcopo, sive ex alia quacumque causa, habitu retento, permanent extra Monasterium : non habeant votum activum, neque passivum; etiamsi tempore electionis sint præsentes in proprio Monasterio.

EXTRAVAGANS V.

MOnachi ultra viginti quinque leucas à propriis Monasteriis cum simplici Patente Patris Generalis commorantes, nisi exiliati, aut legitimè pœnitentiati existant, votum habeant, tanquam Vocales legitimi, in electione Prioris proprii Monasterii; ad quam concurrendi, atque accedendi licentia ipsis minimè denegetur, neque ullatenus impediatur : habita vacationis notitia. Ad prædictam tamen electionem citari non debeant, nisi Vocales intra viginti quinque leucas existentes, ut in Constitutione 70. ordinatur : exceptis tamen PP. Secretario, & Procuratore Generalibus, atque Monachis assistentiæ Patris Generalis, Prædicatoribus Regiæ Majestatis, Lectoribus, & Passantibus, qui in qualibet distantia prorsus citari debent.

EXTRAVAGAS VI.

MOnachi propter eorum demerita, & culpas ad carcerem, seu reclusionem in cella horis vacativis, etiam in propriis Monasteriis, per sententiam diffinitivam condemnati, nullam vocem in Capitulo habeant; etsi ad actus Communitatis ex reclusione egrediantur. Monachi verò inquisiti de aliquo crimine atque, dum compilatur processus, carcere custoditi, vocem activam in Capitulo habere debeant : donec, illis auditis, causa diffinitivè terminetur; nisi inquisitio fuerit de aliquo delicto facinoro-

so, vel culpa graviori publica, & manifesta, seu alia, cui in nostris Constitutionibus, & Extravagantibus privatio vocis Capitularis ipso facto fuerit imposita: quibus casibus omni voce Capituli prorsus careant.

EXTRAVAGANS VII.

Monachi extra propria Monasteria in aliis commorantes, ad electionemque Prioris suorum Monasteriorum accedentes, peracta electione, & confirmatione Prioris, redeant ad Monasteria, ubi priùs morabantur; nec vocem habeant in aliorum Officiorum electione: sicut jam diu in nostra Religione observatum fuit.

CONSTITUTIO XLIII.

Quod Fugitivi quærantur à suis Prioribus, de facultate illos deprehendendi & de pœnis pro illis puniendis.

Cap. fin. de Regul. cap. Abbates. 18. q. 2. c. Quando de Offic. ordin.

Fugitivi Monachi per suos Priores, quàm citiùs fieri commodè poterit, perquirantur, & per censuram Ecclesiasticam, vel aliàs, prout expedire videbitur, ad propria Monasteria redire cogantur; ac eis juxta suorum qualitatem excessuum secundum Constitutiones nostras pœnitentia imponatur; nisi forsan per Generale Capitulum de aliquo Monacho in speciali fuerit aliter ordinatum. Ad hæc: fugitivos censemus quoslibet Monachos, qui sinè suorum Prælatorum licentia ultra metas Monasterii, quas Monachi sinè licentia hujusmodi exire non debent, cum voluntate fugiendi, seu aliquod maleficium committendi, abscesserint: vel qui ad loca aliqua de suorum Priorum licentia missi, exindè sua auctoritate, cum intentione ad Monasterium non revertendi, recesserint. Cæterùm universis, & singulis Prioribus, ac Monachis nostri Ordinis omnes, & singulos Fugitivos professos, cujuscumque nostri sint Monasterii, capiendi, & ad Monasteria, quorum sunt professi, reducendi plenariam concedimus potestatem; vel saltem Fugitivorum Prioribus, expensis illarum Domorum, quarum illi Fugitivi capti professi extiterint, notificent de hujusmodi captione: quatenus ad reducendum eosdem captos ad sua Monasteria, certos Nuncios mittant. Verùm si aliàs apparuerit, aut verisimiliter præsumatur: quod Monachi cum sui Prioris licentia à suo Monasterio discesserint; non procedatur via aliqua contra eos. Præatereà omnes Ecclesiarum Prælatos, necnon, & quascumque alias personas jurisdictionem aliquam Ecclesiasticam quomodolibet obtinentes, aut alias, quæ sequuntur, exercere valentes, quam affectuosè possumus, deprecamur in Domino: quatenus ad instantiam, seu requisitionem cujuscumque Prioris, vel Monachi nostri Ordinis Fugitivos hujusmodi capiant, seu capi faciant; & eos Monacho, vel Priori requirenti captos tradant: seu illos ad loca, vel personas, quæ, vel quas Monachus, vel Prior requirens eisdem capientibus explicaverit, expensis Monasteriorum, quorum professi sunt, mittant: implorato etiam auxilio super prædictis brachii sæcularis, quatenus opus sit. Etiam Prælatis, & Personis supradictis jurisdictionem habentibus, vel aliàs præmissa exercere valentibus, auctoritate Apostolica nostro Generali Capitulo concessa, quâ fungimur in hac parte, ad universa, & singula supradicta specialem potestatem, atque licentiam impartimur. Præatereà si ad sacrum Ordinem quis, dum fuerit fugitivus, promotus extiterit; ad executionem hujusmodi Ordinis, aut ad aliquos actus Capitulares sinè Capituli Generalis licentia nullatenus admittatur. Fugitivorum autem Monachorum pœna hæc erit: Fugitivus, qui intra quinque dies à sui recessu numerandos, redierit, per quinque dies statim sequentes pœna gravioris culpæ cum disciplina in Refectorio, tempore prandii post benedictionem mensæ, mulctetur, eisdem diebus in carcere retrudendus. Si autem post quinque dies, ante diem tamen quadragesimum, redeat, ultra prædictam culpæ gravioris pœnam decem diebus carceri mancipetur. Si verò post quadraginta, dum tamen ante annum, reversus fuerit, præter jam dictam pœnam, per dies XL. carcerali reclusioni subjaceat. In quorum singula sexta feria unam in Capitulo culparum sustineat disciplinam; sed si post annum, quandocumque redierit: ultra præfatam pœnam, carcerem semestri spatio sustinebit; in quo singulis sextis feriis in pane, & aqua abstineat: & disciplinam in Capitulo culparum accipiat; necnon in actibus omnibus tanquam Novitius habeatur: donec per Priorem cum sui consensu Capituli in statum pristinum fuerit restitutus. Circa pœnas autem prædictas gravandi illas, præsertim contra illos, qui revertuntur inviti: & super eisdem dispensandi, præmaximè circa illos, qui voluntariè revertuntur: habeat Prior cum Deputatorum consilio, prout eis rationabile visum fuerit, plenariam potestatem. Verùm, si quisque fuerit secundò fugitivus: post debitam reconciliationem per Priorem, & Capitulum cum ipso

Cap. 1. de Regul.

Argum. can. Presbyteri dist. 81. cap. Novimus de verbor. signif.

ipso factam, ultra pœnas in hac Constitutione, ut præmittitur, designatas, sit semper ultimus omnium Monachorum sui status clericalis, vel laicalis, quos tempore sui regressus in Monasterio suo repererit; nec ad Confessoris, Vicarii, seu Prioratus Officia possit eligi, vel assumi: nisi cum eo per Generale Capitulum, & tunc etiam post tres annos à suæ reconciliationis tempore computandos, super dictis Officiis fuerit dispensatum. Præterea, si tertiò fuerit fugitivus: adhuc per suum Priorem, & Capitulum, prout præmittitur, reconciliari valebit. Veruntamen præter pœnas supradictas voce Capituli perpetuò sit privatus. Insuper ad prædicta Confessoris, Vicarii, & Prioratus Officia sit inelegibilis ipso facto. Quoad vocem autem Capituli obtinendam poterit cum eo per Generale Capitulum faciliter dispensari. Cæterùm si quartò fugitivus extiterit: ejus reconciliatio ad Generale Capitulum solummodo pertinebit, quoad habilitationem: quam tamen idem Capitulum non debet facere, nisi priùs sui Prioris, & Conventus bonam informationem habuerit super negocio hujusmodi Fugitivi; & tunc Generale Capitulum prædictas pœnas, aut etiam alias, prout sibi videbitur, eidem Fugitivo imponat; vel eundem ad Monasterium suum remittat illas passurum ibidem: quod decentiùs, & expedientiùs extimatur. Poterit etiam Pater Generalis ipsum ad Ordinem recipere, pœnarum dispensatione Generali Capitulo reservata. Porrò qui ultra vicem quartam aufugerit: perpetuò, & indispensabiliter pœnas inhabilitatis prædictas & nihilominus pœnas alias, si quæ illi fuerint in perpetuum, vel ad tempus impositæ, sustinebit. Fugitivus pro prima vice à voce Capituli sit ipso facto suspensus; tamen possit eadem vox illi restitui per suum Priorem cum consensu Capituli. Pro secunda autem vice similiter sit suspensus à voce Capituli; quæ quidem non possit ei restitui, nisi per Patrem Generalem. Pro tertia verò vice sit quoque ab eadem voce Capituli suspensus; quæ non valeat sibi restitui, nisi dumtaxat per Generale Capitulum.

Clem. ut Professores de Regular.

Argum. cap. Quam vis de pœnis, in 6.

EXTRAVAGANS I.

Fugitivi, qui ad Monasterium residentiæ Patris Generalis accesserint, & redierint, disciplinam in Refectorio statim sustineant, & in terra panem cum aqua comedant, iterùm, tertiò, & ampliùs, prout culpa postulaverit: reliquas verò pœnas in eorum proprio Monasterio, vel in alio, ad quod fuerint transmissi, adimpleant, & sustineant. Insuper Fugitivus, qui quater ab Ordine discesserit, in carceribus per sex annos recludatur: indè tamen poterit illum Prior ad Chori, & Refectorii assistentiam extrahere; reliquo verò tempore iterùm carceri mancipetur.

EXTRAVAGANS II.

Quilibet Prior nostri Ordinis, aut Vicarius in Prioris absentia, quemcumque Monachum fugitivum ab illis comprehensum, seu quolibet modo ad suum Monasterium reversum, & accedentem, ab excommunicationis censura, quam habitum derelinquens incurrit: & à quibusvis aliis censuris, si quas incurrerit: absolvere, eidemque per se, aut per suos Confessarios, omnia Sacramenta liberè administrare possint, & valeant.

EXTRAVAGANS III.

Fugitivis ad nostra Monasteria sinè habitu redeuntibus, aut venientibus, non possit habitus noster restitui, nisi à suo Priore, vel à Patre Generali.

EXTRAVAGANS IV.

Quotiescumque Monachus in Sacris constitutus, secundum nostrarum Constitutionum, & Extravagantium dispositionem, vocem Capitularem amittit; videlicet, propter tractatus illicitos de electione habitos, & ob fugam; in his casibus, Monacho delinquenti in Sacris non constituto auferatur corona: Fratri verò laico nexus ad utrumque scapularis latus in pœnam adnectantur; atque hujusmodi pœnæ eodem tempore durabunt, quo privatio vocis Capitularis Monacho in Sacris imposita durare debet.

EXTRAVAGANS V.

Inviolabiliter observetur consuetudo nostri Ordinis, videlicet; quod Monachis primò fugitivis non computetur in habitus antiquitate, neque ad vocem in Capitulo habendam, neque ad præcedentiam, neque ad aliquid aliud, totum tempus, quo extra Ordinem fugitivi existant; in quo nullatenus dispensari possiot. At verò semel, & iterum Fugitivi, aut à nostra Religione expulsi, seu voluntariè licentia debita egressi, cum ad illam reversi fuerint, aliam antiquitatem non sortiantur, nisi à tempore, quo ad Monasterium revertuntur: itaut sint novissimi omnium Monachorum, quos tempore sui reditus in Monasterio invenerint. Præterea se-

secundò Fugitivi, nisi post duodecim annos, à tempore sui regressus ad Monasterium, completos, ordinari non possint: & si ordinati jam fuerint, ab exercitio Ordinum dicto tempore sint suspensi. Tertiò verò Fugitivi in perpetuum non ordinentur, vel ab exercitio Ordinum susceptorum perpetuò suspendantur. Sin verò fuerint Fratres laici, pro secunda fuga duodecim annis, pro tertia verò perpetuò sub disciplina Magistri Novitiorum indispensabiliter existant.

EXTRAVAGANS VI.

MOnachi fugitivi, qui aliquid pretii, aut valoris à Monasterio ablatum, secum portaverint, seu, fuga durante, illud abstulerint: à propriis Monasteriis perpetuò à Capitulo Generali, si expediens videbitur, eliminari possint; atque in Monasteriis, ad quæ missi fuerint, pœna gravioris culpæ per annum indispensabiliter puniatur.

EXTRAVAGANS VII.

MOnachi, qui, habitu dimisso, ultra quinque vices fugitivi fuerint: Incorrigibilium pœna puniri debeant. Sin verò Fugitivi quicumque, antequam à Monasterii septis egressi fuerint, capiantur: in pœnas hujus Constitutionis Fugitivis impositas non incurrant, Priorum tamen arbitrio puniri possint.

EXTRAVAGANS VIII.

SI, prætextu litterarum Apostolicarum ab illo obtentarum, ad Villas, vel Oppida Monasteriis circumvicina, aliquis Monachus nostri Ordinis fugitivus cum habitu nostræ, vel alterius Religionis, aut sæculari pervenerit; aut in illis vagari, & manere quomodolibet præsumpserit; Priores, Vicarii, sive Præsidentes statim ad Ordinarium dictorum locorum accedant, & nostris Privilegiis utentes, ab eo petant: ut Fugitivo præcipiat, quod litteras Apostolicas coram illo præsentet: præsentatasque examinari curent; & si in examine legitimas ipse Ordinarius non invenerit: sibi ipsis curent Fugitivum consignari. Consignatus verò carceri mancipetur: donec Pater Generalis de illo conscius provideat, quod ipsi magis expediens videatur. Sin autem litteræ Apostolicæ legitimæ repertæ fuerint, à dicto Ordinario petant: ut dicto Fugitivo præcipiat à circuitu nostrorum Monasteriorum, Villisque, & Oppidis ipsis convicinis, recedere; sicut in Privilegiis nostræ Religionis disponitur.

Sixtus IV. 15. Aprilis anni 1477. P. S. an 6. Paul. III. 2. Augusti 1540. P. S. an. 6.

CONSTITUTIO XLIV.

Quod spolietur habitu nostri Ordinis, qui non fuerit Monachus illius.

NOvitios fugitivos, & quascumque alias Personas, quæ nostri Ordinis non existentes, habitum nostrum portant, quilibet noster Prior, vel Monachus nostro habitu, quo indignè teguntur, expoliare, vel expoliari facere possit.

Cap. Ut Clerici, de Regular., & transf.

CONSTITUTIO XLV.

De fundatione, unione, & destitutione Monasteriorum nostri Ordinis.

FUndari Monasterium aliquod de novo non valeat per ullam personam nostri Ordinis, absque Capituli Generalis, vel Diffinitorum omnium licentia speciali, & mandato. Et tunc tale Monasterium sufficientem ad minùs pro Priore, & duodecim Monachis debet habere dotem; quoniam in minori numero nequit Religio decenter, & commodè observari. Hanc fundandi licentiam Pater Generalis, unà cum Privato Capitulo, intra triennium possunt dare; sed destitutionem, & unionem quorumcumque Monasteriorum nostrorum solummodo Generali Capitulo reservamus.

Can. De Monachis, qu. 2., & Can. Quidam Monach.

EXTRAVAGANS I.

CUm valdè expediat, quod Domus novæ, quæ redditus sufficientes, & commodam habitationem pro duodecim Monachis, & Priore habent; in Monasteria formalia erigantur: Sac. Congreg. S. R. E. Cardinalium negocis Episcoporum, & Regularium præposita, Patrem Generalem, & Capitulum Generale seriò monet, ipsisque injungit: quod invigilent super dicta erectione; Visitatoribus Generalibus committant, ut de statu prædictarum novarum Domorum informationes capiant: erectionem promoveant; & quando requisita sufficientia concurrant: ipsum Capitulum Generale, servatis servandis, prædictam erectionem faciat, vel etiam, mediante unione unius cum altera novarum Domorum, prout sibi expedire videbitur, provideat; ad quem effectum redditus, & proventus dictarum novarum Domorum extra easdem Domos in alias quascumque causas non distrahantur: exceptis taxis ordinariis, vel

S. C. C. die 16. Decemb. 1729.

vel extraordinariis, quæ universo Ordini legitimè imponuntur.

EXTRAVAGANS II.

NOn recipiantur alia Monasteria Monialium; quia ita convenit pro custodia nostræ sanctæ Religionis.

EXTRAVAGANS III.

PRiores Monasteriorum propinquiorum Monasteriis Monialium nostri Ordinis, illarum curam habeant: eandemque in eas jurisdictionem exerceant, quam habent in Monachos sui Conventus.

EXTRAVAGANS IV.

PRiores Monasteriorum nostrarum Monialium curam habentes, in ea non ingrediantur, nisi causa gravi, aut urgenti necessitate moti, & ab illarum Confessario, & duobus Monachis ex senioribus comitati, causaque, vel necessitate sui ingressus peracta, statim a clausura exire debeant: cum verò aliquam Monialem ad habitum, vel professionem recipiant: hujusmodi receptionem, vel professionem per cancellos, aut communicatorium peragere teneantur. Nulli præterea Personæ, cujuscumque status, conditionis, aut sexus existat, licentiam ingrediendi in dicta Monasteria concedant: exceptis Medicis, aliisque necessariis Officialibus, juxta præscriptum in dictarum Monialium Constitutionibus.

Const't. Gregor. XIII. incip. Dubiis. Concil. Triden. sess. 25. cap. 7. de Regul.

EXTRAVAGANS V.

DOtes in ingressu, & professione Monialium receptæ, in communi deposito reponantur, & custodiantur sub tribus clavibus: quarum unam habeat Prior, cui Monasterii cura incumbit; alteram Priorissa; & tertiam depositaria, nullaque quantitas dictæ pecuniæ inde extrahi possit, nisi ut investiatur in fundis immobilibus, vel in censibus tutis, & fructiferis. Sin verò propter gravem, evidentemque Monasterii necessitatem aliquam portionem extrahere, & consumere necesse fuerit; nullatenus fieri possit; nisi, servatis servandis, de consensu Prioris, & majoris partis Capituli dictarum Monialium; & præcedente licentia Patris Generalis: priusque data cautione reintegrationis pecuniæ extrahendæ, quàm citiùs fieri possit.

EXTRAVAGANS VI.

MOniales nostri Ordinis tribus annis, incluso probationis anno, sub disciplina Magistræ Novitiarum indispensabiliter existant.

EXTRAVAGANS VII.

NUlla Fæmina in Monasteriis nostrarum Monialium admittatur, sive ad habitum recipienda, sive in iisdem Monasteriis aliquandiu educanda: quin servatis servandis, & præcedat consensus Prioris, & majoris partis Capituli earundem Monialium, per suffragia secreta prorsus præstandus.

CONSTITUTIO XLVI.

Quod non ingrediantur Mulieres in nostra Monasteria.

NUlla Fæmina stare per magnum spatium ad januam cujusl b.t Monasterii nostri: & multò minus intrare in Monasterium, nec intra ejus septa, permittatur. Toleramus tamen consuetudinem nonnullorum Monasteriorum: ubi Fœminæ Ecclesiam, seu Claustrum principale, dum fiunt processiones, consueverunt intrare, & non aliter: & in hoc dispensare non possit Pater Generalis.

Can. Pervenit. 18. qu. 2.

CONSTITUTIO XLVII.

Quomodo se habere debeant Monachi, quando itinerantur.

NOn incedat Monachus equitans in via sæcularibus ornamentis; sed honestam deferat sellam stapedinis ligni, & habenis canapeis, quæ ad adaquandum ferreas habeant catenulas: sed si casus evenerit opportunus, & utilis, in quo prædictum observari non poterit, Priori relinquitur secum, & cum Monacho itinerante dispensatio: & absente Priore, ipse idem Monachus hoc exercere valebit; super quod conscientias tam Priorum, quàm Monachorum oneramus.

EXTRAVAGANS UNICA.

OBservetur consuetudo inviolabilis ordinis, videlicet: ut nullus Monachus eat in Curiam Regiam, vel in Cancellarias sine licentia in scriptis Patris Generalis: & dumtaxat ad negocia propria, vel ad sua Monasteria pertinentia; & Monachi ita euntes, in Monasteriis resi-

residere teneantur, & assistere Missæ, & Vesperis diebus Dominicis, & Festis, & in principalioribus a Priore celebrandis, etiam Matutino: pariter omnibus dictis diebus a Monasterio non exeant sine expressa licentia Prioris; quæ nullatenus concedatur, quando celebratur agitatio Taurorum.

Constitutio XLVIII.

Quod nullus Monachus eat sine licentia ad Capitulum Generale, aut ad Patrem Generalem.

Clem. Ne in agro. de statu Monach. & Cap. Clerici. de vita, & honestat. Cleric.

Missus de uno Monasteriorum nostrorum ad aliud propter sua demerita, durante tempore pœnitentiæ sibi injunctæ, ad Capitulum Generale, aut intra triennium ad Patrem Generalem, sine mittentis licentia, venire nullatenus permittatur, tamen circa ejus negocium, si fuerit Patri Generali, aut Capitulo Generali propositum, intimetur eidem Monacho voluntas ejusdem Capituli, sive Patris Generalis. Si autem venerit, hujusmodi licentia non obtenta, graviter puniatur: necnon ad Monasterium, de quo discesserit, remittatur. Similiter etiam est graviter puniendus, & ad suum Monasterium remittendus quicumque Monachorum, qui sine debita licentia ad Capitulum Generale, seu intra triennium ad prædictum Patrem Generalem venire præsumpserit.

Constitutio XLIX.

Quis possit dare licentiam, ut transeat Monachus ad aliud Monasterium, aut ad alium Ordinem.

Can. Statuimus. 19. q. 3.

Transeundi licentiam de suo Monasterio ad aliud nostri Ordinis, vel ad alium Ordinem strictiorem ob frugem vitæ melioris, cuicumque Monacho sui Conventus quilibet noster Prior cum sui consensu Capituli, causa rationabili apparente, possit conferre cum licentia Patris Generalis, & non aliter. Si verò justa causa Monachum hujusmodi licentiam petentem non moveat: ipsum suus Prior detineat, & a proposito suæ levitatis, illum debitè puniendo, compescat.

EXTRAVAGANS I.

Martin. V. 17. Kal. April P. S Anno 5. & 12. Kal. Julii Ann. 7. Tract.

Juxta tenorem Apostolicorum Privilegiorum nullus Religiosus Ordinis nostri professus, ad Minorum, & alium quemcumque Ordinem strictiorem, etiam Carthusiensium, etsi bona intentione ductus, sub prætextu quorumcumque Privilegiorum dictis Ordinibus concessorum, & quarumcumque literarum Apostolicarum quascumque clausulas: etiam derogatorias derogatoriarum, in se continentium, nisi in literis ipsis expressus consensus Patris Generalis accesserit: & nisi de licentia ejusdem Patris Generalis petita, & obtenta, se transferre possit; alioquin, tam recipientes, quàm recepti excommunicationis sententiam, a qua nisi a Romano Pontifice, vel Patre Generali, præterquam in mortis articulo, absolvi non possunt: eo ipso incurrant. Monacho verò cum debita licentia ad alium Ordinem transeunti, posteaque ad nostrum reverenti, (quod omnino spiritus, & animi levitas videtur,) imponantur pœnitentiæ, quæ Patri Generali videbuntur debitæ, habita informatione sui Prioris, & Conventus: præterea ad omnia Officia honorifica Ordinis inhabilis maneat; quod si illorum sit incapax, per annum clausuram servet. Qui autem Monachus post professionem emissam in alio Ordine, ad nostrum redire voluerit, nullatenus recipiatur.

Bullar. Bul. 10. & 11. Eugen. IV. 12. Kal. Octob. Anno 1437. P. S. 7. Bul. 12. Pius II. 4. Non. Aug. Ann. 1463. P. S. 5. Bul. 43. Innocent. VIII. 6. Kal Apr. 1491. P. S. 8. Bul. 14. Gregor. XIII. 19. Janu. 1579. P. S. 7. Bul. 15.

EXTRAVAGANS II.

Monachus, qui cum justa causa, & debita licentia in alio nostri Ordinis Monasterio iterum obedientiam promittit, possit ad usum retinere, & ad secundum Monasterium transportare libros, cæteraque supellectilia, quæ vel adduxit secum a sæculo; vel acquisivit in primo Monasterio; cui dominium, & proprietas illorum omnino reservatur: & post dicti Monachi mortem restitui debent. Ut autem dicta restitutio fideliter, & sine damno neutrius Monasterii fiat: inventarium de omnibus, quæ de primo ad secundum Monasterium transferat, ante hujusmodi transitum conficiatur: & in utroque Monasterio illius copia conservetur.

EXTRAVAGANS III.

Si contingat aliquem Monachum exemptionem ab obedientia nostri Ordinis obtinere, & post illius usum ad Ordinem, & suum Monasterium iterum redire, & in eo recipi velle: Pater Generalis nequeat eum admittere sine novo consensu Prioris, & Capituli Monasterii suæ professionis. Sic autem receptus, in dicto Monasterio, iterum professionem renovet: aliaque antiquitate non gaudeat, quàm a die sui regressus, & secundæ receptionis in dicto Monasterio, neque vocem Capitularem habeat,

beat, nisi post decem annos completos, a dicta secunda receptione præcisè computandos.

Constitutio L.

Sub cujus obedientia stare debeant Monachus, qui vadit ad aliud Monasterium, ad tempus, vel in perpetuum.

QUicumque de suo Monasterio ad aliud nostri Ordinis per quoscumque mittendi potestatem habentes qualibet ex causa missus, debet tempore, quo ibidem manserit, sub obedientia, & correctione Prioris illius Monasterii, ad quod mittitur, permanere: exceptis casibus per Mittentem expressis. Verùm, si perpetuò missus fuerit, prædicto Priori, suisque successoribus perpetuam obedientiam repromittat.

EXTRAVAGANS I.

PRædicatores Regiæ Majestatis, aliique Monachi nostri Ordinis residentes Matriti, cum Patente, aut ordine Patris Generalis, etiam Ex-Generales, sint subjecti Priori Monasterii sancti Hieronymi Matriti; & pariter Vicarii, Procuratores, seu Oeconomi Monasteriorum Monialium sint subjecti Patri Priori, cui subduntur Monasteria, quorum sunt Vicarii, aut Procuratores, seu Oeconomi.

EXTRAVAGANS II.

MOnachis existentibus in Domibus novis, & Collegiis, inclusis Prioribus, & Lectoribus, quolibet mense octo regales monetæ Castellæ pro vestiario solvantur; Monachi veró aliis Monasteriis cum aliquo ministerio inservientes, aut in illis aliter commorantes, sive cum Patente, sive in exilio, vel a dictis Monasteriis vestiantur, prout proprii Filii; vel loco vestiarii dicti octo regales quòlibet mense ipsis persolvi debeant; si tamen fuerint carceribus mancipati, aut ita impediti, ut vitam communem cum aliis sequi non valeant: propria Monasteria illi, in quo commorantur, quod a Diffinitorio Generali, vel a Patre Generali inter Capitulum, & Capitulum, taxatum fuerit, solvere teneantur. Monachi denique in Monasteriis Regiæ Curiæ, aut Cancellariarum negociorum causa residentes, ipsis qualibet die persolvant, juxta taxam dicti Diffinitorii Generalis, aut Patris Generalis inter Capitulum, & Capitulum.

Constitutio LI.

Quomodo se habere debeant Monachi, quando itinerantur pro recipiendis sacramentis.

QUilibet Monachus nostri Ordinis cum debita licentia per aliquod ipsius Ordinis Monasterium transiens, possit a Priore, vel Vicario ipsius Monasterii, seu aliis Monachis ad audiendum confessiones inibi deputatis, sive ab eo, qui ad hoc sibi fuerit specialiter designatus, etiamsi hujusmodi designatus ejusdem Monasterii professus non fuerit, Ecclesiastica recipere Sacramenta: Itinerantes quoque Priores, & Monachi Presbyteri, cum debita licentia incedentes, possint aliis Ordinis Monachis, ac sibi invicem ministrare Ecclesiastiça Sacramenta. Presbyteris autem alterius Ordinis, aut sæcularibus Monachus, absque speciali, debitaque licentia, confiteri non debet: nisi hujusmodi licentiam petere fuerit oblitus. Habens etiam hujusmodi licentiam, si Monachum Ordinis habeat, cui confiteatur, nequaquam confiteri valeat alterius Ordinis Religioso, vel Sæculari.

Constitutio LII.

De examine, quod præcedere debet pro ordinandis Monachis, & de electione, & obligationibus Collegialium.

NOn promoveatur ad Ordinem sacrum aliquis Monachorum nostrorum, nisi aliqualiter Scripturas sacras, quas legit, intelligat ad examinationem sui Prioris cum Deputatorum consilio; nec Monachi extra Monasteria Ordinis ad discendum mittantur. Circa hoc tamen Pater Generalis poterit ex causa rationabili, prout sibi videbitur, dispensare.

Can. Quando Episcop., dist. 24. Can. Episcop. Cap. dist. 34. Ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.

EXTRAVAGANS I.

PAter Generalis Monacho Monasteriorum nostri Ordinis ad recipiendos Ordines licentiam non concedat: quin prius habeat informationem a Priore, & Deputatis Monasterii, cujus dictus Monachus est professus, de causa, vel causis, quare ipsi ad Ordines suscipiendos licentiam non concedunt.

EXTRAVAGANS II.

MOnachi non promoveantur ad sacros Ordines, donec quartum annum ab habitu recepto compleverint:

nisi aliter ex gravi causa Priori cum consilio Deputatorum videatur faciendum; ita tamen ad Ordines promoveantur, quod post primam Missam cantatam sub disciplina Magistri perseverent aliquo tempore, in rebus ad tantum ministerium necessariis instruendi. Quando verò pro Ordinibus suscipiendis extra Monasterium missi fuerint: cum Novitiorum Magistro, vel eo impedito, cum altero Monacho gravi a Priore designando, cui in itinere subsint, præcisè transmittantur.

EXTRAVAGANS III.

S. Conc. Trid sess. 5. cap. 1. de Refor.

IN singulis nostris Monasteriis lectio sacræ Scripturæ, aut casuum conscientiæ, juxta antiquam nostri Ordinis consuetudinem, præscriptumque sacrosancti Concilii Tridentini, habeatur, cui assistere debeant omnes Monachi non impediti, viginti annos à receptione habitus completos non habentes: aliàs nisi interveniant, culpam in Refectorio, vel Capitulo dicere teneantur, striĉtèque injungimus Prioribus, & nostris Visitatoribus, quod lectionem hujusmodi in Monasteriis sedulò teneri diligenter procurent, eamque omittentes, vel negligentes Priores, aut Lectores debitè coerceant.

Prior verò cum Deputatorum consilio pro hac lectione tenenda Monachum habilem designet; & qui saltem per tres annos in nostris Collegiis sac. Theologiæ vacaverit; qui Lector sacræ Scripturæ nominetur; & à festo S. P. N. Hieronymi usque ad Natalitium sancti Joannis, singulis diebus non impeditis legere teneatur: ipsique conceditur exemptio à Choro, exceptis diebus, quibus celebrat Prior, vacationibus, aliisque functionibus, juxta Monasteriorum consuetudines, & nostras Constitutiones.

EXTRAVAGANS IV.

1. IN nostris Collegiis, & electione Collegialium omnino serventur sequentia, videlicet: Collegiales nullatenus eligantur, aut mittantur per favorem, preces, aut supplicationem Sæcularium, sed attentis dumtaxat sufficientia, ingenio, & meritis Monachorum.

2. Non eligantur in Collegiales, qui quatuor annos ab habitu recepto non compleverint: in quo Pater Generalis absque magna, & urgenti necessitate non dispenset.

3. Pater Generalis nullum Monachum mittat ad Collegium in casu, quo ejus Consanguinei, Genitores, aut Propinqui expensas studii tempore in Collegio faciendas persolvere velint; nisi præhabita informatione a Priore, & Deputatis: si sit habilis, & sufficiens, qualitatibusque ad Collegium requisitis sit ornatus.

4. Monasteria secundum uniuscujusque possibilitatem ad Collegia Monachos habiles eligere, & mittere procurent, aliàs Pater Generalis, prout sibi expediens visum fuerit, super hoc provideat.

5. Statim, ac Collegiales electi ad Collegium accesserint, ad dispositionem, & mandatum Patris Generalis examinentur: & nisi de eorum sufficientia, habilitate, & virtute in examine constiterit, non recipiantur; ad suaque Monasteria remittantur.

6. Toto studiorum tempore Collegiales in Collegiis perseverent, quin ex illis ad Passantias in vacationibus egrediantur; & pro victu totius anni Monasteria propriæ professionis nonaginta ducatos monetæ Castellæ pro singulis Collegialibus Collegio solvere teneantur; & insuper Collegialibus vestimenta, & calceamenta necessaria subministrare: expensasque itinerum, sive ad Ordines suscipiendos, sive transitus de uno in aliud Collegium, ipsis persolvere debeant.

7. Si contingat Genitores, vel Consanguineos Collegialis expensas tempore studii factas, vel faciendas, Collegio persolvere: Monasterium, cujus dictus Collegialis est professus, quadraginta ducatos monetæ Castellæ ratione Passantiæ ipsi, vel Collegio persolvere, & satisfacere teneatur; nisi aliter conventum fuerit.

8. Collegiales singulis annis ab Examinatoribus in cujuslibet Collegii Constitutionibus designatis examinentur, & approbentur: exceptis Actuantibus Universitatis Salmantinæ; & hæc examina a die sequenti festum S. P. N. Hieronymi usque ad festum sancti Lucæ fiant, & compleantur; quique in illis insufficientes, & inhabiles reperti fuerint: seu inquieti, aut in moribus incompositi, a dictis Examinatoribus non approbentur.

9. Qui propter eorum demerita à Collegio expelluntur, eoque in examine privantur; seu qui, justa causa, vel necessitate non interveniente, Collegium renunciaverint: ad eundemmet statum, in quo erant, quando ad Collegia missi sunt, revertantur, & redigantur; itaut si tunc erant sub disciplina Magistri, ad eandem redire debeant:

ant: tempore residentiæ in Collegiis minime compntato, ut ab illa liberentur.

10. In quolibet Collegio designetur a Priore, vel Rectore Novitiorum Magister, sub cujus disciplina omnes Collegiales, tam Philosophi, quàm Theologi per sex annos ab habitu recepto subesse debeant; prædictus verò Magister Collegiales ita in actibus religionis, & mortihcationis exerceat: ut quatenus fieri possit, observantia Regularis in Collegiis conservetur.

11. In omnibus nostris Collegi's, & studiis, ex antiqua, & inviolabili consuetudine nostri Ordinis, tam in Philosophia, quàm in Theologia, doctrina sancti Thomæ Aquinatis, prout hucusque laudabiliter actum fuit, imposterum omnino doceatur, & teneatur; neque Lectores defendere, subscribere, aut typis mandare conclusiones, quæ dictæ doctrinæ non sint conformes, aliquo modo audeant; alias a Patre Generali puniantur.

12. In dictis Collegiis, (excepto Collegio sancti Laurentii Regalis,) incipiat Cursus, & Lectura a die immediatè sequenti festum sancti Lucæ; termineturque in immediatè præcedenti Dominicam Pentecostes. Ab hac verò die usque ad festum sancti Laurentii quotidie, festivis, & feriatis diebus exceptis, ab hora nona usque ad decimam matutinam Collegiales ad invicem in argumentis, & repetitione lectionnm sese exerceant; & a dicta hora decima usque ad undecimam conferentiam habeant; cui Patres Lectores Theologiæ, qnilibet in propria materia, alternativè præsidere teneantur; Philosophiæ verò Lectores similiter, cnm suis unusquisque Discipulis. Sin verò ex aliqua justa causa hujusmodi exercitia de mane haberi non possint, vespere peragere teneantnr hora assignanda à Patre Lectore, qui præsidere tenetur.

13. Dies feriales, sicut, & vacationes ab exercitiis litterarlis a die sancti Laurentii usque ad festum sancti Lucæ, in Natali Domini, & Bachanalibus, juxta uninscujusque Collegii Constitutiones, Collegialibus concedantur.

14. In nostro Collegio Abulensi legatur Cursus artium, dumtaxat per triennium: & in ipso exstant, & conserventur tres Philosophiæ Lectores, itant singulis annis Cursus Philosophicus incipiat, & terminetur: atque Collegiales, qui Cursum hujusmodi triennalem peregerint, ad Collegium Salmantinum Theologiam audituri pertranseant. Pariter Lector Theologiæ in Collegio Seguntino superadditus conservetur: in quo etiam unus existat Monachus Passans, & duo sint in Abulensi Collegio; quibus duobus Lectoribus Monasteria professionis de vestiario, & necessariis providere teneantur.

15. Ad Lecturas, & Cathedras nostrorum Collegiorum providendas, hæc forma servetur, videlicet: per oppositiones provideantur: quæ præcedere debeant, tam ad Lecturam, & Cathedram artium, quàm ad transitum ad Lecturam, & Cathedram Theologiæ. Qui verò Cathedram Theologiæ jam ascenderint, absque ulteriori oppositione Superioribus gradatim provideantur, & gaudeant.

16. Hujusmodi oppositiones fieri debeant coram Patre Generali, quibus duo Lectores Theologiæ, vel actuales, vel Jubilati ab eo designandi assistant; qui Oppositoribus materiam ad lectionem de more præparare teneantur hac forma, nimirum: ad Lecturam Philosophiæ ex Logica, Physica, aut Metaphysica; ad Lecturam verò Theologiæ ex Magistro Sententiarum. Oppositionis lectio per horam duret, & per alteram argumententur duo ex Oppositoribus: quilibet per dimidium horam; sin verò Oppositores non adsint in competenti numero, Pater Generalis pro sui arbitrio argumenta provideat; oppositionibusque completis, digniores ad Cathedras eligi debeant.

17. Pro eligendis etiam Actuantibus in nostro Collegio Salmantino, servetur hic ordo, nempe: ut Patres Lectores proponant Rectori dicti Collegii tres, aut quatuor Collegiales ad actua Collegii tenendos habiliores, & digniores; ex quibus Pater Rector necessariò Actuantes eligere debeat. Pro actibus verò publicis in Universitate tenendis, dictus Pater Rector, & Lectores ad electionem singulorum Actuantium procedant per suffragia secreta: & qui majorem suffragiorum numerum obtineat, electus in Auctuantem declaretur; sin verò prædicti Electores in æquales partes dividantur, devolvatur electio ad Patrem Generalem: qui attentis informationibus, secundum ejus conscientiam habiliores, & digniores eligat in Actuantes.

18. Expleto tempore studii, & Collegii, Collegiales, tam in propriis Monasteriis, quam in alienis, eximantur a Laudibus, omnibusque Horis Canonicis dicendis ante prandium, exceptis Missa, & Vesperis festivitatum majorum in Quadragesima, per tres annos sequentes

tes egressum à Collegio; intra quod tempus, vel saltem infra annum immediatè sequentem, coram Ordinario Diœcesano se cum sui Prioris licentia præsentare, & ad audiendas confessiones ab eo licentiam obtinere teneantur; dicto verò tempore transacto, nullâ aliâ gaudeant exemptione, nisi dierum octo, pro quolibet sermone ab ipsis prædicando, concessa.

19. Recenter a Collegiis, & studiis egressi non possint eligi in Priores, nisi completo sexennio: nec in Vicarios, Procuratores temporalium, aut Magistros Novitiorum, nisi elapso quatriennio: nec in Procuratores Capituli Generalis, nisi transacto etiam triennio: postquam, completo studio, a Collegio egressi fuerint. Caveat denique Pater Generalis, ut sine gravissimis, urgentibusque causis super his non dispensetur.

EXTRAVAGANS V.

Electio Collegialium fiat a Priore, & Deputatis per vota decisiva, & secreta de Personis habilibus, & benemeritis: & canonicè concludatur per majorem saltem partem suffragiorum; quod si vota æqualia fuerint: Prior nominet unum ex antiquioribus Monachis Monasterii, qui cum voto suo electionem faciat.

EXTRAVAGANS VI.

Collegiales, durante tempore suorum studiorum in Collegiis, non habeant votum in suis Monasteriis; etsi intra vigintiquinque leucas commorentur; & ad majorem abundantiam votum renunciate debeant, & teneantur, antequam ad Collegium proficiscantur.

EXTRAVAGANS VII.

Lectores Philosophiæ, postquam legerint per tres, aut quatuor annos, juxta consuetudinem Collegiorum, ipso facto vacent a sua Lectura, prout etiam Passantes: ut verò transeant ad Lecturam, & Cathedram Theologiæ, faciant oppositiones, ut supra ordinatur.

EXTRAVAGANS VIII.

Collegiales nostri Collegii Salmanticensis per quatuor annos studio Theologiæ vacent in dicto Collegio.

EXTRAVAGANS IX.

Collegialibus non dentur licentiæ prædicandi ubique, nisi transactis tribus annis, postquam exierint a Collegiis: id petentibus suis Conventibus, qui priùs hoc decernent per suffragia secreta; & præcedente examine de ordine Patris Generalis.

CONSTITUTIO LIII.

Quomodo, & quando poterunt Monachi nostri Ordinis, prædicare, & audire confessiones.

Extra Monasteria, & Parochias Ordinis nostri nullus Monachorum audeat absque Capituli Generalis, aut Patris Generalis, licentia prædicare; nec detur talis licentia, nisi illis, qui per Patrem Generalem, vel per deputatos ab eo, aut à Generali Capitulo, examinati fuerint diligenter. Et nihilominus, cum tales velint prædicare, debent ad id suorum Priorum licentiam obtinere. Præterea, Prior, vel Monachus, qui personarum extra nostrum Ordinem cum legitima facultate confessiones audierint: debent circa eas taliter se habere, quod animarum salus, & Dei servitium augeatur.

Cap. Excommunicamus §. Quia de hæret. Cap. Juxta 16. q. 1. Cap. Adjicimus 16. q. 1. Clem. Dudum. de Sepultur.

EXTRAVAGANS I.

Nostri Monachi ad prædicandum in Ecclesiis, quæ nostri Ordinis non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum à Constitutione præscriptam, juxta sacrosancti Concilii Tridentini dispositionem, etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in prædictis Ecclesiis, quæ non sunt nostri Ordinis, nullatenus prædicare possint. Ad prædicandum verò in Ecclesiis nostri Ordinis, cum sui Prioris licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, ab eisque benedictionem petere teneantur: antequam prædicare incipiant.

Concil. Trid. sess. 5. cap. 2.

EXTRAVAGANS II.

Pro quolibet Sermone prædicando, singulis Prædicatoribus concedatur, prout hactenus fuit continua praxis nostri Ordinis, exemptio à Choro per octo dies præcedentes: exceptis Festis, quibus ad Missam, & Vesperas, & in solemnioribus celebrandis à Priore, ad Matutinum accedere teneantur: nisi eadem die sint prædicaturi; nec non ad processiones pro Defunctis, Antiphonam

nam Beatæ MARIÆpost Completorium, & Litaniam in Sabbatis.

EXTRAVAGANS III.

NUllus Monachus possit audire confessiones aliorum Monachorum nostri Ordinis absque licentia, & facultate Prioris Monasterii, ubi residet, exercerique confessio debeat: etiamsi alterius Prioris licentiam ad audiendas confessiones suorum Monachorum obtineat. Priusquam verò dicta licentia Monacho concedatur, examinetur diligenter per Priorem, & Deputatos, seu per alios à Priore deputandos: & nisi post eorum approbationem, tam in scientia, quàm in virtute, & prudentia ad hujusmodi ministerium requisitis, nullatenus concedatur; possitque dictum examen, quoties Priori visum fuerit, reiterari: & Monachis, qui idonei non reperiantur, licentia data suspendi, vel omninò auferri debeat: exceptis Prioribus absolutis, Visitatoribus, Diffinitoribus, Lectoribusque Theologiæ, qui prædicto examini pro obtinenda licentia subjicit non debeant: sed omninò idonei reputentur.

EXTRAVAGANS IV.

Concil. Trid. sess. 25. cap. 15.

NUllus Monachus possit confessiones Sæcularium audire, nec per Bullam sanctæ Cruciatæ ad eas audiendas eligi: quin prius de sui Prioris licentia Episcopo præsentatus, ab eoque examinatus, vel alias idoneus judicatus, ad confessiones audiendas in illius Diœcesi licentiam obtineat. Nullus præthereà Monachus ad hujusmodi licentiam obtinendam Episcopo se præsentare audeat: quin prius per suum Priorem, & Deputatos diligenter examinetur, & approbetur; licentiamque in scriptis ad hujusmodi præsentationem à dicto Priore obtineat. Qui verò aliter coram Episcopo, seu Ordinario se præsentate, ab eoque licentiam ad confessiones audiendas obtinere præsumpserint; ejusdem licentiæ usus suspendatur: donec Pater Generalis ea uti concedat. Injungitur verò Visitatoribus Generalibus, quod prædictas licentias in visitatione generali videant, & examinent; & quas subreptitiè obtentas sine prævia Prioris licentia invenerint, rumpant, & lacerent: Monachosque, à quibus obtentæ fuerint, debitè puniant.

EXTRAVAGANS V.

MOnachi nostri Ordinis non possint eligere, virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius privilegii, Confessarios, qui illos absolvant à casibus reservatis per suos Superiores; sed necessariò, & præcisè uti debeant altero eorum, qui à dictis Superioribus ipsis fuerint ad id specialiter designati.

CONSTITUTIO LIV.

Quando haberi debet Capitulum culparum.

OMnibus sextis feriis per annum in quolibet Ordinis nostri Monasterio culparum Capitulum teneatur. Ex causa tamen, quæ Priori expediens videatur, poterit ad alium diem differri, aut totaliter dimitti.

EXTRAVAGANS I.

PRiores culparum Capitulum, prout ipsis expediens videatur, habere possint: quamvis Visitatores Generales, vel speciales in actu visitationis suorum Monasteriorum existant; dum tamen suis Monachis pœnitentias coram dictis Visitatoribus ad implendas non imponant: quin dictis Visitatoribus ipsas prius notificent.

EXTRAVAGANS II.

Nullus Monachus in culparum Capitulo proclamare, aut zelare aliquid possit, nisi post quindecim, aut viginti annos à receptione habitus completos, juxtà Monasteriorum consuetudines. Si verò ante prædictum tempus completum, ipsos premat conscientia de aliqua re gravi Capitulo præcisè revelanda, & manifestanda, loquantur breviter, flexis genibus, & non aliter.

CONSTITUTIO LV.

De pœnis impositis contra illos, qui obtinent gratiam, aut favorem contra Statuta Ordinis.

Cap. 1. & cap. Si ea. & cap. Cum pii. 25. q. 2.

GRatiam aliquam, seu Rescriptum contra nostras Ordinationes, seu Constitutiones, nullus Prior, vel Monachus, seu Conventus nostri Ordinis, conjunctim, vel divisim, à quocumque fine licentia Generalis Capituli audeat impetrare: qui contra fecerit, graviter puniatur. Insuper renunciare tali Rescripto, vel gratiæ teneatur, necnon eidem, donec renunciet, Ordinis communio denegetur. Et nihilominùs ex parte Ordinis notificetur Domino tale Rescriptum, vel gratiam concedenti, præjudicium, quod exindè nostro fit Ordini: ut super eo provideatur de remedio opportuno; salva tamen in præmis-

fis obedientia, & reverentia debita Sanctæ Sedi, ejusque Apostolico Legato.

CONSTITUTIO LVI.

De pœnis contra illos, qui extrahunt negocia, & lites Ordinis extra illum.

QUando scandalum, sivé dissensiones, vel quælibet querela inter Monasteria, vel Personas nostri Ordinis oriuntur, extra Ordinem nunquam exeant: sed intra Ordinem, & per Personas Ordinis discrete sopiantur secundum Ordinis unitatem; qui contra hoc venire, & ad aliam audientiam citare, vel appellare præsumpserit: eo ipso communio sibi Ordinis denegetur, donec humilitèr satisfecerit ad arbitrium Patris Generalis, aut Capituli Generalis. Recursùs tamen ad Sanctam Sedem, sive ad ejus Legatum non intelligimus in hac Constitutione prohiberi.

EXTRAVAGANS I.

NEgocia, & lites nostrorum Monasteriorum per sæculares Procuratores tractentur, & agantur, in quantum meliùs fieri possit: quoniam causa & occasio magnæ distractionis existit, si secùs factum fuerit.

EXTRAVAGANS II.

MOnschi nostri Ordinis non admittant mandata procuræ Sæcularium pro administrationibus, vel contractibus, aliisve negotiis, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ.

CONSTITUTIO LVII.

De pœnis impositis illis, qui appellant à Judicibus Ordinis.

Cap. Reprehensibilis, & c. Quia nos. de Appell.

FIrmitèr inbibemus: nequis Conventus, aut Persona, nostri Ordinis ab ordinatione, sive mandato Generalis Capituli, vel Privati, Patris Generalis, Confirmatorum electionum, Visitatorum, sive proprii Prioris, aut ejus Vicarii, appellare præsumat: quia hoc posset in subversionem totius Ordinis redundare. Qui contra fecerit, si sit constitutus in Sacris, carest per annum voce Capituli, & per triennium ad nullum Otdinis officium possit assumi; a divinis etiam Officiis, donec ad arbitrium ejus, vel eorum, cujos, seu quorum mandatum sprevit, humilitèr satisfecerit, noverit se suspensum. Si autem Monachus in Monasterii Priorem electus, à præcepto Confirmatorum, ne electioni dissentiat, imo quod ei cunsentiat: appellare præsumpserit: possint Confirmatores, si viderint expedire, ipsum absolvere, & ad Prioratum habilitare; imposita sibi pro appellatione ad suum arbitrium pœnitentia salutari. Si Laicus, aut in minoribus Ordinibus constitutus, tribus diebus in qualibet Hebdomada sit in pane, & aqua in Refectorio, sedens in terra: donec modo satisfecerit supradicto. Per duos insuper menses, catena vinctus, teneatur inclusus. Si sit Conventus, vel Monasterium: Ecclesiastico interdicto subjaceat; donec ab appellatione cum effectu desistat; quo tamen casu poterunt inculpabiles extra Monasterium celebrare, vel audire divina. Si tamen alicujus Monasterii Conventus, aut major pats à Confirmatoribus electionum, aut Visitatoribus se nimium gravari queruntur, aut rationabiliter timent de futuro gravari: voluntque statim infra biduum super hoc scribere Patri Generali: hujusmodi Confirmatores, sive Visitatores supersedeant in articulo, super quo querela proponitur; donec acceperint à dicto Patre Generali responsum. Eodem modo Conventus Sancti Bartholomæi in casu Visitationis ad Capitulum Privatum poterit habere recursum: quatenùs Visitatio successerit tempore, quo Prior ejusdem Conventus fuerit in officio Vicarii Generalis.

Arg. Clem. 1. §. Quibus. de Privileg.

Argum. cap. Si sententia, de Sent. Excom. in 6.

EXTRAVAGANS I.

DEclaramus licitam esse nostris Monachis appellationem: dummodo non fit *à correctione, & Disciplina Regulari*, juxta Regulam, & Constitutiones; fiatque gradatim forma a Summis Pontificibus præscripta; videlicet, à Priore ad Patrem Genralem &c. Præterea declaramus appellationem ad Sanctam Sedem, sive ad Nunctum Apostolicum in hac Constitutione nullatenus prohiberi.

EXTRAVAGANS II.

NOn adsint Judices appellationum: sed omnes recursùs fiant ad Patrem Generalem, ut Paternitas sua sententiam ferat cum Consilio aliquorum Monschorum discretiorum graduatorum Religionis in casibus arduis.

CON-

CONSTITUTIO LVIII.

De pœnis contra illos, qui obtinent favorem à Personis potentibus pro obtinendis Officiis in Ordine, & pro remissione pœnitentiarum.

Cod. Ne liceat Potentioribus. in rubro, & nigro.

QUi pro Prioris electione, vel aliqua Monasterii ordinatione, Potentes adeunt, & eorum auxilia implorant: a Domibus propriis eliminentur, noo nisi per Generale Capitulum reversuri. Ille verò, pro quo petitio facta fuit, si de ejus consensu emanaverit: in ipsa Domo per electionem, aut provisionem ad Prioratum, vel illud Officium, pro quo intervenit petitio, nullatenùs assumatur.

EXTRAVAGANS UNICA.

Clem. VIII. 11. Januar. 1594. Paulus V. 1. Septembr. 1605 Tractat. Bull. Bull. 7. & 8.

NUllus Monachus nostri Ordinis audeat procurare favorem, intercessionem, aut auxilium a Personis potentibus, nec ab aliquibus aliis extra Ordinem, directè, vel indirectè, ut eligatur in Priorem, vel sibi remittantur pœnitentiæ impositæ ab Ordine, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ: quod, postquam fuit dispositum ab Ordine, est confirmatum per Bullam Apostolicam. Et hujusmodi privatio vocis activæ, & passivæ duret per quadriennium.

CONSTITUTIO LIX.

De pœnis contra illos, qui obtinent favores, aut minas in Damnum Ordinis.

Argum. cap Ex. quæ de stat. Monach.

NUllus Ordinis nostri Conventus, aut singularis Persona contra Priorem, Monachum, aut Monachos suæ, vel alterius Domus, in derogationem ejusdem Ordinis, aut quodvis impedimentum alicujus nostræ generalis Constitutionis, seu ordinationis, seu mandati Generalis Capituli, vel Privati, Patris Generalis, Visitatorum Generalium, vel Specialium, vel eorum cujuslibet, vel ad impetrandum, vel impediendum in Ordine nostro Prioratus, Vicariatus, vel aliud quodvis Officium, a Personis Ecclesiasticis, vel Sæcularibus, quæ de Ordine nostro non exiitunt: litteras, preces, minas, defensionem, auxilium, vel favorem, per se, vel per alium, quocumque quæsito colore, audeat impetrare. Qui contravenerit, si fit Conventus: eo ipso Monasterium Ecclesiastico subjaceat interdicto. Si fit singularis Persona, eo ipso facto excommunicationis: & si fit in Sacris, etiam ab ordinibus, & Officiis suspensionis sententiam se noverit incurrisse, quorum absolutionem, dispensationem, & habilitationem nostris Generali, sive Privato Capitulis, vel Patri Generali in eorum absentia, reservamus. Si Persona, cui Monachus exponit negocium suum, noo est talis conditionis, de qua præsumatur evenire aliquod damnum, vel molestiam Domui, vel Ordini, aut aliis Personis ejusdem: in tali casu possit absolvi per Priorem cum consensu Deputatorum, vel majoris partis eorum, Prior autem in casu prædicto per Vicarium: Vicarius verò, absente Priore, per Confessorem a se electum, cum prædictorum assensu, vel majoris partis eorum absolvi possit. Absentibus autem Deputatis, poterit Prior, vel Vicarius ad prædicta aliquos de discretioribus Domus assumere. Cum autem, ut diximus, Monasterium fuerit interdictum: poterunt hi, qui culpabiles non fuerint, extra Monasterium celebrare, vel audire Divina.

Can. Dicenti verbo omnes 25. qu. 2. Arg. Can. Virum. & Can. Quantumlibet. dist. 47.

CONSTITUTIO LX.

De jejuniis, & abstinentiis Ordinis.

ULtra jejunia per Ecclesiam statuta, celebretur jejunium in Ordine nostro temporibus infrascriptis: videlicet: in Adventu Domini, in secunda, & tertia feria post Quinquagesimam immediatè sequentibus; in omni sexta feria. Et si Nativitas Domini occurrat in sexta feria, ab esu carnium abstinere debemus: & in Litaniis ante Ascensionem secunda, & quarta feria jejunamus: possumus autem in prædicta secunda feria, secundum communem consuetudinem, ova, & lacticina manducare: Quarta verò feria supradicta cibis quadragesimalibus reficiamur. Similiter in Vigiliis Nativitatis, & Purificationis Beatæ Virginis jejunamus. Possit tamen quilibet Prior circa hujusmodi abstinentias ex causa, quæ sibi rationabilis videatur, cum Personis debilibus, vel infirmis suo arbitrio dispensare; itinerantes autem, cum sibi visum fuerit expedire, ad horum jejuniorum observantiam non arctentur.

C. Jejunia. de consec. d. 5. & cap. Denique d. 4. & cap. Consilium, & c. Explicari. de observat. Jejun.

C. Rogationes de consec. d. 5.

EXTRAVAGANS I.

VIgilia Nostri Patris Sancti Hieronymi jejunetur in Vigilia Sancti Michaelis Archangeli, nisi dictum Festum Sancti Michaelis feria sexta occurrat.

EXTRAVAGANS II.

JUxta inviolabilem consuetudinem nostri Ordinis, feria sexta in Parasceve in pane, & aqua jejunetur. Præterea Vigilia Corporis Domini ob devotionem, & magnitudinem tantæ Festivitatis inter jejunia nostri Ordinis computetur, & observetur: prout etiam Vigilia Conceptionis Beatissimæ Virginis. Ex eadem etiam consuetudine quarta feria iisdem cibis, quibus Sabbato ex consuetudine Hispaniæ, vesci possumus; & similiter die Natalis Domini, cum occurrit feria sexta.

EXTRAVAGANS III.

MOnachi non comedant carnes feria quarta sine gravi necessitate, aut de licentia Prioris; quod strictissimè monemus servari extra Monasteria, ob bonum exemplum Sæcularibus exhibendum.

CONSTITUTIO LXI.

Quod Sæculares non manducent in nostris Refectoriis.

Argum. cap. Ea quæ. §. Præcipimus. de statu Monach.

AD comedendum in Refectorio cum nostris Monachis non recipiantur sæculares Personæ, in quantum commodè poterit observari. Ad hoc tamen Monasterium de Guadalupe non plus arctetur, quam arctari solebat.

EXTRAVAGANS I.

NOn recipiatur aliquis Sæcularis intra Claustra ad dormiendum, neque ad comedendum, salvo tamen in refectorio.

EXTRAVAGANS II.

NUllus Prior, aut Vicarius, nec aliquis alius deducat ad Recreationem in Granciis aliquem Sæcularem; nisi cum consilio Deputatorum, ob aliquam causam valde justam, videatur aliter esse faciendum.

CONSTITUTIO LXII.

De Anniversariis, quæ celebrari debent in quolibet anno.

PRo cunctis Monachis nostris Defunctis una Missa *de Requiem* Conventualis cum Vigilia trium lectionum in die præcedenti, in singulis nostris Monasteriis celebretur quolibet anno prima die post octavam Natalis Beati Patris Nostri Hieronymi; eadem quoque prima die, vel quam cito commodè poterunt, omnes Priores, & Monachi Presbyteri celebrent singulas Missas *de Requiem.* Cæteri autem Monachi Clerici dicant semel perfectè Horas Defunctorum. Fratres verò laici dicant quilibet centies: *Pater noster, & Ave Maria,* cum *Requiem æternam* in fine cujuslibet: *Ave Maria.* Si tamen Fratres laici sciverint, sufficiet eis Horas Defunctorum dicere.

CONSTITUTIO LXIII.

De Officio, quod fieri debet pro Religiosis defunctis.

Arg. cap. Cum inter, & cap. Ex parte. 2 de verb. sign f. & cap. Animæ Defunctor. cum seqq. 1. qu. 2.

OFficium autem Defunctorum Priorum, & Monachorum nostri Ordinis in singulis nostris Monasteriis fiat modo sequenti, videlicet: die sui transitus & sepulturæ fiant Officium, & recomendationes, ac singula alia, ut in nostro Romano Breviario continetur. Item die septimo, trigesimo, & fine anni, statim post Vesperas diei præcedentis, cantetur Vigilia trium lectionum cum Psalmis assignatis pro die sequenti; In quo quidem die illicò post Primam celebretur Conventualis Missa *de Requiem.* A die verò sepulturæ usque ad diem septimum inclusivè, tàm post Conventualem Missam, quam post Vesperas, cantetur per Conventum unum Responsorium Defunctorum cum Orationibus comcompetentibus, eundo cum Cruce, & Aqua benedicta super Sepulchrum Defuncti: exceptis diebus Festis colendis, in quibus post primas Vesperas, & Missam non cantetur. In die autem trigesimo, & in fine anni unum dumtaxat Responsorium post Missam cantetur cum Orationibus competentibus super ejus Tumulum, ut præmittitur, exeundo. Cæterum Monachi Presbyteri dicant singulas Missas *de Requiem* in quolibet dictorum quatuor dierum. Dicant etiam infrà prædictum annum alias quatuor Missas ad placitum cum competendi collecta Defunctorum. Monachi autem Clerici, qui non sunt Presbyteri, singulis prædictis quatuor diebus dicant unum Nocturnum Defunctorum cum suis Vesperis, & Laudibus. Prædictum etiam Nocturnum cum Vesperis, & Laudibus dicant quater infra eundem annum, quando sibi placuerit. Laici verò in die sepulturæ dicant quinquaginta *Pater noster*; item in qualibet die prædictorum, qua celebrabitur Missa Conventualis prædicta, viginti *Pater noster,* dicant. Item in singulis diebus Vigiliarum supra scriptis dicant quindecim *Pater noster.* Item loco cujuslibet dictarum octo Missarum per Monachos Presbyteros dicendarum, di-

dicant viginti *Pater noster*. Præterea in fine cujuslibet *Pater noster* omnium prædictorum dicant *Ave Maria* cum *Requiem æternam*. Sanè omnia, & singula supradicta, singulis prædictis diebus, aut quam citiùs commodiùs poterunt, omnes, & singuli Monachi dicant. Verumtamen, si Fratres laici sciverint, & voluerint potius Horas Defunctorum, quam prædicta *Pater noster*, & *Ave Maria* dicere, dicant eas: quemadmodum Monachi Clerici, ut præmittitur, dicere illas debent. Cum verò aliquis Pater Generalis fuerit Defunctus, in quolibet Monasterio nostri Ordinis dicatur pro eo Vigilia trium lectionum, & Missa Conventualis; & quilibet Presbyter celebret octo Missas. Monachi autem Clerici pro qualibet octo Missarum dicant unum Nocturnum Defunctorum, cum suis Vesperis, & Laudibus. Laici verò dicant pro Vigilia Conventuali quindecies, & pro Missa Conventuali vicesiès *Pater noster*, cum *Ave Maria*, & *Requiem æternam*. Item pro quolibet Novitio, vel Donato Defuncto Ordinis nostri fiat ad dispositionem Prioris.

EXTRAVAGANS I.

IN quòlibet ex nostris Monasteriis assignetur locus specialis, in quo solum Religiosi, & nullæ aliæ Personæ sepeliantur.

EXTRAVAGANS II.

QUando aliquis Prior professus alterius Monasterii, durante suo Prioratu, mortuus fuerit: celebrentur pro eo Missæ, & alia suffragia, quæ celebrantur pro Professis ejusdem Monasterii, cujus est Prior; per hoc tamen non amittat sui proprii Monasterii Missas, & suffragia: sicuti mandat Constitutio.

EXTRAVAGANS III.

JUxta usum Ordinis Monachi hospites, in aliis Monasteriis nostri Ordinis extra propria degentes, celebrare teneantur unicam Missam pro singulis Monachis dictorum Monasteriorum, qui è vita decesserint: è converso pariter singuli Monachi dictorum Monasteriorum, ubi hospites commorantur, singulas Missas celebrare teneantur pro hujusmodi Monachis hospitibus, quando in dictis Monasteriis è vita migraverint: si verò non fuerint Sacerdotes, ad Missæ æquivalentiam dicendam Monachi teneantur. Præterea in omnibus Monasteriis dicantur omnes Missæ confraternitatum, quas habent, tam cum suis Monachis, quam cum aliis Monasteriis pro Monachis præsentibus, & absentibus: itaut Monachi absentes ad nullam Missam celebrandam teneantur; sed a Monasteriis pro dictis absentibus, & impeditis suppleantur, & celebrentur juxta Monasteriorum consuetudines. Ne autem hujusmodi suffragia detineantur, cum Monachus aliquis ex hac vita migraverit: Vicarius, alterve Monachus de hoc curam gerens, juxta dictam consuetudinem, intra tres dies Monasteriis confraternitatem habentibus, per certum Nuntium obitum dicti Monachi notificare teneatur.

EXTRAVAGANS IV.

QUilibet Monachus Sanctissimum Viaticum in extremis recepturus, omnium eorum, quæ ad proprium usum sibi conceduntur, totalem prius faciat abnegationem jamdiù in nostro Ordine consuetam: clavibus cellæ Priori, vel eo absente, Vicario consignatis; si verò, absente Priore, Monachus è vita migraverit, Vicarius, nisi de licentia Prioris, de his, quæ habuerit, nullatenus disponere valeat. Ea verò secundum consuetudinem singulorum Monasteriorum distribuantur.

CONSTITUTIO LXIV.

Quod non acceptetur exequutio testamenti sine licentia.

QUisquam Prior, seu Monachus aliquis Ordinis nostri nullatenus possit acceptare executionem aliquam cujuslibet testamenti, vel ultimæ voluntatis absque speciali Generalis Capituli, aut Patris Generalis licentia. Quam quidem licentiam, si contingat eundem Patrem Generalem importunitate petentium, seu alia ratione alicui Priori, vel Monacho concedere; nihilominus talis Prior, vel Monachus executionem hujusmodi non acceptet: nisi verisimiliter crediderit, quod ex hujusmodi acceptatione poterit obsequium Deo præstare, bonumque dare exemplum fidelibus de se ipso. Ipse etiam Pater Generalis similitèr executionem hujusmodi non acceptet, sine speciali licentia Generalis Capituli, vel Privati, seu alicujus de pro Privato Capitulo assignatis; super quo eorum conscientias oneramus.

Cap. Religiosus. de Testam. in 6.

CONSTITUTIO LXV.

Quod non acceptetur commissio, nisi fuerit Apostolica, neque arbitratio inter partes sine licentia.

ALiquis Prior, vel Monachus Ordinis nostri commissionem aliquam à quo- cum-

Can de præsenti.

um. juncta glos. 16. q. 1.

cumque Prælato, vel Principe emanatam, excepto dumtaxat Domino nostro Papa, non valeat acceptare: similiter nec arbitria per compromissum, vel aliàs, sine speciali licentia Patris Generalis; nisi talia sint, quæ facilitèr, & in brevi, atque sine juris aliqua disceptatione valeant terminari. Illa præsertim valeat absque licentia acceptare, quæ inter pauperes, & miserabiles Personas fore contigerit: nec ultra decem dies extra sua Claustra propter hujusmodi arbitria, vel arbitrationes aliquatenùs demoretur. Idem quoque Pater Generalis hujusmodi commissiones, vel arbitria non acceptet sine speciali licentia Generalis Capituli, vel alicujus de illis pro Privato Capitulo assignatis, nisi in casibus superiùs exceptis.

Constitutio LXVI.

Cujus sumptibus teneri, & custodiri debeant Monachi fugitivi.

Cau. Monachum. 20. qu. 4. & cap. Quanto. de Officio Ordinar.

QUilibet Prior, vel Conventus Ordinis nostri, qui Monachos nostros aliquos fugitivos ceperint, seu capi fecerint: eos detineant sub diligenti custodia in Monasteriis suis; & quàm citò potuerint, idnotificent per certum Nuntium eorum Prioribus, sumptibus, & expensis Monasteriorum, quorum Fugitivi hujusmodi sunt professi. Ipsi quoque Priores sine aliqua dilatione mittant pro eis, & faciant illos captos ad Monasteria sua redire. Interim verò in eisdem Monasteriis, ubi sunt carceri mancipati, sub custodia diligenti, ut præmittitur, teneantur: usque dum mittant pro eis, & ad propria Monasteria reducantur. Expensas quoque, quas iidem capientes fecerint in captione prædictorum, jam dicti Priores, & Domus Fugitivorum capientibus eisdem, una cum sumptibus Nuntiorum, solvere teneantur.

Constitutio LXVII.

De pœna contra illos, qui dixerint verba injuriosa Ministris Ordinis.

NUllus Monachus Ordinis nostri in electione, seu confirmatione cujuscumque Prioratus cujuslibet Monasterii, contra Confirmatores, seu Scrutatores electionis ejusdem, audeat verba comminatoria, vel irreligiosa proferre; ut iidem Confirmatores, vel Scrutatores potestatem sibi commissam, aut officium minùs liberè valeant exercere. Qui contra fecerit, ipso facto careat voce Capituli: donec per Generale Capitulum restituatur; & nihilominus ad Confirmatorum arbitrium puniatur. Eadem quoque pœna puniatur quilibet Scrutator, vel Confirmator, qui in prædictis verbis contra quemlibet eligentium excesserit.

Constitutio LXVIII.

De forma visitationis generalis nostrorum Monasteriorum.

OB statum nostri Ordinis in sancta Religione salubriter conservandum, omnia nostra Monasteria semel infrà quodlibet triennium generaliter volumus visitari. Porrò, quia ex eo, quod visitationes, nec studiosè fiunt, nec benè observantur, magna Ordinis dissolutio sequitur: Visitatoribus districtè injungimus, ut in visitationibus solliciti sint, & studiosi; & formam sibi de facienda visitatione traditam nulla transgrediantur ex parte; alioquin, prout culpa exegerit, per Generale Capitulum legitimè punientur. Priore igitur, & Monachis visitandi Monasterii ad cimbali signum in Capitulo congregatis, præmissa Oratione, quæ in forma, seu Capitulo electionis inferiùs annotatur: unus Visitatorum aliquam de observantia Religionis, & de obedientia proprii Pastoris, atque reverentia, prout Dominus dederit, exhortationem proponat. Lecta deinde præsenti forma visitationis, si Visitatores Priori, ac Monachis, Dei, ac Capituli Generalis auctoritate præcipiant: ut eorum singuli de Priore, & de se ipsis ad invicem, ac de statu Domus, quicquid super his, de quibus interrogati fuerint, accusatione dignum, vel emendatione, cognoverint, sincerè sibi notificent: nullatenus amore, vel odio, seu timore cujusquam, aliave qualicunque occasione, veritate suppressa; ne si secus egerint, cum grandi etiam suarum periculo animarum, gravem incurrant Ordinis disciplinam. Verumtamen in Conventu, seu palam nulli crimen imponant, quod probari non possit; ne pœna, qua teneretur delatus, si convinceretur de crimine, in probatione deficientes involvat. Eadem quoque Prior eorum sua auctoritate eis præcipiat. Sciendum verò, quod cum fiunt visitationes per Ordinem, in inquisitione, sive probatione culparum præceptum obedientiæ pro juramento habetur. Possunt tamen Visitatores, si eis videbitur, in gravibus casibus, pro revelanda certius, & plenius veritate, sub pœna excommunicationis præcipere, ac etiam exigere juramentum. Præcipiant quoque

Cap. Ut Archidiaconus, de Offic. Archid.

Cap. 1. §. Sanc. de Censib. in 6.

Arg. cap. Qualiter 1. de Accusat. cap. Venerabilis. in fin. de Testib. cog. cap. Negligere. cum seqq. 2. q. 7.

C. Quisquis cum seqq. 2. q. 8.

Arg. c. Juramenti 22. q. 5.

Cap. Rursus, qui Clerici, vel vovent.

que

Arg. cap. fin. de Testib. cogend.

que ipsis: ne conventicula, congregationes, sive confabulationes super visitationis facto faciant, vel pertractent i se, videlicet, invicem inducendo, quod in ipsius visitationis negotio falsum proferant, aut veritatem subticeant. Deinde carta proximu Visitatorum præcedentium allata, & coram omnibus lecta: Prior, & Monachi ad ea, quæ unicuique imminent, facienda fecedant. Porrò in visitatione de Monachis Clericis, & Fratribus Conversis, per Monachos Clericos, & Fratres Conversos inquisitio fiat. Possunt tamen Sæculares etiam, si sint idonei, in testimonium recipi; si quid probatione indiget, & per nostros probari non potest. At vero Visitatores non facilè credant omni spiritui, nec aliquem ex sola suspicione, seu præsumptione condemnent. Summa verò cum diligentia in primis, super pactionibus, vel promissionibus, quas Priores, vel Monachi Visitationem timentes, à Fratribus suis interdum extorquent; secretò singulos perscrutentur; quas factas repeterint, solvant; & Prior, vel Monachus in tali culpa deprehensus ad ipsorum arbitrium graviter puniatur. Attentè quoque inquirant, si visitatio proxime præterita bene fuerit observata; & quem culpabilem in non servando invenerint; sivè sit Prælatus, sivè Subditus, gravi animadversione castigent. Attentè etiam, & sollicitè, non obstante aliqua benevolentia, quæ in subversionem Ordinis aliquando exhibetur, diligenter de negligentia Priorum inquirant: videlicet, si sine Personarum acceptione puniunt negligentias, & excessus. Si sint carnales, vel nimium sæculares; si dant exemplum subditis in frequentando Ecclesiam; in abstinentiis, & aliis observantiis Ordinis.

Arg. cap. Illa Præpositor. de Accusat. & c. Si Christus. de Jurejur.

Arg. cap. Ex parte. de Testib. cap. Cum P. de Accus.

Cap. Verum. junct. Gloss. de Testib. cog.

Cap. Olim, de Accus. & c. Constitutis. de Testib. cog.

Cap. de Causis. De Offic. Deleg.

Cap. Ea, quæ, in fin. & cap. In singulis. de stat. Monach.

Cap. Irrefragabilis. de Offic. Ord.

Et cap. Si quis Abbas. 11. qu. 2. & d. c. Ea, quæ verbo Præsidentes.

Cap. Magnæ de vot. & voti redempt. &c. Præcipue 11. q. 3.

Arg. cap. Statuta de Hæretic.

Cap Cum, ad Monaster. de stat. Monach.

Si Statuta Capituli Generalis faciunt observari; per ipsos enim in Monasteriis viget Ordo, vel deficit. Si extra Monasteria solent frequenter exire: si in regimine Domus, tàm in spiritualibus, quam in temporalibus, sint solliciti, & discreti; & ea, quæ correctione digna perpenderint, in sua scriptura secreta conscribant. Postea interrogent de pace Domus; videlicet: Prioris cum Monachis, & Monachorum ad invicem. Si pacem non esse invenerint; cum omni studio causam inquirant; eaque cognita, qui fuerint in culpa, legitimè puniantur. Exinde ipsorum quilibet interrogetur, qualiter se Monachi in observantiis Ordinis habent, scilicet: in non habendo proprium, in communentia, & in proprii Pastoris obedientia; in ejusdem, suaque ad invicem reverentia; in servando silentio horis, & temporibus constitutis; in debitis abstinentiis; in veniendo ad Ecclesiam. Si Presbyteri crebrò celebrant; si sine murmure, quæ sibi de Domo ministrantur, accipiunt eis contenti: si a petendo inordinatas licentias sibi cavent: si in mutuis colloquiis, aut cum hospitibus, seu Sæcularibus, vel aliis Personis quibuslibet Religioni debitam custodiunt honestatem: demum si curiositatem vitant; si laudabiliter culpas in Capitulo, vel alibi confitentur: si in reprehensione sunt humiles, & in emendatione tractabiles: est sollicitè perquirendum. Pro temporalium quoque statum cognoscendo, an Domus gravata sit debitis, & quantum: non tamen cui, vel quibus specialiter debeat: nec si quid, quantumve inde posticis habeat; aut a quibus deposita susceperit: est diligentius inquirendum. Si igitur Domus debitis inveniatur gravata, nulla causa rationabili apparente, quæ Priorem excuset: in ipsum culpa redundet. Super omnibus præmissis, sigillatim a singulis Monachis, tàm de Priore, quàm de se ipsis ad invicem, est cum omni studio facienda inquisitio. Sed & siquis Monachorum in Priore, vel in aliquo alio de congregatione, crimen, vel aliquid aliud, quod dignum sit emendatione, vel accusatione, cognoverit, etiam non interrogatus, illud Visitatoribus insinuare tenetur: non tamen in Conventu, seu palam, nisi probati queat, & super eo publica laboret infamia. Cæterum ea, quæ sibi insinuantur, nec probari possunt, diligentèr a remotis inquirant: non nominata persona, sed de vitio inquitendo; si fortè quod credebatur occultum, possit in publicum propalari: cautè tamen, ut ex hujusmodi inquisitione non surgat infamia, ubi prius non erat; vel si aliqua erat, minimè augeatur, juxtà illud, quod nostra cavetur in Regula, si possit fortè secretiùs correctus non innotescere cæteris. Qua inquisitione facta: si quid de Priore, vel de aliquo alio dicitur, quod emendatione; aut pœna sit dignum; interrogetur, qui dictus est reus: an sit verum, quod objicitur ei. Qui confessione sua, vel si negaverit, facta per Testes inquisitione convictus, arbitrio Visitatorum ordinatè vel emendetur, vel puniatur. Nullus tamen, licet intractabilis, seu perversus inveniatur, nec post multas commonitiones sibi factas se corrigens, extra Domum suam pro disciplina mittatur: nisi prope suum Monasterium capitales habeat inimicos; aut propter permanentiam ejus in ipsa Domo

D. c. Ea, quæ eod. tit.

D. c. Qualiter. de Accusat.

Cap. Inquisitionis § 3. de Accus.

Cap. De causis. de Offic. Deleg.

Cap. Ne Religiosi de Regul.

mo grsve ibi ſcandalum generetur; ſed ibidem taliter caſtigetur, quod alii perpetrare ſimilia pertimeſcant. Diſcordes tamen, & ad pacem redire nolentes, à ſuis Monaſteriis ſegregentur, & dividantur ſub congrua diſciplina: nec Domus, ad quas mittentur, eos valeant recuſare. Cum igitur Viſitatores, quæ noverint notanda, præſcripſerint, & expedire viderint aliqua eorum occultari debere: Monachis ipſorum factorum conſciis, diſtrictè, monitis, vel præceptis, juramento, excommunicationis ſententia, ſive Corporalium impoſitione pœnarum, injungant; ne illa alicui revelare præſumant. Scribant autem in ſuis ſcriptis ſecrètis univerſa, & ſingula, quæ per ſuam inquiſitionem correctione, ac emendatione indigere perſpexerint. Quibus ita conſcriptis, illis, quos propria confeſſione, aut legitima probatione reatuum occultorum culpabiles eſſe conſtiterit, ſigillatim, & ſecretè vocatis, ac de ſuis negligentiis, & exceſſibus ſpecialitèr reprehenſis, debitam pœnitentiam, & correctionem imponant. Poſt hæc, conſiderata diligentèr carta Viſitatorum præcedentium, quicquid contentorum in ea repererint non fuiſſe, ut debuit, obſervatum, in ſua carta illic dimittenda, una cum aliis, quæ ipſi de novo viderint emendanda, ſivè facienda, conſcribant; & præcedens littera deleatur. Et ſuper omnia Viſitatores diligentèr attendant, quod in ipſa carta non ſcribant culpas negligentias, vel exceſſus publicos, vel occultos, graves, aut leves, ullam Perſonam in ſingulari notando: præterquam illorum, qui reperti fuerint incorrigibiles de negligentiis, vel exceſſibus non occultis: de quibus ſcandalum, turbatio, aut malum exemplum Monachis ſit exortum. Poſſunt etiam in eadem carta in genere reprehendere culpas leves, non nominando Perſonas, quæ talia commiſerunt; ut verbi gratia: reprehendimus, quod aliqui frangunt ſilentium: aliqui non ſequuntur Chorum, ut debent; quos monemus, ut de cætero ſe emendent; & ſic de ſimilibus: & maxime negligentias, & exceſſus in non ſervando noſtri Ordinis conſuetudines, & ſtatuta: quamvis non omnes in hoc deliquerint, debent modo præmiſſo in ipſa carta notare. Poſſunt tamen in ea Priorem de negligentiis, & exceſſibus manifeſtis, præſertim ſi cedunt in ſui regiminis damnum, ſeu detrimentum, arguere: & de his, quibus circa ſuum regimen invigilare debet impoſterùm, exortari. Scribant præterea in carta omnia illa, quæ ad conſervationem communis ſtatus, & regiminis Domus ejuſdem, & ſacræ Religionis obſervantiam pertinere cognoverint. Culpas verò graves, quas per aliquos commiſſas invenerint, poterunt, ſi expedire videbitur, in quadam alia littera ſecreta conſcribere: notando in ea ſigillatim Perſonas, quæ culpas hujuſmodi commiſerunt, & pœnitentias ipſis injunctas; ut ſic ſequentibus Viſitatoribus conſtet facilius, an Monachi ipſi prius reperti culpabiles, pœnitentias prædictas impleverint, & de hujuſmodi ſint in moribus emendati. Quam utique ſecretam cartam clauſam, & ſigillatam, Priori, vel Vicario, aut Sacriſtæ commendent, præceptum in ejus dorſo ſcribentes: ne quis præter Viſitatores ſequentes literam ipſam audeat aperire, vel legere: & quod per illum, cui cuſtodienda committitur, Viſitatoribus tradatur ſequentibus. Demum poſt hæc Priore, ac Monachis ſimul in Capitulo congregatis, ante omnia verbo tenùs perſonas culpabiles in caſibus, ſeu culpis gravibus, & manifeſtis nominatim in publico reprehendant: eis ad ſui arbitrium pœnitentias imponendo. Hoc idem poſſint facere, ſi expedire viderint, in caſibus, ſeu culpis levibus, quas communiter de facili ſolent Monachi committere; etiamſi caſus hujuſmodi ſint occulti. Inſuper tam Priori, quam Monachis, prout quemque illorum tanget negotium, diſtrictè præcipient: quatenùs nullus unquam publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, de quocumque aliò, quem ſciverit, aut præſumpſerit aliquid contra eum in eadem viſitatione dixiſſe, vindictam aſſumat: humanitatem, ſeu conſolationem in communi ſolitam cæteris exhiberi, vel pro infirmitatibus, debilitate, ſivè languore debitam, ſubtrahendo; nec ſibi unquam ob hoc verbis, vel factis moleſtus exiſtat. Ex oppoſito enim facilè ſequeretur celatio veritatis; & remanerent exceſſus, & negligentiæ impuniti: ſtatimque coram ipſis prædictam ſuam cartam publicam legant, ſeu legi faciant, ſuiſque nominibus roborent: & aliquo ſigillo noto communiant; & ipſam Priori, vel Sacriſtæ tradant, primis ſequentibus Viſitatoribus exhibendam. Quæ quidem carta in omnium Monachorum præſentia bis in anno legatur, videlicet, infra Octavas Nativitatis, & Dominicæ Reſurrectionis. Summoperè verò Viſitatores provideant, ut in Monaſteriis viſitatis pacem, ſalva Ordinis diſciplina, pro ſuo poſſe relinquant: nec quæſtiones, quas ſuo poterunt terminare judicio, Patri Generali, aut Capitulo Generali reſervent. Deinde Monachis vale dicturi, quoniam

in

D c. Ea, quæ, & c. Qua propter. 2. q. 7. & cap. 1. & 4. de transl Epiſ. & cap. Ut cleric. mores. de vita, & honeſt.

Arg. cap. Statutn. de Hæretic. in 6.

Arg. cap. 1. de pœn. & cap. Si peccaverit. 2. q. 1.

Cap. Si Sacerdos. de Offic. Judic. Ordin.

D. c. 1. de pœnis, & d. cap. Ea quæ

D. cap. Si Sacerdos.

D. cap. Ea quæ, & in ſingulis. de ſtat Monachor.

Arg. d. cap. Ea, quæ. v. Sequentes.

Cap. 1. de pœnit. & remiſ. & d. cap. Ea, quæ ver. Si vero de ſtat. Monach.

in multiloquio non deest peccatum, totus Conventus dicat *Confiteor Deo*: & unus Visitatorum absolutionem faciat, & statim recedant. Si tamen post hæc aliqua forsan emendanda perspexerint, antè suum recessum illa corrigant, & emendent. Adhuc scendum Visitatores, durante suæ visitationis tempore: triennio, videlicet, in quo sunt deputati, exercendam per se, (quam aliis delegare non valeant) habere in corrigendis excessibus, & reformandis, quæ reformatione indigent, plenam potestatem: qua potestate in suæ visitationis Domibus uti possunt: necdum cum eas semel infrà dictum triennium visitant: sed etiam, dum per aliquam, earum de aliquibus Domibus visitatis ad alias visitandas eundo, aut ad sua Monasteria revertendo, transierint: tunc enim Domos illas, quamvis visitatas, possunt intrare, & per Priorem, aut aliquem ipsius Domus Monachum requisiti, si expediens sibi videbitur, poterunt se super his, quæ in sua carta mandaverant, an debitè observentur: ac etiam super his, quæ post suam visitationem contigerint, summariè, aut per cognitionem plenariam informare, atque, ut expedit, providere. Possunt nihilominus uti hujusmodi potestate, triennio durante prædicto: quandocumque per Priorem, aut majorem partem Conventus alicujus Monasterii super aliquibus negotiis, sivè ante inceptam suam generalem visitationem, sivè post eam finitam, fuerint evocati, quamvis in Monasteriis suarum habitationum residéant: dum tamen personaliter accedant ad Domum, ad quam, ut præmittitur, convocántur. Alioquin, postquam Domum à se visitatam exierint, de ipsius visitatione, vel circà illam se nullatenus intromittant. Poterunt tamen, quamquam absentes à Monasterio visitato, dubia, siqua super dispositis per eos in sua visitatione occrrerint, declarare. Expensas verò, quas Visitatores facient, à Monasteriis recipiant visitatis: earum, scilicet, omnia inter dicta Monasteria partiendo ita, quod unumquodque Monasterium, secundum quod remotius fuerit, ampliùs in ratione conferat expensarum; nisi aliquorum Monasteriorum paupertas, & aliorum abundantia aliter suadeat, servata tamen modestia, disponendum: quod utique intelligimus de illis expensis, quas pro victualibus suis, & servientium, & jumentorum, ac pro calciamentorum, & ferramentorum similiter reparatione, se fecisse in itinere dixerint, vel esse facturos: modestia tamen, & honestate ubique servata. Possunt quoque, si velint, pro unoquoque jumento

Cap. In singul. de stat. Monach. V. ordinentur.

Arg. cap. Romana. ver. Ex quo de Censib. in 6.

Arg. cap. Cum ter nemus. de app ell & cap. Ex parte de verb. signific.

Arg. cap. Romana. §. Ex quo junct. Glos. & cap. In literis. de Offic. Deleg.

Cap. Ex parte. de verb. sign. & d. c. Ea quæ de stat. Monach.

Extr. Vas electionis. §. Nostri. de Cens. in 6.

Arg. §. Porro. eod. extr. & cap. Felicis. eod. tit. in 6.

unum Florenum de Aragonia in quolibet mense recipere in recompensatione damni, quod sustinet Domus sua propter jumenti carentiam. Cæterum vestimenta, equitaturas, atque jumentorum stramenta non debent de sumptibus visitationis habere: nisi contingat casu, sine culpa Visitatorum, aliquid ex vestibus, jumentis, vel rebus aliis, quas secum de Domibus suis adduxerant, amissum esse, vel factum inutile. Tunc enim emendo rem aliam tanti pretii, quanti res erat amissa, eodem pretio à dictis Monasteriis, ut præfertur exactò: damnum passus, servare se valebit indemnem. Caveant autem: ne ipsi, aut Servitores eorum, munera, sive munuscula cujuscumque quantitatis, aut pretii oblata recipiant, vel exigant non oblata per se, interpositamve quacumque dissimulatione Personam. Spiritualia etiam beneficia exigere non præsumant. Attendant quoque Visitatores, quod, qualem cartam apertam in quacumque Domo visitata dimittunt, talem, quam citò commodè poterunt, Patri Generali expensis Monasterii visitati transmittant. Cartas verò visitationum, quas Pater Generalis receperit, ut præfertur, diligentèr conservet; ut, si oportuerit, Diffinitoribus Capituli Generalis illas ostendat. Postquam verò alias novas cartas sequentis visitationis receperit, primas cartas præcedentis visitationis discerpat: ita quod ultimæ tantùm visitationis cartas retineat. Rursus Visitatores scripturas secretas visitationum suarum clausas, & sigillatas in locis secretis, atque securis cautè custodiant: quas deferant ad Capitulum Generale, non utique, ut Diffinitoribus ipsas ostendant; sed, ut quantum necessè fuerit, plenam eis faciant relationem de his, quæ ad faciendas misericordias cum Prioribus, aut ad provisiones, sivè remedia Domorum, aut Personarum suæ visitationis tantummodò pertinebunt. Teneanturque nihilominus, tam Pater Generalis, quam Diffinitores, ac Visitatores præfati, sub secreti sigillo clausa tenere perpetuò cuncta, quæ prætextu suarum diffinitionis, inquisitionis, aut visitationis agnoverint: quæ utilitas exigit, honestasque suadet aliis minimè revelare.

Cap. Romana. § Procuratores. de censib. in 6.

Arg d cap. Ea, quæ ver. illorum.

Arg. cap. Statuto. de Hæretic. in 6.

Denique, finito Generali Capitulo, teneantur iidem Visitatores sub obedientiæ præcepto, quo eos adstringimus in hoc casu, prædictas scripturas comburere, vel penitus resecare; nec ampliùs super his, quæ in sua visitatione fecerunt, à quoquam proclamari valeant, aut quomodolibet molestari.

EXTRAVAGANS I.

MOoemus nostros Visitatores Generales, aut Speciales, quod in Officio suæ visitationis discretè se habeant hac forma, videlicet: quod diligenter animadvertant, ut, quando aliquis Monachus de suo Priore, aut de suo Fratre aliquid tale dixerit, quod correctionem fraternam servandam prærequirat, ab ipsis interrogetur: an id priùs suo Priori charitativè manifestaverit, Fratremque suum fraterna correctione emendandum monuerit? Si Frater suus taliter charitativè monitus, & correctus, se emendare neglexerit:an illum Prælato corrigendum & puniendum denunciaverit? & similiter,an si talem culpam in altera visitatione, seu in Capitulo proclamavit, aut accusavit: illamque committens pœnitentiam debitam subierit? an etiam potuerit illam culpam in alia priori visitatione dixisse, aut proclamasse? quibus interrogationibus, earumque responsis Visitatores animadvertere poterunt, quo spiritu moveatur, & ducatur talem culpam dicens, & proclamans; & si prædictam correctionem fraternam debitè servaverit. Eos verò, qui hanc correctionis fraternæ formam servandam omiserint, Visitatores prædicti debitè puniant; & notificamus dictis Visitatoribus: quod, nisi ita, ut prædicitur, ab illis servatum fuerit, per Generale Capitulum graviter plectentur. Idipsum etiam omninò servetur à Prioribus, in suorum Subditorum culpis corrigendis, & puniendis.

EXTRAVAGANS II.

NOstri Visitatores Generales, etsi aliquos Officiales ab eorum Officiis rationabilibus de causis in Monasteriis, quæ visitaverint, amovere possint, eorum tamen provisionem Prioribus dictorum Monasteriorum liberam relinquant: neque aliqua ædificia in Monasteriis suæ visitationis de novo fieri præcipiant. Præterea caveant, ne multa mandata imponant: ex quibus plùs sequitur damni, quàm utilitatis. Quando verò inhabilitaverint, aut carceri mancipaverint, vel exulaverint aliquem Monachum: hujuscemodi causam Patri Generali notificare non differant, simulque Prioribus Monasteriorum, ad quæ tales Monachos transmittunt: ut sciant, quomodo cum ipsis se gerere debeant.

EXTRAVAGANS III.

VIsitatores in suæ visitationis Monasteriis, nec ordinent, nec mutent aliqua ad totum Conventum, seu statum ejus communem pertinentia: quin priùs cum Priore, & Deputatis ordinanda, vel mutanda consulant; & tali consultatione præhabita, quod eis opportunius videbitur, facere, & ordinare possint.

EXTRAVAGANS IV.

VIsitatores Monasteriorum Aragoniæ ultrà duos dies, sumptibus Monasteriorum, in Civitate Valentiæ, aut Barcinonæ non permaneant, vel detineantur, nisi propter infirmitatem; & insuper Visitatores particulares in Domo propria Monasterii visitandi, vel visitati, hospitio recipiantur, & commorentur.

EXTRAVAGANS V.

NUllus Religiosus recipiat aliquod sub obligatione secreti, quod in damnum, vel præjudicium sui Prioris, aut Communitatis, alteriusve vergere possit. Sciant verò, & monentur nostri Monachi, quod hujusmodi præjudicialia secreta omninò suo Prælato revelare tenentur: alia verò secreta, quæ in Communitatis, vel Prioris, proximivè detrimentum, & damnum non redundant, revelare nullatenus teneantur.

EXTRAVAGANS VI.

NOstri Visitatores non possint eligi in Priores Monasteriorum, ubi privaverunt aliquem Priorem; prout nec eligi possunt Confirmatores in Monasterio suæ confirmationis.

EXTRAVAGANS VII.

NON priventur voto Monachi, nisi in casibus expressis in jure, & nostris Constitutionibus, aut in casibus facinorosis: & insuper in illis, in quibus pœnitentia culpæ gravioris imponitur.

EXTRAVAGANS VIII.

IMposterum observetur inviolabilis consuetudo nostri Ordinis, nimirum: quod PP. Visitatores Generales statim post factam in quolibet Monasterio præsentationem, Tabernaculum, ubi Venerabile, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia servatur, Sanctos Oleos, Reliquias, reliquaque Ecclesiæ, & Sacristiæ ornamenta, & suppellectilia visitare teneantur, necnon Patronatos, Cappellanias, memorias, aliaque pia opera in Monasteriis fundata visitent; eorumque rationes, & computa diligenter exigant, & assumant: Mona-

chos-

chosque circa illorum administrationem negligentes, vel delinquentes inventos, rigorosè puniant.

EXTRAVAGANS IX.

OBservetur pariter nostri Ordinis praxis, nempe: quod PP. Visitatores Generales in Monasteriis habentibus jurisdictionem temporalem, aut spiritualem in Subditos, aut Vasallos sæculares, in eorum causis, seu querelis audiendis, nullatenus se immisceant, vel intromittant: sed dumtaxat visitationi Regulari dictorum Monasteriorum, & Monachorum suorum vacent, & incumbant: dictasque querelas, seu gravamina, si quæ ad dictos Visitatores adducta fuerint, Tribunalibus, ad quæ de jure pertinent, prorsus relinquant.

EXTRAVAGANS X.

QUoad expensas Visitatorum Generalium servetur praxis, & consuetudo nostri Ordinis, nempè: quod singula Monasteria illam quotam, & quantitatem, quam in consuetudine, praxique habent, Visitatoribus contribuant. Sin verò aliquæ expensæ extraordinariæ à Visitatoribus factæ fuerint: puta in longa infirmitate, sive morte alicujus jumenti, aliisve similibus: omnia Monasteria suæ visitationis solvere teneantur, juxta distributionem in Capitulo Generali sequenti, secundum singulorum possibilitatem, inter illa faciendam.

EXTRAVAGANS XI.

MOneantur Visitatores Generales: quod in Monasteriis eorum visitationis, tàm ad prandium, quàm ad cœnam, atque ad alios Communitatis actus, quo meliùs poterunt, & eorum Officium permittat, accedant: intra Claustra dormiant: ut silentii custodiam zelent, & unus saltem illorum Matutino interveniat. Curent insuper: ne extra Monasteria discurrant, nisi ex rationabili causa; ut citò visitatio expediatur: atque ea completa, in Monasteriis, vel Grangiis non se detineant; ne gravosi ipsis Monasteriis fiant.

CONSTITUTIO LXIX.

De modo visitationis specialis.

Cap. Mandamus de Offic. Archid.

EST & alia species visitationis, quæ fit, quando pro necessitate aliqua post Generale Capitulum emergente, major pars alicujus Monasterii Conventus, vel aliquis Monachus ejus, quia periculosum sibi videtur, aut nimis damnosum, usque ad Capitulum Generale differre, quod gravat: duos de Ordine, quam ob causam eos petat, insinuans, à Patre Generali eidem Monasterio postulat destinari. Qui quidem Pater Generalis unam, aut duas Ordinis Personas Idoneas, vel, si sibi, commodius videatur, Visitatores Generales per proximè præcedens Capitulum assignatos, eis destinare non differat, suâ, prout expedire viderint, provisuros sollicitudine. Et idem possit facere dictus Pater Generalis ex suo proprio Officio, ut viderit necessarium, seu opportunum: etiamsi non petatur à Conventu, seu ab aliqua ejus Persona; super quo dicti Patris Generalis conscientiam oneramus. Missi autem debent eò proficisci necessè, nisi justa causa impediantur, quam eidem Patri Generali notificent: qui alios ad id ipsorum loco assignet. Si verò hujusmodi destinati absque legitima excusatione, quo jubentur, non iverint, ad sæpedicti Patris Generalis arbitrium puniantur. Pari quoque formâ per eundem Patrem Generalem puniri decernimus quoscumque Priores, vel Monachos, qui ab ipso pro negotiis, quæ Ordini, aut propriis Monasteriis taliter vocatorum, expedire judicaverit, accersiti, sive aliquo ire jussi, ad ipsum venire, seu, quo mittuntur, ire neglexerint: nisi causa legitima, ut præmittitur, excusentur. Hujusmodi autem speciales Visitatores eam potestatem habeant, quæ Generalibus Visitatoribus concessa est à Capitulo Generali; & eam in negotiis, ob quæ vocati sunt, irrefragabiliter poterunt exercere, nulla tamen transgredientes ex parte formam, quam Generalibus Visitatoribus supra descripsimus esse tenendam.

Eod cap. Mandamus.

Cap. Si quando de rescrip. & cap. Si pro debilit. de Offic. deleg.

Cæterùm, si Conventus Sancti Bartholomæi, aut aliquis ejus Monachus de suo Priore, quando Vicarius Generalis Ordinis existit, justam se credat habere querelam: possit ad ejusdem Monasterii Visitatores eundem habere recursum, quem cætera Monasteria Ordinis possunt ad Patrem Generalem habere. In quo casu Visitatores prædicti Monasterii Sancti Bartholomæi, cum per Conventum, aut aliquem Monachum ejusdem fuerint evocati, venire non differant: & in eo casu provideant, sicuti in cæteris suæ visitationis Domibus in casu simili providerent. Quodsi hujusmodi Visitatores, facta inquisitione, reperiant, (quod absit,) eundem Priorem, Vicarium Generalem Ordinis, à Prioratus officio fo-

C. Si Episc. & c Episcopi. 11. q. 3.

re

re meritò absolvendum: vocent illos, qui per Generale Capitulum fuerunt ad tenendum Privatum Capitulum assignati: & illi absolutionem illam facere poterunt, si viderint expedire. Rursus, si aliqua Monasteria nostri Ordinis inter se contingat habere discordiam: Monasterium, quod injuriam patitur, Patri Generali significet, qui destinabit ei unum, vel duos discretos de Ordine, qui planè, & sinè magna juris solemnitate, discordiam terminabunt; quodsi aliquis, vel aliqui Priorum, aut Monachorum discordantium fuerint contumaces in non servando, quod fuerit diffinitum: ad ipsorum destinatorum arbitrium animadversione debita castigentur.

EXTRAVAGANS UNICA.

Declaramus disposita in hac Constitutione §. *Cæterum* comprehendere etiam facultatem Capituli Privati supra Personam Patris Generalis in simili casu.

CONSTITUTIO LXX.

De electionibus, & confirmationibus.

Quandocumque aliquem Prioratum nostri Ordinis vacare contigerit: omnes Monachos illius Domus, cujus Prioratus vacaverit, constitutos in Sacris, qui tunc in ea præsentes extiterint, Vicarius ejusdem Domus faciat capitulariter congregari; quibus obnixè commendet: quatenus devotissimè Deum exorent, ut eis juxta suæ beneplacitum voluntatis de bono dignetur providere Pastore. Ad electiones Priorum nostrorum Personæ, quæ de nostro Ordine non existunt, nequaquam vocentur; & si Personæ hujusmodi vacationis tempore in aliqua Domo nostra, cujus Prioratus est vacans, præsentes extitant: non debemus cum eis habere consilium, quas Personas, videlicet, eligemus. Cæterum electiones fiant omninò infra dies quadraginta immediatè à vacationis tempore computandos. Siqui verò in hoc negligentes, vel inobedientes extiterint: legitimo impedimento cessante, in primo Generali Capitulo juxta suum demeritum puniantur. Præterea, prinsquam celebretur electio, Conventus cujuslibet Domus Regni Castellæ vacationem hujusmodi, quam citò poterit, Patri Generali notificet: petendo ab eo, ut duas ad vacantem Prioratum Personas discretas, & sufficientes transmittat, quæ suæ futuræ electioni præsentes intersint: illique Domui provideant de Priore; quod idem Pater Generalis executare non differat. Quæ quidem Personæ, postquam ad illam Domum accesserint, illicò Vicarium, & Monachos ejusdem Domus faciant congregari: litteras dicti Patris Generalis, quibus potestatem ad hujusmodi electionis confirmationis negotium exequeodum sibi concessit, publicè ostendentes. Quos quidem Vicarium, & Monachos statim commoneant: quatenus talem Personam de eodem Conventu, aut de Ordine nostro eligant: quæ sit ætatis legitimæ, honestæ vitæ, ac scientiæ competentis; quiquenedum eisdem eligentibus, immò, & quibuslibet aliis esse valeat sanctæ conversationis exemplum; nec ab eadem Domo recedant, donec sit electio facta, & canonicè confirmata. Verum, si à Domo, cujus est vacans Prioratus, longè distet Electus: & Confirmatores id viderint expedire; poterunt se per dies aliquot absentare: dum tamen tempore opportuno ad confirmandam electionem hujusmodi revertantur. Ex decreto autem Sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, cum Prioratus Monasterii S. Bartholomæi per lapsum triennii speretur vacare: quando Prior ipsius Monasterii, vacante Generalatu, munus Vicarii Generalis exercet, tunc Prior existens: si autem aliàs contingat vacatio: tunc Vicarius ejusdem Monasterii, assignatis ad Privatum Capitulum faciendum, hujusmodi vacationem notificet; eosdemque assignatos, ut ad providendum eidem Monasterio de futuro Priore veniant, convocare non tardet. Præfati quoque assignati, sic vocati ad Monasterium prædictum accedant, electioni futuri præpediti Prioris, qui munus Vicarii Generalis exercere debet, intersint; & illam confirment, vel infirment, sicoti expedire perspexerint; ita quod de eodem Monasterio non discedant: donec ibidem provideant de Priore. Quodsi quatuor hujusmodi assignatorum duo pro confirmatione, alii verò duo pro infirmatione, steterint in paritate suffragiorum: Prior electus pro confirmato ipso jure habeatur. Si verò aliquis, vel aliqui eorum fuerint impediti, vel rebus humanis exempti: ille, vel illi, qui venerint, possit, vel possint alios, vel alium, loco eorum, vel ejus, eligere; quodsi casu quocumque neminem eorum venire contingat: Prior Villæ deliciosæ, aut, eo absente, Vicarius cum sui Monasterii Deputatis, alios eorum loco possit eligere, & per suas litteras convocare. Verùm, cum Prioratus prædicti Monasterii S. Bartholomæi, Generalatu non vacante, quomodolibet vacare contingat: tunc Monasterium præ-

Cap. Massana, & cap. Quia propter. de elect. & cap. Abbas., 18. q. 2.

Cap. fin. d. 97. & cap. cum in jure. de Offic. Deleg.

Arg. cap. In nomine Domini cum seqq. d. 23. c. Quam sit necess. 18. q. 2. cum d. cap. In nomine Domini. Cap. cum in cunctis. de elect.

Arg. cap. Sacrorum d. 63.

Ex Dec. S. C. die 16. Dec. 1729.

Ex eodem Dec. Sac. Congreg. 16. Dec. 1729.

prædictom ad Pattem Generalem, ut futuræ electionis Confirmatores designet, proût in cæteris nostri Ordinis Muoasteriis disponitur, pari modo recurrat. Cæterum, cum Prioratus alicujus Domus nostræ vacaverit, protinus Vicatius, & Monachi in Sacris constituti, verbo, concorditerque assignent certum tetminum competentem cum continuatione dierum sequentium ad electionem celebrandam futuri Prioris. Qui terminus sit ita competens, quod ablentes, qui vocem habent in electione, ultra viginti quinque leucas ab ipso Monasterio non distantes, citari, & venire commodè valeant: considerata Personarum, & temporis qualitate. Dictos verò absentes congroo tempore de ipsa vacatione, ac ad celebrandam electionem termini præfixione, Vicarius, & alii Electores præsentes per suas litteras patentes certificent, atque citent: ut die, horaque præfixis cum eis coelecturi conveniant, certificaotes illos, quod, si non venerint, ipsorum abseotia non obstante, ac eis ulteriis non vocatis, etiamsi ad alium tetminum fuerit electio prorogata: præsentes procedent ad electionem, & indè ad omnes actus consecutivos; quousqoe sit electio canonicè confirmata. Habita verò relatiune fide digna, qualiter hojusmodi litteræ fuerint prædictis absentibus publicatæ, & lectæ: dictoque termino transacto, & præsentibus Coofirmatoribus supradictis: antequam ad tractandum de ipsa electione procedant, Missa solemnis de Spiritu Sancto conventualiter celebretur; in qua quidem Missa, & dum celebratur ipsa, omnes, ac singuli præsentes Monachi Deum humiliter deprecentur: quatenus secundum magnam misericordiam suam sic eos dignetur illuminare, atque taliter concordare: quod talem sibi Pastorem eligant, qui in omnibus teneat viam Dei. Prædicta itaque Missa, ut præmittitur, celebrata, & in suo Capitulo, vel alio decenti loco universis Monachis constitutis in Sacris capitulariter congregatis, ac præsentibus Confirmatoribus sæpedictis: unus Confirmatorum antè omnia incipiat Psalmum: *Ad te levavi*, quem omnes Monachi ad Choros perficiant, cum *Gloria Patri*; *Kyrie eleyson*, *Christe eleyson &c. Pater noster.* Deindè prædictus Confirmator dicat, *& ne nos &c.* Monachi, *sed libera &c. ℣. Salvos fac servos tuos &c. ℞. Deus meus &c. ℣. Mitte nobis Domine &c. ℞. Et de Syon &c. ℣. Nihil proficiat &c. ℞. Et filius iniquitatis &c. ℣. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c. Oremus. Prætende, Domine, famulis tuis dexteram cœlestis auxilii: ut te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant, consequi mereantur. Per Christum Dominum Nostrum.* Et illicò unus de Confirmatoribus, si sibi placuerit, aut viderit expedire, faciat aliquam exhortationem salubtem interserendo, quomodo electio fieri potest, & debet: ut canonicè celebretur, & in ejus celebratione ab Electoribus procedatur. Moxqoe iidem Confirmatores prædictos Electores hortentur in Domino: & etiam, si oportuerit, eisdem auctoritate Capituli Generalis præcipiant; ut secundum Deum talem Personam eligant in Priorem, quæ juxta fragilitatem humanam vita, scientia, & ætate apud omnes digna, & idonea reputetur ad Prioratum hujusmodi gubernandum. Serventque omninò Electores de necessitate unam de formis infra in Constitutione sequenti notatis. Talem etiam Personam de se ipsis, aut de Ordine nostro in Priorem eligant: quæ sit Sacerdos, vel in brevi esse possit; & quæ jam in nostro Ordine per triennium ad minus professus extiterit.

Cap. Coram. juncta Gloss. de elect.

Cap. Quod sicut. eod. tit.

Cap. Cum inter universſ. de elect.

Arg. d. cap. cum inter. de elect.

Cap. Cum in cunctis de elect. & cap. Quam sit necess. 18. q. 2.

Cap. Cum in cunctis §. In Ecful. de elect.

Porrò, si Electores per viam scrutinii, sive per viam mixtam ex compromisso, & scrutinio velint in electione procedere: volumus, quod in inquisitione votorum Confirmatores, simul cum Scrotatoribus, sint præsentes. Quodsi iidem Confirmatores viderint, quod electio non debito modo procedit, possint ei liberè contradicere, Electoribusque mandare: ut, electione illa omissa, aliam canonicam celebrent, sicut debent. Celebrata verò electione canonicè, mox ex parte Monachorum coram Confirmatoribus Electo, si præsens fuerit, supplicetur, ut electioni prædictæ consentiat. Habito autem in Capitulo ad hoc congregato Electi consensu: statim Electus ad Chorum, Monachis, *Te Deum laudamus*, alternatim cantantibus, solemniter Pluviali indutus deducatur, & intronizetur in sede Prioris. Quodsi forsan Electus renuat consentire, siquidem Domus ipsius Professus extiterit: Confirmatores per aliquem, vel aliquos deputatos Eligentium nomine requisiti, possint, si expedire viderint, per obedientiæ præceptum, aut excommunicationis sententiam, aut alia remedia opportuna Electum compellere: ut suum præstet electione consensum. Si tamen Electus alterius Monasterii sit professus: possunt Confirmatores hujusmodi Electo consentiendi, & transeundi liberam tribuere facultatem; nisi talis Electus in Monasterio, ubi residet P. Generalis professus existat, vel tesideat: quia tunc

Arg. cap. Officii tui de elect & cap. Nullus. eod. tit. in 6.

Cap. fin. de elect. in 6.

tunc solus dictus Pater Generalis hujusmodi licentiam dare valet. Porrò habito Electi consensu, & facta, si Electus præsens fuerit, intronizatione prædicta: confestim Confirmatores illis, qui hujusmodi electioni specialiter se opponent, & generaliter aliis quibuscumque, quos ipsum tanger negotium: aut qui sua putaverint interesse; per suas edicti litteras persignent peremptorium terminum competentem ad comparendum coram eis, & opponendum, si volent, contra electionis formam, aut Personas eligentium, vel electi: monentes eos, quod si non comparuerint, (ut præfertur,) ad examinationem electionis, & confirmationem, seu infirmationem procedent: in quantum de jure poterunt, & debebunt. Quæ utique litteræ in præsentia Monachorum tàm in Sacris constitutorum, quàm etiam Laicorum ejusdem Monasterii prælegantur: & nihilominus in præsentia illorum, qui eidem electioni specialiter se opponunt; deindè in valvis Ecclesiæ, seu Claustri, ex parte ipsius Ecclesiæ affigantur: ibique affixæ permaneant temporis spatio ad Confirmatorum arbitrium moderando. Sanè termino taliter assignato decurso: siquidem contradictores speciales appareant, ipsos præfati Confirmatores audiant simpliciter, & de plano, dilationes superfluas repellendo, & malignantium calumniis obviando; & omni casu, sive speciales oppositores compareant, sive non: electionis merita diligenter examinent, omni odio, favore, amore inordinato, seu quolibet alio justitiæ impedimento semotis; eandemque confirment, aut infirment: prout secundum Deum viderint faciendum. Summa verò cum diligentia Confirmatores attendant: electionem insufficientis Personæ ad Prioratum regendum quoquo modo confirment; super quo, eorum conscientias oneramus. Et si fortè viderint, quod ex culpa, sive negligentia Electorum potestas eligendi ad Generale fit Capitulum devoluta; se de confirmando nullatenus intromittant: sed ipsam devolutionem statim Generali Capitulo, vel Patri Generali notificent; in quo casu Pater Generalis provideat illi Domui de competenti Priore: nisi de proximo immineat tenendum Capitulum Generale; quia tunc Capitulum providebit. Tunc autem ad Capitulum Generale, seu Patrem Generalem potestas devolvitur eligendi: cum Electores, aut eligunt scienter indignum, aut infra tres menses à die vacationis non eligunt. Caveant autem quicumque Confirmatorum: ne aliquo modo directè, vel indirectè ad illum se procuret eligi Prioratum, cujus electionis Confirmator fuerit deputatus; alioquin talis electio per suum Collegam, aut Collegas omninò cassetur: & nihilominùs Confirmator sic electus graviter puniatur. Præter hæc autem Pater Generalis, si viderit expedire, potest per se electiones Priorum nostri Ordinis confirmando perducere ad effectum, aut eas infirmare: sicut viderit expedire. Attendat tamen, quod in hujusmodi Ordinis statuta custodiat. Tandem, quicquid de expensis solvendis, & damnis resarciendis, ac donis, seu beneficiis non petendis, supra in Capitulo visitationis Visitatoribus descripsimus esse tenendum, suo modo à Confirmatoribus volumus observari.

Año 1459. per intervallum dierum, vel horarum.

Clem. Causam de elect.

Cap. fin. de elect. in 6.

Cap. quamquam. eod. tit. in 6.

Cap. Cum in cunctis, & cap. Ne pro defectu de elect.

Extr. Vas elect. & c. Præteritæ de elect.

EXTRAVAGANS I.

UT electiones fiant magis conformes voluntati divinæ: nostri Confirmatores antè quamlibet electionem inquisitionem faciant secretam subornationum, & concordationum, quæ aliquando in casu electionis intervenire solent; severèque puniant, quos delinquentes invenerint. Attamen Confirmatores aliorum delictorum, quæ electionem non concernunt, nullam cognitionem, & informationem assumant. Prætereà, tam prædictorum Confirmatorum, quàm Scrutatorum, & Electorum conscientiæ valde onerantur, ut secretissimè se habeant in toto negocio electionis.

EXTRAVAGANS II.

QUando aliquis Monachus fuerit assumptus in Priorem alterius Monasterii, in futura vacatione ejusdem ab illo non discedat usque ad confirmationem novi Prioris: ut iste possit ab illo informari de his, quæ pertinent ad regimen; amboque simul uniti cum Deputatis, & Depositariis, tàm de novo electis, quàm absolutis, relinquant propria manu subscriptum statum Monasterii. Posteà verò dicto Priori absoluto detur Socius, omniaque necessaria, ut ad suum Monasterium redire possit, provideantur; & nimiùm sunt reprehendendi, qui non benè tractant Prælatos, postquam terminaverint suum Officium.

EXTRAVAGANS III.

IN electionibus Monasteriorum nominet Pater Generalis saltem quatuor Personas Ordinis extra Monasterium, ad effectum faciendi electionem; sed hu-

hujusmodi nominatio non intelligatur coactiva, sed tantùm directiva.

EXTRAVAGANS IV.

UT citiùs peragatur electionis negotium, & Monachi diù non distrahantur à religiosa quiete: Sacra approbante Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, quadraginta dies assignati pro electione restringantur, & reducti imposterùm censeantur ad terminum, & numerum præcidem dumtaxàt dierum à primo, quo fieri scrutinia incipiunt, computandorum: in quo termino decem dierum fieri debeat electio; etsi per quadraginta scrutinia in dicto termino celebrata, Electores, vel major eorum pars non concordaverint, vel electio Canonica non successerit: ipsa jure devoluto pertineat ad Patrem Generalem.

EXTRAVAGANS V.

NUllus Monachus possit eligi in Priorem Monasteriorum nostri Ordinis: nisi qui viginti annos ab habitus receptione compleverit; & qui prætereà scientia necessaria, & sufficienti ad Subditorum, & Monasteriorum regimen, & gubernium in utroque foro, præditus existat. Eam autem sufficientem ad id scientiam judicari decrevit Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis præposita: si Monachus ad ubique prædicandum à P. Generali, & ad confessiones audiendas ab Ordinario Diœcesano licentiam jam obtineat.

EXTRAVAGANS VI.

MOnachi, qui propter infirmitates, sive actuales, sive habituales à Matutino media nocte dispensationem obtinent, & qui propter easdem vitam communem, & Regularem cum aliis sequi non possunt: in Priores Monasteriorum nullatenus eligi valeant. Sin verò, postquam aliquis, vel aliqui electi fuerint, diuturna aliqua infirmitate ab exequendis proprii Officii muneribus diù impediantur, Prioratum prædictum renuntiare debeant; quod si renuerint, à Patre Generali, vel à Visitatoribus Generalibus ad prædictam renunciationem compelli possint.

CONSTITUTIO LXXI.

De electionis forma.

FOrma electionis Canonicæ in antiquis Constitutionibus disertè tradebatur, videlicet: per inspirationem, scrutinium, compromissum, & scrutinium cum compromisso mixtum. Sedulò autem, & prudenter ab antiquis Patribus in ipsis Constitutionibus animadvertebatur: formam electionis per inspirationem, seu per Spiritum Sanctum ob nostra peccata vix, aut ne vix quidem absque periculo nullitatis succedere; providumque consilium esse unquam ad praxim reducere; formam scrutinii ex pluribus substantialibus, quæ concurrere debent esse plurimùm difficilem, sed necessariam, uno Electorum illam violente: quo in casu alia forma teneri non potest; formam compromissi raró reduci posse ad usum: cum difficiliter omnes, & singuli Capitulares in ipsa consentiant; formam verò compromissi cum scrutinio mixti, ut cæteris faciliorem, & tutiorem, assumi posse utiliter.

Cap. Quia propter de elect. & c. In electionibus de elect. in 6.

Quoniam verò ex Sacrosancti Concilii Tridentini Decreto districtè præcipitur: in electione Superiorum, aliorumque Officialium Regularium quorumcumque, quo omnia rectè, & sinè ulla fraude fiant, per vota secreta procedi debere: itaut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, quibuscumque facultatibus in contrarium abrogatis: Hinc hujusmodi Sac. Concilii dispositioni obtemperando, formis eligendi per communem inspirationem, & per compromissum absolutum prorsus abrogatis, & exclusis: in nostris electionibus, vel forma scrutinii secreti penitùs observetur; vel, quatenus nemo Electorum contradicat, per formam compromissi cum secreto scrutinio mixti saltem procedatur. Ut autem secretum, adeò à Sac. Concilio injunctum, strictiùs servetur: atque omnes, & singuli Electores, omni humano respectu postposito, secundum Deum, & suam conscientiam sua suffragia conferant: nullatenus singuli explicent verbaliter, licèt secretè, vota sua Scrutatoribus, & Confirmatoribus electionis; sed unicè, & duntaxàt per secretas schedulas omnes Capitulares suffragentur; aliter verò factæ electiones irritæ, & nullius roboris ipso jure prorsus existant.

S. Conc. Trid. sess. 25. de Regul. c. 6.

Forma igitur secreti Scrutinii, cum his requisitis celebrari debet. Primum: peractis ad electionem præparatoriis, sicuti in præcedenti Constitutione disponitur, & in aula Capituli convocatis omnibus Capitularibus, qui vocem in electione habent: per omnes Electores, aut eorum partem majorem cum schedulis secretis certi deputentur Scrutatores votorum, qui, ut magis convenit, sint tres, & de ipsismet Electoribus. Secundum: Scrutatores electi, Confirmatoribus juncti, & ab aliis separati, in loco opportuno aulæ Capitularis congregentur ita, quod ab omnibus Electoribus videantur, sed ab eorum nemine audiantur; & ibidem priùs sua, deindè singulorum vota Electorum sigillatim, per schedulas secretas, in buxulam, sive urnam ad id paratam mittant, & respectivè recipiant. Tertium: Votum cujuslibet Electoris, ut præmittitur, in schedula secreta scriptum, non sit conditionatum, nec alternativum, neque incertum, sed prorsùs certum, & determinatum de certa Persona: v. g. *Nomino, & eligo N. N. in Priorem hujus Monasterii N.* Caveant verò Electores: nè propria nomina subscribant, vel in eadem schedula quocumque modo manifesta faciant; nè electio sit nulla. Quartum: postquam vota omnium, & singulorum Electorum fuerint in urna recepta coram omnibus, à prædictis Scrutatoribus simul cum Confirmatoribus præsentibus numerentur; & quatenùs unum, vel plura vota comparativè ad numerum Electorum desint, vel exuberent: scrutinium abipsis declaretur nullum, & ad aliud juxta formam prædictam procedatur. Quintum: correspondentibus votis ad Electorum numerum, si duo, vel plures fuerint ad Prioratum nominati: fiat collatio à Scrutatoribus, simul cum Confirmatoribus, numeri dumtaxàt ad numerum votorum; & si aliquis nominatorum majorem partem votorum respectivè ad totum Capitulum, nempè, ad numerum omnium Electorum, non habuerit: electio non est facta, & ad alterum procedi debet scrutinium; si verò aliquis nominatorum vota majoris partis Capituli, ut supra, reportaverit: electio est perfecta, & absoluta. Sextum: facta hujusmodi collatione, nisi manifestè apparuerit de insufficientia, & inhabilitate nominati à majori parte Capituli: itaùt debeat ejus electio infirmari; tunc antiquior tantùm Scrutatorum, vel alter, cui à Capitulo data est hujusmodi potestas, necessariò pronunciare debet electionem illius, in quem major pars Capituli consentit, sub his, vel similibus verbis: *Ego N. vice, & nomine meo, & totius Capituli hic congregati, cum potestate mihi à dicto Capitulo data, nomino, & eligo N. N. in Priorem hujus Monasterii N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Septimum: convenit tandem, quod electio in scriptis redigatur: ut perpetuis temporibus de ipsa constet, hoc modo: *In nomine Domini. Amen. Ego N. N. vice, & nomine meo, & totius Capituli hic congregati &c.* ut suprà. Sedulò igitur advertant Electores, ut in gravi electionis negotio procedant juxta prædictam formam secretam in scrutinio: nè electio sit nulla.

Cap. in electionibus de elect. in 6.

Consentientibus autem omnibus Electoribus, ut in electione procedatur juxta formam compromissi cum scrutinio secreto mixti; ita procedendum est. Omnes Electores, sive eorum major pars secretò eligant non unam, sed duas, vel tres, ut convenit, Personas de Capitulo: in quas electionem compromittunt, dantes illis plenarium potestatem recipiendi, & scrutandi sigillatim, & secreto vota eligentium singulorum: ita quod illum, in quem major pars Electorum concordaverit, eligere, & electum publicare omninò, teneantur. Compromissarii igitur in hac forma electionis loco Scrutatorum sunt; & omnia adamussim servare debent in scrutinio, & collatione votorum, quæ supra præscripta sunt de ipsis Scrutatoribus; neque alium eligere, & electum publicare possunt, nisi illum, in quem major pars totius Capituli consenserit. Quæ quidem electio, & ejus publicatio fieri debet per unum solum Compromissariorum, vel antiquiorem, vel alterum, cui à sociis Compromissariis specialiter hæc sit data facultas, & potestas: convenitque, & debet fieri in scriptis hac forma, videlicet: *Ego N. Compromissarius vice, & nomine meo, & Sociorum Compromissariorum meorum, virtute compromissi in me, & Socios meos à toto Capitulo facti, & potestatis mihi à dictis Sociis Compromissariis ad id specialiter concessæ, nomino, & eligo N. N. in Priorem hujus Monasterii N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Differentia itaque inter formam simplicis scrutinii, & formam compromissi cum scrutinio mixti, ea existit: quod in electione per simplex scrutinium electio ipsa à Scrutatore fit vice, & nomine proprio, & totius Capituli juxta formam supra præmissam; in electione verò per compromissum scrutinio mixtum ele-

Cap. cum Dilectus 32 de elect. cap. Si cui 23 & cap. Cum expediat 29. eod tit. in 6.

electio, & publicatio fit nomine proprio, & Compromissariorum tantùm, juxta formam immediatè expressam.

EXTRAVAGANS I.

IN omnibus electionibus, tam priorum, quàm aliorum Officiorum electivorum, suffragetur per schedulas secretas, ut in Constitutione disponitur. Secretarius verò, aut Schedularius sit ex Professis ejusdem Monasterii, qui non habent votum: eligaturque vocaliter à Conventu coram Confirmatoribus prò electione Prioris: & pro aliis Officiis coram Priore, & duobus Antianis, quorum alter sit Vicarius.

EXTRAVAGANS II.

SI contingat in electione Serutatorum æqualiter dividi Electorum suffragia in diversas Personas: Confirmatores prædictæ electionis secundum suam conscientiam alterum, aut duos eorum, qui pares suffragiis extiterint, Scrutatores eligant, & nominent. Sin vero, Confirmatores in eligendo, aut eligendis huiusmodi, inter se non convenisnt, sed discordent: ille, vel illi declarentur electi, qui in loco, & sessione cæteros Capitulares antecedant. In nullo tamen casu Vicarius Monasterii in Scrutatorem eligi possit.

CONSTITUTIO LXXII.

De pœnis illorum, qui tractant de electionibus.

MOnachi, qui inter se tractaverint de electione futura Prioris, antequam vacet Prioratus officium, vel post, suspendantur à voce Capituli per Priorem, aut per Vicarium, vacante Prioratu, vel per Confirmatores ejusdem electionis; si verò non fuerint Ordinis Sacri, injungatur eis, ne deferant tonsuram.

Arg. Borum quæ vocant in Gloss. cap. Bonæ cap. Cum post petitam de elect.

EXTRAVAGANS I.

MOnachi privati vocibus Capitularibus, non restituantur ad voces sex mensibus immediatè præcedentibus electionem Priorum.

EXTRAVAGANS II.

INdebitè tractans de electionibus quorumcumque Officiorum nostri Ordinis, scilicet, Vicarii, Procuratoris temporalium, & Capituli Generalis, Deputatorum, aut Depositariorum, in pœnas hujus Constitutionis incurrat; quas omninò exequi Visitatores, & Priores curent.

EXTRAVAGANS III.

IN materia subornationum sufficiant tres Testes singulares ad privationem vocis subornanti imponendam.

EXTRAVAGANS IV.

MOnachus, qui subornaverit pactis, vel promissionibus, donis, aut minis, sive alio quocumque modo illicito, publicè, vel secretè, per se, vel per alium, prò Generalis Definitorum, aut Priorum electionibus, privetur voce activa, & passiva: quod est confirmatum per Bullam Apostolicam. Hujusmodi verò privatio per quadriennium durare debeat; quod si delinquens fuerit Prior, statim ipso facto sit privatus voce passiva: sed activa à Prioratu terminato usque ad quadriennium, ut supra.

Clem. VIII. 11. Jan. an. 1588. Paul. V. 1. Sept. anno 1605.

EXTRAVAGANS V.

NUllus Monachus incurrat in pœnas hujus Constitutionis & Extravagantis, nisi per tractatus illicitos, & à jure prohibitos electioni Prioris, & Officiorum quomodolibet præcedentes, aut per licitos, & consultivos habitos antè bimestre immediatum electioni Prioris, & ante biduum præcedens aliorum Officiorum electionem.

CONSTITUTIO LXXIII.

De tempore, quo legi debent nostræ Constitutiones.

LEgantur omnes hæ nostræ Constitutiones, & Ordinationes in singulis nostris Monasteriis in omnium Monachorum præsentia bis in anno, videlicèt: In mensibus Martii, & Septembris. Decima nona autem Constitutio cum undecim statim sequentibus inclusivè, sex vicibus in anno, semel videlicèt, in singulis duobus mensibus, perlegantur.

Cap Sicut olim. de accusa.

EXTRAVAGANS I.

EXtravagantes legantur bis quolibet anno, quando leguntur Constitutiones: Et nostrum Ordinarium legatur semel quolibet anno in mense Septembris. Prior verò commendet uni Religioso curam zelandi Constitutiones, &

Extravagantes, ac Ordinarium, & omnia alia stabilita, & mandata ab Ordine.

EXTRAVAGANS II.

IMposterum observetur continuata praxis Ordinis nostri, videlicet: ut Rotulus Capituli Generalis immediatè elapsi, tàm communis toti Ordini, quàm particularis respectivè cujuslibet Monasterii, bis in quolibet anno legatur coram omnibus Monachis, nempè: infra octavas Natalis, & Resurrectionis Domini.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, supradictus Petrus præmissa, quo firmius subsistant, ac serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos ejusdem Petri votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Petri nomine Nobis super hoc humilitèr porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem ejusdem Vincentii Cardinalis à Congregatione dictorum Cardinalium ad hoc negotium examinandum, & opus ejusmodi compilandum, ut præmittitur, Deputati, sibi factam adiverunt, consilio, Constitutiones, ac Leges præinsertas, cum illarum Prologo, & in eis disposita, & contenta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; cæterum Capitulo Generali ejusdem Ordinis, ne Constitutiones, ac Leges cum earum Prologo, aliave in ejusmodi compilatione disposita, vel contenta, mutare, alterare, corrigere, eisve derogare valeat, seu præsumat, harum serie interdicimus. Permittentes dumtaxat, quod si, & quando ex usu, & observantia comperiantur aliqua ex præmissis in praxi minus conducibilia ad bonum statum dicti Ordinis, vel reformatione indigere, tunc illa in tertio Capitulo Generali dicti Ordinis suis loco, & tempore celebrando proponantur, atque cum voto ipsius Capituli Generalis, iterum referantur in prædicta Congregatione Cardinalium, pro opportuna provisione obtinenda; sin autem nulla in dicto tertio Capitulo Generali facta fuerit propositio hujusmodi, illa deinceps nullo modo fieri possit: ac interim, & donec ab ipsa Congregatione Cardinalium fuerit aliter provisum, omnia, & singula in hac compilatione contenta omninò, & adamussim serventur. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissimè suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquàm quavis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Archiepiscopo Toletano, & dilectis Filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditori generali, & Apostolicæ Sedis præfatæ in Regnis Hispaniarum Nuncio, necnon Officiali

ciali ejusdem Archiepiscopi Toletani nunc, & pro tempore existentibus per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties illorum aliquis, aut aliqui pro parte in præmissis interesse habentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra ipsas præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab illis, ad quos spectat, & spectabit quovis modo in futurum, in omnibus, & per omnia inconcussè, & exactè, ut præmittitur, observari, & executioni demandari; contradictores quoslibet, & rebelles per Sententias, Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenùs opus sit, Ordinis, & Monasterium prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tàm in Judicio, quàm extra illud, ubicumque locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Octobris MDCCXXX. Pontificatus Nostri Anno primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Loco Annuali ✝ Piscatoris.

AD-

ADDITAMENTUM XLVI.

CONSTITUTIONES ET REGULÆ FRATRUM EREMITARUM ORDINIS S. HIERONYMI CONGREGATIONIS BEATI PETRI de PISIS.

OBSERVATIO CRITICA.

O*Rdo hic institutus fuit à nobili Viro Pisano* Petro de Gambacurta *sub Regula* S. Augustini , *&* *Patrocinio* S. Hieronymi *anno* 1380. *Hujus Ordinis Alumni primitus vocabantur* Fratres Pauperes amore JESU Christi ; *postea vero* Eremitæ Pauperes S. Hieronymi : *tanta enim erat S. Fundatoris humilitas , ut abrenuntians nomini illustrissimæ familiæ suæ appellari noluerit* Petrus de Gambacurta , *sed solummodo* Petrus de Pisis : *nec Ordinem à se fundatum suo patiebatur nomine insigniri , sed expresse voluit Eremitas suos à S. Hieronymo , quem assumpsit in Patronum & Protectorem , nominari. Ab omnibus enim Eremiticæ vitæ Cultoribus non immerito tantum Doctorem ut sui Instituti Patriarcham colendum existimavit , quem constat visitasse omnes sanctos Eremitas & Anachoretas Syriæ , Ægypti , & Thebaidis , quorum omnium sanctam Conversationem ad vivum expressit in moribus & vita sua , quoad austeritatem , silentium , mansuetudinem , humilitatem , patientiam , & castitatem , aliisque Virtutes , quas in his sanctis Orientis Eremitis admirabatur. Ab hoc ergo Doctore maximo Ordinem suum Piissimus Fundator expresse præcepit denominari , nec Ipse unquam permisit , se ejus Auctorem vocari. Sed quod humillimus Fundator non patiebatur , dum viveret , non potuit impedire , quin saltem post mortem appellaretur* Congregatio Beati Petri de Pisis , *ad distinctionem aliorum , qui etiam appellantur Eremitæ S. Hieronymi.*

Natus fuit hic sanctus Vir Pisis XIV. Kalendas Martii anno 1355. eo tempore , quo Ipsius Pater Petrus de Gambacurta suprema potestate potiebatur Pisis & Luccæ. *Vix natus jam lacrymis docebat , hunc mundum non esse nisi lacrymarum & miseriarum vallem , brevique expertus est , hic non haberi civitatem permanentem ; Parentes quippe ejus sinistræ fortunæ cedere coacti Pisas relinquunt assumpto secum parvulo Petro , tribus tantum mensibus nato , DEO sic eum mature ab incunabulis cruci ferendæ , miseriisque tolerandis adaptante. Cunas egressus satis liberaliter instructus fuit iis exercitiis , quibus nobiles juvenes imbui solent , quibus ita operam dedit , ut simul didicerit scientiam omnibus aliis præstantiorem Christiane nempe vivendi , in qua adeo profecit , ut contemptum & nauseam omnium terrenarum vanitatum conceperit , unice aspirans*

vans ad cœlestia ; non secus ac navis , dum explicatis velis proficisci parata faventem expectat ventum ; sic ille mundi tumultus fugiendi , Parentes , Patriámque relinquendi optatam nancisci occasionem anbelabat. DEUS enim eum non vocavit in solitudinem statim ab infantia , uti Joannem Baptistam , neque in adolescentin sicut Beatum Paulum , primum Eremitam , sed expectavit maturam ætatem. Mortua quippe Matre mundo valedicere statuit. Cui pio proposito ut viam sterneret , ætatis 25. anno generose renuntiavit amplissimæ hæreditati paternorum bonorum , ut liberius , & expeditius nudus nudum sequeretur Christum , & quidem eo tempore , quo Pater ipsius maxima potiebatur Pisis Authoritate ; quorsum secunda jam fortuna reversus erat ad resumenda Reipublicæ istius Gubernacula. Patre itaque relicto , indutus vestitu paupere & despecto abiit sibi quæsiturus solitudinem quandam , ubi hominibus ignotus vitam austeram & pœnitentem ducere posset. Sic equidem Religiosus quidam hujus Instituti describit primos annos vitæ B. Petri Congregationis hujus Funditoris in historia vitæ hujus Sancti , quam edidit anno 1695. Papebrochius econtra litem desuper movet , contendens , B. Petrum de Pisis non tam cito se pietati addixisse , imo contrarium probare conatur , scilicet anno 1377. ope Fratris sui senioris , Andreæ de Gambacurta , Sororem suam Beatam Claram Monasterio , quod ingressa fuit ad DEO quietius serviendum , vi extraxisse , eámque quodammodo carceri inclusam per quinque menses tenuisse , & non nisi constantia hujus S. Virginis eum permotum ad pariter renuntiandum sæculo , & se Divino obsequio mancipandum. Quidquid sit , huic liti dirimendæ hic non immorandum. In confesso est , eum circa annum 1375 vel 1377. pœnitentiæ habitum assumpsisse , patriam reliquisse , ac DEO Duce in Umbriam venisse ; ubi invenit in confiniis Cessanæ montem , (cui nomen Monsbellus) montem non solum nomine sed reapse perbellum , tam ob amœnam situationem , ex cujus vertice conspicitur perampla plana Regio , totúmque mare Adriaticum , perjucundum sane oculis spectaculum , tum ob vallem undequaque plurimis quercubus & abietibus septum , quæ amœnissimam formant solitudinem Hunc locum sibi inhabitandum elegit Beatus Ordinis hujus Fundator : Inde quotidie ad mendicandum per pagas circumjacentes vitæ necessaria descendere oportebat ; cui non solum panem , sed etiam argentum fidelium Charitas porrigebat ; sicque brevi tantam pecuniæ vim collegerat , ut sua in solitudine Ecclesiam ædificandam curaverit , quæ tandem anno 1380. perfecta est , & dedicata in honorem sanctissimæ Trinitatis. Præter Ecclesiam diversas alias casas construxit pro plurium Eremitarum habitaculis : Cælitus enim edoctus fuit , se à DEO destinatum novæ Congregationis Fundatorem. Ejus primos duodecim alumnos totidem fuisse Latrones affirmant , quos ipse suis exhortationibus non solum à suo iniquo proposito , Virum DEI nempe spoliandi , avertit , sed etiam ad idem sanctæ vitæ genus secum colendum persuasit ; idque tam efficaciter , ut ex iis plures miraculis clari Sanctorum postmodum albo inscripti fuerint , Beatus nempe Petrus Gualceranus , & Bartholomæus Malerba.

Instituta sic feliciter Congregatione Eremitarum B. Petri de Pisis sub patrocinio & nomine S. Hieronymi tempus est jam etiam de ea differendi. Primo igitur loco occurrit rigor jejunii in ea observati. Mos quippe erat S. Ejus Institutori quatuor in anno celebrare Quadragesimas, primam , à Die Cinerum ad Pascha. Secundam , à feria secunda rogationum usque ad Pentecosten. Tertiam à primo Augusti usque ad assumptionem B. V. Mariæ. Quartam à primo Novembris usque ad Nativitatem Domini. Præter quas jejunabat singulis feriis secundis , quartis & sextis totius anni , quem morem , quoad vixit , Ipse rigidissime observavit , suisque Eremitis præscripsit ; Quibus insuper imposuit Disciplinam facere singulis diebus per totam quadragesimam , reliquo autem anni tempore feriis solummodo secundis , quartis & sextis , ut sic Christum Dominum pro nostris peccatis flagellatum imitarentur. In suis Constitutionibus prohibuit suscipi Candidatos ad probationem infra decimum octavum ætatis annum, aut supra quinquagesimum , ne forte essent nimis debiles ad sustinendos rigores in Constitutionibus Congregationis præscriptos. Media nocte præscripsit surgendum ad Vigilias nocturnas , quibus finitis manendum esse duabus horis in Choro ad orandum , & meditandum in æstate , Hyeme vero tribus ; Post Completorium in æstate una orabant hora , Hyeme vero duabus. Et hæc erat Regula Generalis pro ejus Congregationis Eremitis. Victus eorum Ordinarius erat pauxillum panis cum fructibus aut herbis coctis in modica tantum quantitate juxta voluntatem Superioris ; Quotidie culpam in Refectorio , priusquam mensæ accumberent , dicebant pœnitentiamque sibi impositam fideliter implebant si tempore Refectionis aliquis deliquit , statim surgebat , culpam dicebat , manebátque stans , quoadusque Superi-

perior sedere permittebat: Paupertas inter ipsos exacte observabatur (omnia enim erant ipsis communia) sicque Superior singulis distribuebat, prout opus erat.

Vita tam austera, sicut ab omnibus bonis non potuit non magni æstimari; sic econtra libertinis erat lapis offensionis, & petra scandali; qui falsis criminationibus horum sanctorum Virorum reputationi detrahebant; ubique enim proclamabant, eos ideo tam austere vivere, ut vulgi simplicitati imponerent, quòd essent Lupi in pellibus agnorum, quòd ideo externe austeritatem, ac contemptum honorum, & divitiarum profiterentur, ut eo stratagemate hominum æstimationem & gloriam sibi procurarent. Libertini enim & maligni isti homines credentes, tam austeros rigores excedere vires humanas, accusârunt hos sanctos Eremitas Sortilegii, & incantationum, attribuentes arti magicæ supernaturalem DEI gratiam, quæ iis vires tribuebat hoc vitæ genus ducendi, quam amplexi sunt pro ejus gloria: quibus calumniis Inquisitores commoti examen desuper instituerunt, eosque de sua solitudine iteratis vicibus egredi coëgerunt; idcirco B. Fundator ad finem persecutioni tam molestæ imponendum ad summum Pontificem Martinum V. confugit; qui de Ipsius sanctitate exemplarique ejus Discipulorum vita sufficienter persuasus eis Bullam concessit XXI. Junii anni 1421. qua illos à jurisdictione Inquisitorum exemit, simulque sententias Excommunicationis contra eos forte latos declaravit esse nullas, & irritas: hac demum ratione, cessante persecutione, erga ipsos major Fidelium æstimatio accrevit; adeo, ut diversis in locis ipsis oblati, fuerint Conventus, & mansiones.

Jam enim numerabant Conventus Venetiis, Pisauri, Talachii, Fani urbe in Umbria, Tarvisii, Crispani, & Paduæ: anno 1422. in Civitate Urbino fuerunt recepti, novumque Venetiis ædificârunt Conventum, quia Domus, quam ibi habebant, non poterat tantum numerum commode capere: anno 1425. Beatus Petrus Romam profectus est; ubi Nicolaum de Fourque-Palene Eremitarum quorundam Congregationis conveuit, quæ ipsius Congregationi postea fuit unita, sicut & Congregatio Fratris Angeli de Corse, qui illi quatuor, aut quinque Conventus, quos habebat, donavit; Demum nostrum S. Fundatorem suæ Congregationis negotia Venetias revocarunt; ubi in Hospitali S. Job ægrotis ministrans ipse morbo correptus obiit veræ in proximum Charitatis victima; ibidemque sepultus 80. ætatis anno Calendis Junii, anno 1435. quia necdum ullam aliam Ecclesiam apertam Venetiis ejus Congregatio possidebat.

Post mortem B. Petri de Pisis B. Bartholomæus Malerba de Cesena primus totius Congregationis Generalis creatus est, ut patet ex Bulla Eugenii IV. vigesimo secundo Februarii anno 1437. Bartholomæus hic erat unus ex duodecim primis sociis B. Fundatoris, qui spatio quindecim annorum, quibus Congregationi præerat, diversis Conventibus illam auxit, quorum præcipui erant Conventus Vincentiæ, & Mantuæ. Præter privilegia, quæ pro Congregatione sua ab Eugenio IV. Papa obtinuit, concessum insuper ipsis fuit suscipere Ordines sacros, & singulis annis Capitulum Generale celebrare; quod ultimum de celebrando Capitulo singulis annis mutavit postmodum Nicolaus V. anno 1453. præcipiens singulis triennis tantum celebrari, facultate eis concessa Generalem, Provinciales, & quatuor Diffinitores eligendi. Anno 1476. Sixtus IV. confirmavit ea, quæ eis concesserat Eugenius IV. & Nicolaus V. in suis Bullis circa celebrationem Capitulorum Generalium; sed cum juxta Constitutiones hujus Congregationis prius eligi debeat Vicarius Generalis, ad cujus manus tam Generales, quam reliqui Priores officia sua deponant: dein totum Capitulum quatuor eligit Patres, qui soli omnes alios Priores constituunt; hi tandem Priores per hos quatuor deputatos recenter electi Generalem eligunt. Sixtus igitur IV. hunc electionis modum comprobavit, mandans Capitulum debere eligere sex Deputatos ad faciendum Priores (Hæc Bulla Sixti IV. videatur ad longum in Bullario Tom. 1. pag. 407.) qui tamen numerus non semper fixe servabatur; nam per aliud Breve Alexandri VI. die 14. Aprilis 1496. permittebatur Capitulo eligere quatuor, quinque, aut sex Deputatos, prout ipsi Capitulo expedire videretur. Anno 1444. sub Generalatu ejus Bartholomæi de Cesena componebantur primæ Ordinis Constitutiones, quæ anno 1488. Venetiis latino & Italico sermone typis mandatæ erant. Jamque incipiebant paululum rigores illos maximos, quos B. Petrus de Pisis præscripsit, relaxare; ubi inter alia abstinentia perpetua à carnibus sublata est. Hæ Constitutiones correctæ, & anno 1540 per Patrem Bernardum de Verona tunc Congregationis hujus Generalem in meliorem Ordinem redactæ in Capitulo Generoli Rimini anno 1549. celebrato fuerunt receptæ; postquam universa Congregatio publicè protestata est, se non prætendere, has Constitutiones obligare sub peccato mortali, aut vi earum quemquam posse cogi ad emittenda vota solemnia. In Capitulo Generali anno 1629. celebrato, approbatæ erant novæ Constitutiones, & receptæ in Capitulo 1638. iterumque publicata in Capitulo Ge-

nerali 1641. quæ latine Pisauri fuerunt impressæ; denuo quædam declarationes harum Constitutionum factæ sunt in Capitulo anno 1644. Et hæ ultimæ Constitutiones de facto in hac Congregatione observantur. Hi Religiosi prius tantum vota simplicia emittebant, poterántque usque ad annum 1568. de suis bonis disponere, quo Pius V. Papa per Breve Apostolicum die 15. Novembris ejusdem anni ipsis vota solemnia emittere præcepit. Vi hujus Bullæ Ludovicus Cornelius Cardinalis istius Ordinis Protector Conventum S. Onuphrii Romæ ejusdem Ordinis accessit; in cujus manus Religiosi istius Conventûs votorum solemnium professionem emiserunt, quod itidem in reliquis Conventibus factum est; Professionem hanc jussu Pontificis emiserunt secundum Regulam S. Augustini. Idem Papa S. Pius V. anno 1567. omnibus mendicantium privilegiis concessis eorum Congregationem confirmavit: rursus anno 1571. privilegia, & indulgentias plenarias in forma Jubilæi Dominica quarta quadragesimæ iisdem concessit, ut in ipsa Bulla sequentis tenoris videre licet:

PIUS PAPA QUINTUS.

Dilectis Filiis Congregationis Fratrum Eremitarum B. Petri de Pisis Ordinis S. Hieronymi.

Religionis zelus, eximiúmque Regularis observantiæ desiderium, ac illibatus sinceræ devotionis erga nos, & sedem Apostolicam affectus, qoibus in Domino flagrare comprobamini, promereritur, ut nostram quoque & sedis prædictæ paternam sentiatis benignitatem, & clementiam.

1. Hinc est, quod nos Congregationem vestram Fratrum Eremitarum B. Petri de Pisis Ordinis S. Hieronymi doctosque Fratres, & alias ejusdem Congregationis personas, aliqua nostra; & dictæ sedis benevolentia amplecti, ac spec alibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, motu proprio, non ad vestram, aut alicujus vestrûm, seu alterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenerudine, omnia & singula privilegia, facultates, libertates, immunitates, exemptiones, prærogativas, indulta, & alias grarias universas, Spirituales, & temporales, vobis, & dictæ vestræ Congregationi, illiusque Capitulo, & personis, ac Monasteriis, & locis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & etiam forsan nos ac sedem prædictam, & etiam illius Legatos, nec non etiam locorum Ordinarias quorumlibet hactenus, & in præsentem usque diem, ac etiam à quantumvis antiquo tempore concessa (quatenus sacri Tridentini Concilii decretis, & Regulari observantiæ contraria non sint, & quoad ea, qoæ decretis Concilii, & regulari observantiæ hujusmodi non contrariantur) nec non desuper confectas litteras, instrumenta, documenta, & scripturas quascunque, & in eis contenta, ac inde secuta, & sequenda quæcunque illarum, & illorum, ac præmissorum omnium, & aliorum necessariorum tenores, & etiam datas cum inde secutis, ac si de verbo ad verbum inſererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, & haberi decernentes, Apostolica Authoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus ac innovamus, & etiam de novo perpetoo concedimus, nec non illis plenariæ, inviolabilis, & perpetuæ firmitatis Apostolicæ Robur adjicimus, omnésque & singulos, tam joris quam facti, & quoscunque alios defectus, siqui forsan intervenerint, quomodolibet in eisdem supplemus, illáque valida, & efficacia fuisse, esse, & perpetuo fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec non vobis, & Congregationi vestræ prædictæ, illiusque Fratribus, personis, Monasteriis, & locis suffragari, ac ab omnibus & singulis, quos ea quomodolibet concernunt, & pro tempore concernent, inviolabiliter perpetuo observari debere, vosque, & Congregationem vestram, ac illius Fratres, personas, Monasteria, & loca super præmissis, & infra scriptis per quoscunque quavis authoritate quomodolibet molestari vel impediri non posse, decernimus, & declaramus.

2. Districtios etiam inhibentes omnibus, & singulis personis cujuscunque dignitatis, status, gradûs, Ordinis vel conditionis ubilibet existentibos, in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub indignatioois nostræ, ac aliis arbitrii nostri pœnis, ne vos, aut aliquem vestrûm super præmissis, per se vel aliom seu alios, publice vel occulte, directe, vel indirecte, quovis quæsito, colore vel ingenio quomodolibet molestare, inquietare, impedire vel perturbare audeant seu præsumant.

3. Ac insuper de Omnipotentis DEI Misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus Authoritate confisi, vobis, & dictæ vestræ Congregationi, illiusque Fratribus & personis, ac vestrum & eorum singolis plenariam omniom peccatorum vestrorum indulgentiam, & remissionem à culpa, & pœna in forma Jubilæi amplissima, quarto die Dominico cujuslibet Quadragesimæ in perpetuam rei memoriam Professionis trium votorum, quam vos Fratres dictæ Con-

gregationis, præeunte dilecto Filio Fratre Joanne Baptista de Monfelice, vestro, & hujus Congregationis Generali, prompto & libenti animo in manibus nostris solemniter sub Regula S. Augustini, & sub Constitutionibus dictæ Congregationis, Romæ in Ecclesia Monasterii S. Hoouphrii, die decima Octava Mensis Martii, anni Domioi 1569. emisistis, eisdem auctoritate, & tenore misericorditer in Domino perpetuo concedimus, & impartimur.

4. Et præterea vos, & eandem Congregationem vestram, illiusque Fratres, & personas, ac Mooasteria, & loca, Bullæ Confirmationis, novæque coocessionis privilegiorum, omoium Ordinum Mendicantium per nos nuper, seu dudum editæ, illius etiam tenores, & datam cum inde secutis præsentibus pro plene & sufficienter expressis & iosertis habentes, in omnibus, & per omoia, ac adinstar dictorum Ordioum, & æque principaliter, ex ounc & perpetoo, Auctoritate & tenore prædictis aggregamus, ac pro aggregatis haberi, censeri, & teoeri, io judicio, & extra judicium ubilibet, volumus, declaramus, & mandamus.

5. Præsentes quoque de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, seu aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, suspendi, vel revocari, seu eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse, sed illas semper validas & efficaces existere, ac suos plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, nec non ab omnibus, & singulis, quos ea qoomodolibet concernunt, & pro tempore concernent, inviolabiliter, ut præfertur, observari, sicque etiam in præmissis, & supradictis omnibus, & singulis ab omnibus censeri.

6. Ac ita per quoscunque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam locorum Ordinarios, etiam tanquam à Sede Apostolica delegatos, nec non etiam Rotæ auditores, seu loca tenentes ad S. R. E. Cardioales, etiam de latere Legatos, seu nuncios, eorumque Vicelegatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis causa, & iostantia judicari, sententiari, & definiri debere, nec non qoidquid super bis à qoocunqoe quavis auctoritate scienter & ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, & declaramus.

7. Quocirca dilectis Filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac Sedis Apostolicæ Legatis, etiam de latere, & nunciis ubilibet, nunc & pro tempore existentibus, præsentibus, & futuris, per præsentes committimus & maodamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, si & postquam præsentes nostræ litteræ eis præsentatæ fuerint, per se vel alium, seu alios, litteras ipsas, & io eis conteota quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte vestra, aut alicujus vestrûm fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque & cuilibet vestrum in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes litteras, & in eis conteota hujusmodi firmiter observari, vosque, & quemlibet vestrum illis pacifice frui, & gaudere: non permittentes vos, aut vestrum quempiam per quoscuoque contra earumdem præsentium tenorem desuper quomodolibet iodebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, per ceosuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuoa juris remedia, appellatione postposita compesoendo, ac legittimis super his habendis servatis processibus, ceosoras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, iovocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

8. Noo obstantibus Felicis recordatioois Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam Civitatem vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices à Sede Apostolica deputati, extra civitatem vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint, cootra quoscunque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere præsumant, ac in Concilio Generali edita de duabus dietis dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium oon trahatur, & quibusvis aliis Apostolicis, ac universalibus, proviocialibusqoe, & Syoodalibus, specialibus vel Generalibus Coostitutionibos, & Ordinationibus, nec non etiam juramento, confirmatiooe Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis & coosuetudinibus, privilegiis qooque indultis, & litteris Apostolicis, etiam quibusvis personis, & locis in geoere, vel io specie sub quibuscunque, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenetodine similibus, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibos concessis, approbatis, & innovatis, quibus omoibus, etiam si pro illorum sufficieoti derogatione, aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausolas Generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio babenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis babentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum,

quod

quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die trigesima Martii, anno 1571. Pontificatus nostri sexto.

Indulgentias in hac Bulla contentas Gregorius XIII. anno 1583. extendit pro omnibus eorum Ecclesias prædicta Dominica quarta Quadragesimæ visitantibus: Insuper anno 1581. per aliud Breve omnia privilegia à suis prædecessoribus concessa confirmavit (vide Bullarium Romanum Tom. 2. pag. 509.) Paulus vero quintus privilegia circa exemptionem à Jurisdictione Inquisitorum à Martino V. ipsis data abrogavit, eos Inquisitoribus subjici volens. Innocentius X. ipsis nequaquam favebat; iis enim anno 1650. Novitios suscipere, & jam susceptos ad Professionem admittere prohibuit, & hoc duravit usque ad annum 1659. quo Alexander VII. ad preces Cardinalis Fagnani Ordinis Protectoris eis Novitios ad probationem suscipere, simulque ad Professionem admittere permisit. Idem Alexander VII. postquam suppressit anno 1656. Ordinem Canonicorum Regularium S. Spiritus Venetiis, qui eo redactus erat, ut unum tantum restaret Monasterium; similiter Ordinem Cruciferorum, qui è viginti quinque Monasteriis tantum quatuor habebant, residua istorum duorum Ordinum Monasteria Congregationi S. Petri de Pisis adjunxit.

Ordo hic divisus est in duas Provincias, Anconitanam nempe, & Tarvisanam, quæ quadraginta circiter domos comprehendunt præter Tyrolensem, & Bavaricam, quæ ad quosdam Eremitas spectabant, qui anno 1695. Eremitis B. Petri de Pisis se junxerunt, de quibus postea. Habitus Eremitarum Italicorum consistit in toga & Caputio Coloris camusini cum cingulo Coriaceo, Mozeta Caputii à tergo pendet ad usque Cingulum, estque accuminata, Caputium autem non imponunt capiti; domi enim semper habent pileum quadratum, seu Biretum; cùm autem exeunt, pallium induunt superius plicatum cum collari satis alto & Gallero nigro in capite.

Eorum observantiam antiquam jam supra descripsimus; moderna autem est talis: Media nocte ad Matutinos surgunt; diebus Mercurii juxta arbitrium Superioris abstinent, & præter jejunia Ecclesiæ jejunant à Dominica prima Adventus usque ad Natale Domini; singulis quadragesimæ diebus (exceptis sabbatis & Dominicis) disciplina se flagellant, & in Adventu feriis secundis, quartis, & sextis nisi in his feriis occurrant festa duplicia. A Paschate usque ad exaltationem S. Crucis orationem faciunt post nonam, quæ dicitur tempore meridiano; aliis autem temporibus faciunt post Completorium: singulis trienniis Dominica tertia post Pascha Capitulum suum Generale celebrant, in quo suos Superiores eligunt, qui continuari possunt per tres alios annos in altero Capitulo: Mortuo Generali, Provincialis illius Provinciæ, ubi ille morabatur, totum Ordinem usque ad electionem novi Generalis regit, quæ tunc solummodo fit per Priores, qui sunt Romæ, Pisauri, Venetiis, & Paduæ cum altero Provinciali. Caput hujus Ordinis residet in Montebello. In hoc Ordine floruerunt plures sanctitate fulgentes, uti B. Petrus Qualceranus, Nicolaus de Forque-Palene, Bartholomæus de Cesena, Laurentius Hispanus, Paulus Quirinus, Philippus de S. Agatha, Marcus de Mantua, Bertrandus Ferrariensis, pluresque alii, quorum vitæ extant in Libro: Pisana Eremus &c. *Pater Franciscus Cocalini, qui anno 1647. Ordinis Generalis fuit electus; postea creatus Episcopus de Trau in Dalmatia: mortuus est Venetiis anno 1661.*

Anno denique 1695. plures Eremitæ Tyrolenses & Bavari in diversis locis habitantes & in communi viventes à Religiosis B. Petri de Pisis die 2. Aprilis ejusdem anni in Capitulo Generali Romæ in conventu S. Onuphrii congregatis eorum Congregationi uniri petierunt, portare eundem habitum quoad formam, eandem profiteri Regulam, & eorum gaudere privilegiis, promittentes obedientiam istius Ordinis Superiori; quod ad instantiam Leopoldi I. Imperatoris ipsis fuit concessum: Hic enim in eorum favorem ad Cardinalem Casinate Ordinis Protectorem scripsit: hæcque unio à Papa Innocentio XII. fuit confirmata. Ab illo tempore multiplicati sunt in his Provinciis; ubi novos Conventus erexerunt, observántque antiquas Ordinis Constitutiones in pleno suo rigore, semper à carnibus abstinentes, incedúntque nudipedes, vestiuntur rudi panno, portantque barbam sed non longam; quoad formam habitus, & Regulæ observantiam, Italis se conformant.

Et hæc pro notitia tum totius Ordinis seu Congregationis, tum vitæ ipsius B. Fundatoris synoptice hic præmisisse sufficiat. Jam ad ipsas Constitutiones & Regulas, quas hodie observant, quæque in MS. nobis communicatæ sunt, procedamus.

Constant hæ Regulæ 62. Capitibus, quibus subjunguntur 1. Ritus vestiendi Novitios. 2. de eorum Professione, ejusque forma coram Reverendissimo Patre Generali, vel Priore. 3. Forma Professionis fidei facienda. 4. demum forma absolutionis generalis, quæ dari solet in extremis vitæ constitutis.

Notas quasdam ad ipsas Constitutiones in pagella separata nobis communicatas, suis locis insertas damus.

His prænotatis sequuntur ipsæ

Constitutiones & Regulæ Fratrum Eremitarum Ordinis sancti Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, quæ adhuc vigent.

PROEMIUM

UT nostra hæc Congregatio Fratrum Eremitarum sancti Hieronymi, quam divina bonitas primùm instituit per servum suum B. Petrum Gambacurtam de Pisis, & postea per Christi Vicarios Martinum quinrum, & plures alios summos Pontifices pluribus gratiis, & privilegiis decoravit, & tandem per Pium quintum etiam ad professionem, & statum verè, & propriè Religiosum sub Regula sancti Augustini evexit, melius in divino obsequio promoveatur, & juxta Spiritum suæ vocationis ad finem religiosæ virtutis, & perfectionis dirigatur necessarium omninò est, Constitutiones aliquas, & regulas scribi, quæ in via DEI illam juvent, & dirigant, & hæ sunt illæ ipsæ, quas Patres nostri olim scripserunt, & quæ ante aliquot annos, jussu Eminentissimi Cardinalis de Monte, tunc Protectoris totius Ordinis fuerunt recognitæ, nunc enim iterum prodeunt meliori Ordine & forma, additis etiam non nullis rebus valdè necessariis, jussu primum Eminentissimi ac Reverendissimi D. F. Antonii Barberini Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis sancti Honuphrii, tum Eminentissimarum ac Reverendissimarum DD. Cardinalium negotiis Regularium Præfectorum, & quamvis ad culpam lethalem non obligent quantum est ex se, æquissimum tamen est, ut earum transgressores teneantur ad pœnam aliquam temporalem, quam vel ipse Constitutiones statuerint, vel ipsi Superiores pro loci, ac temporis circumstantiis, & pro rerum ac personarum qualitatibus prudenti judicio imponendas censuerint: non ergò volumen legis hujus recedat ab ore nostro (quod olim ad Josue dixit Dominus) meditemur in eo diebus ac noctibus, ut custodiamus, & faciamus omnia, quæ scripta sunt in eo, & tunc dirigemus vias nostras, easque intelligemus, & quoniam ùt habetur Sapientiæ 6. cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum est, si dilectionem in nostris cordibus habuerimus, promptè, ac facilè omnia custodiemus, & quia custodia legum, ut ibi subditur, est consumatio Incorruptiònis, & Incorruptio facit proximum DEO, per has ipsas Constitutiones ac Regulas maximè DEO appropinquabimus, quod solum est maximè optandum, & procurandum.

Regula sancti Augustini.

Ante omnia, Fratres charissimi, diligatur DEUS &c. &c.

CAPUT I.

De iis, quæ pertinent ad Dei cultum, & ad officia pietatis, ac primo de divinorum mandatorum observantia.

1. INter ea, quæ pertinent ad Dei cultum, & ad officia pietatis, primum locum jure obtinet divinorum mandatorum observantia, sine qua ad vitam non patet ingressus. Sed non est, quod de ea cum viris religiosis agatur multis; ex Christianis enim omnibus nemo est, cui planè non constet, quanropere illa sic cordi habenda, à qua maximè pendet status gratiæ, & tota vita spiritualis.

2. Et quoniam tota lex, & Prophetæ, à sola charitate pendet, & legis plenitudo rectè dicitur esse ipsa dilectio, & qui Deum & proximum diligit, legem implevit, Deum imprimis omnes amemus ex toto corde, totisque viribus, & super omnia, tum verò proximum, sicut nos ipsos ex Dei amore.

CAPUT II.

Quid cuique agendum sit manè, cùm surgit, & vesperè ante cubitum.

1. CUret proinde unusquisque diebus singulis, statim atque à lecto surgit, in genua se se dimittere, seque humiliter sistere coram Deo, per aliquod tempus gratiis actis pro noctis custodia, illius opem, & patrocinium obnixe petere pro tota die, suàsque omnes cogitationes, locutiones, & opera, ex animo illi offerre, ut omnes cedant in laudem, & gloriam nominis sui.

2. Ve-

2. Vesperè autem ante cubitum nullus omittat suæ conscientiæ examinationem circiter per quadrantem, & gratiis iterum actis Domino Deo pro beneficiis ab illo acceptis, tam generalibus, quam particularibus, ejusque auxilio specialiter implorato pro recognoscendis, ac detestandis suis defectibus, & peccatis, rationem ab anima sua exactè petat in horas singulas, ex quo surrexit, & tam cogitationes, quam locutiones, & actiones benè expendat, in quo Deum offenderit; tum verò veniam humiliter poscat de admissis, ac deprehensis, & proponat pro die sequenti, totaque vita emendationem, & suo tempore Confessionem, & Pœnitentiam.

Caput III.

De Oratione mentali, aliisvè precibus fundendis.

1. PRæterea in omnibus nostris Conventibus quotidiè post Completorium, aut post Matutinum, quando hoc in choro persolvitur vesperè, & antè cubitum omnes conveniant ad orationem mentalem, eique vacabunt circiter per mediam horam, & signo campanæ ad hanc vocantis audito, nullus non aderit nisi legitimè sit impeditus, judicio ejusdem Superioris, sive is sit Sacerdos, sive Clericus, sive etiam Laicus, & par erit, ut omnes priùs ad illam se præparent lectione alicujus libri spiritualis, ne sint quasi homines Deum tentantes, & ut instructiones particulares à Patribus antiquioribus, & peritioribus habeant.

2. Singulis item diebus post nonam omnes intererunt litaniis Sanctorum, & Vespere post orationem mentalem litaniis Beatissimæ Virginis; eæque diebus Sabbati etiam cantabuntur ea solemnitate, qua poterunt, pro loci, & personarum opportunitate, & post illas etiam fiat aspersio aquæ benedictæ, & pro defunctis recitabitur Psalmus De Profundis, & tres solitæ Orationes.

3. Officium parvum B. V. iis diebus, quibus in choro non dicitur, omnes dicent privatim, sicut & quotidie coronam, aut tertiam partem Rosarii, & aliquas alias preces devotas, & Novitii hæc recitabunt simul omnes in proprio Oratorio, eorumque Magister curabit, ut ea non omittant.

Caput IV.

De audiendo quotidie sacrum, ac de sanctissima Communione.

1. UNusquisque Sacerdos quotidiè celebrabit, nisi aliquo legitimo impedimento detineatur, & ideo unusquisque ita vivere studeat, ut meritò id quotidiè præstare possit. Reliqui omnes sive Clerici sive Laici sacrum quotidie audient, & primæ Missæ, quæ erit Conventualis, omnes intererunt, qui propter aliquod impedimentum non poterunt postea illam audire dicere, vel audire, & qui illam amiserit, judicio Superioris punietur.

2. Curent omnes frequenter orare pro universa Ecclesia, & præsertim pro iis, qui sunt majoris momenti ad ejus bonum universale, primo pro summo Pontifice, secundo pro Eminentissimo Protectore, tunc pro Congregatione, & generali, ac pro nostris Benefactoribus.

3. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, qui Sacerdotes non sunt, aut Missam non celebrant, omnes sumant ad minimum octavo quoque die, id est, singulis diebus Dominicis, & præterea in solemnitatibus Christi Domini, & Beatæ Virginis, & in festis SS. Apostolorum, S. P. N. Hieronymi, S. Titularis illius Ecclesiæ, in qua degunt, & aliis solemnitatibus, & ideo Superiores in publico refectorio pridie istorum dierum curabunt revocari omnibus in memoriam, ut per Sacramentalem Confessionem & alia pietatis officia benè se præparent, eamque Confessionem debebunt iis Confessariis facere, qui fuerunt à Superioribus deputati juxta Ordinationes, & decreta apostolica: idque totum magis præcipuè præstabunt Novitii, prout specialiter pro ipsis statuitur: iisdem ordinationibus, & decretis Apostolicis.

Caput V.

De Officio, & Horis Canonicis in choro persolvendis.

1. IN quoquo Conventu nostræ Congregationis quotidiè immolabitur Deo sacrificium laudis, & fructus labiorum reddetur Domino, & ideo quotidie in choro recitabitur totum divinum officium, omnesque horæ Canonicæ juxta ritum ac formam Romani Breviarii, & præterea singulis diebus ferialibus etiam dicetur officium parvum B. V. & officium defunctorum, septem Psalmi pœniten-

tentiales, & Psalmi graduales iis diebus, eòque ordine semper dicentur, quo præscribuntur in dicto Breviario, & in ejus Rubricis.

2. Recitabunt autem Matutinum, & laudes, cæterasque Horas canonicas temporibus debitis, & in Ecclesia consuetas, & ad Primam in choro semper legatur martirologium.

3. Ad chorum pro divino officio omnes convenient, tam Sacerdotes, quàm Clerici, & Novitii, prout describitur in ordinationibus, & decretis Apostolicis, & quando matutinum noctu dicitur, adesse debebunt etiam Laici, qui tunc persolvere poterunt suas alias preces, ad quas tenentur loco ufficii, & omnes maturè convenient, & semper cum habitu religioso, & omnes aderunt, antequam inchoëtur officium, & præsertim Clerici, qui libros sunt paraturi, & cum ipsis Pater hebdomadarius; & omnes cum silentio factis inclinationibus, & reverentiis ac orationibus debitis ad sua loca se conferunt, ibique erunt cum ea modestia, gravitate, & pietate, qua esse decet Dei servos; dùm sunt in Ecclesia: Deum laudent, neque inde recedent, nisi prævia facultate, & benedictione Superioris.

4. Hac de causa in unoquoque Conventu unus aliquis erit Magister chori, qui clericos doceat modum ordinandi divinum officium, & cantandi saltem cantum Gregorianum, & prout apatet, & iis omnibus præsit, quæ ad chorum pertinent; eique omnes exactè obedient; & curabunt quam maximè possunt inter se esse uniformes in omnibus; & quæ publicè in choro legere, aut cantare debebunt, præcognoscant, prius in privatis cubiculis, ne postea errent, & si quem fortè errare contigerit, suam culpam sponte fatebitur coram aliis, vel in choro post absolutum officium, vel in Refectorio, quod etiam facient, qui fuerint negligentes in conveniendo ad chorum, solum venerint post inchoatum officium, & potiori ratione etiam illi, qui sine legitima causa à Superiore approbanda simpliciter non convenerint, quibus etiam in Refectorio pœna aliqua per Superiores erit imponenda, juxta ordinationes, & decreta Apostolica.

In omnibus Conventibus singulis diebus festivis cantandæ sunt saltem Vesperæ, & ubi numerus Fratrum erit sufficiens, cantabitur etiam Tertia, Missa, & Completorium, & in diebus solemnibus publicè exponentur eorum nomina, qui in Ecclesia, vel in choro erunt ministraturi; & in Matutino cantabitur tertia lectio de Homilia & Hymnus, Te Deum laudamus, & canticum Benedictus, & secundæ Vesperæ: & Missa cantabitur cum ministris ritè paratis, & in Vigiliis Nativitatis Domini, & Annuntiationis B. Virginis etiam cantabitur Martirologium.

6. Quæ ad chorum, & ad Ecclesiam pertinent, omnia peragentur ritu Romano, ideo curabunt Priores cujusque Conventus, ut in Choro nulli desiderentur ex libris necessariis, tam in choro, quam in Sacristia sit publicè expositum ordinarium divini officii, & prætetea sit appensa etiam nostrorum Sanctorum.

7. Si quis ex Fratribus, constituti in Sacris, convincetur non recitâsse divinum officium, pro prima vice in publico Refectorio humi comedet feria 4. & 6. per mensem integrum in solò pane & aqua, prò 2. verò duplicabitur illi hæc eadem pœna, & præterea adjungetur etiam publica flagellatio, & pro 3. ultra pœnas jam dictas, & alias à Superioribus imponendas, privatus erit ipso facto in perpetuum voce activa & passiva, & erit semper inhabilis ad quemcumque gradum, & dignitatem.

CAPUT VI.

Ad quid teneantur Laici loco divini officii.

1. FRatres Laici ad Chorum non deputati pro divino officio recitabunt hoc modo orationes Dominicas, & salutationes Angelicas: pro matutino recitabunt illas tricies, & pro singulis aliis horis recitabunt illas decies.

2. Si quis autem ex illis convictus fuerit hujusmodi præcationes esse solitus omittere, similiter punietur, etiam ipse proportionaliter iisdem pœnis pro 21. & 3. vice, quibus alii.

CAPUT VII.

De suffragiis pro Defunctis.

1. QUandò quis ex Fratribus moritur in nostris Conventibus antequam sepulturæ tradatur, recitabitur pro ejus anima simul ab omnibus totum officium defunctorum, & deinde cantabitur Missa de Requiem, vel saltem dicetur sine cantu, si fortè alicubi cantari non possit, & præscribatur aliquis alius Missarum numerus pro qualitate defuncti, &

& postea iterum cantabitur, vel saltem dicetur alia Missa de die septimo.

2. In aliis omnibus Conventibus totius nostræ Congregationis statim atque audita fuerit mors alicujus ex fratribus, cantabitur similiter pro ejus anima, vel saltem dicetur una Missa de Requie, & unusquisque Sacerdos celebrabit pro illo quam primum poterit unam Missam, aut saltem, si Missarum onera id non patiantur, quod locali Superiori relinqui debet, pro ea in suis sacrificiis, specialiter orabit; & unusquisque Clericus recitabit saltem semel totum officium mortuorum, & unusquisque Laicus saltem ter Coronam B. Virginis.

3. Id ut fiat, statim atque contingit mors alicujus ex Fratribus in aliquo Conventu, Prior, aut Superior, illius conventus opportune monebit PP. Visitatores, iique monebunt alios omnes Conventus utriusque Provinciæ, & Priores in unoquoque Conventu publicè monebunt omnes suos subditos, & unusquisque memor fraternæ charitatis & pietatis erga defunctos per sua suffragia, ex vera charitate, & citò facta, iis curabit refrigerium dare, qui tam ardenter illud expectant.

4. Pro anima Eminentissimi ac Reverendissimi Protectoris totius Ordinis præter Missas solemnes, & privatas, quæ in unoquoque Conventu, & ab unoquoque Sacerdote celebrabuntur ut supra, præscribent Superiores certum alium Missarum numerum per totam Congregationem; omnesque memores immemorabilium beneficiorum quæ universi, & singuli ab illo accepimus gloriæ immortalitatem universi, & singuli illi precabimur.

5. Præterea in omnibus nostris Conventibus prima feria secunda cujusque mensis, non impedita festo novem lectionum, vel die sequenti non impedita cantabitur, vel saltem dicetur una Missa de Requie, & unum Responsorium pro omnibus nostris defunctis propinguis, benefactoribus & Protectoribus, & specialiter etiam pro iis, qui dum viverent, habuerunt litteras nostræ filiationis, & Communicationis, vel participationis bonorum spiritualium nostræ Congregationis, eique Missæ, & Responsorio omnes intererunt, & eadem die omnes alii tam Sacerdotes, quàm Clerici, & Laici pro omnibus defunctis jam dictis devotè orabunt in suis sacrificiis, & orationibus.

6. Infra Octavam denique Commemorationis omnium fidelium defunctorum singulis annis in unoquoque Conventu celebrabitur unum anniversarium pro omnibus nostris defunctis jam dictis, & similiter omnes alii eadem die pro ipsis orabunt.

CAPUT VIII.

De Jejuniis.

1. PRæter jejunia, quæ de præcepto servantur in tota Ecclesia, curabit Superior in unoquoque Conventu sub pœna privationis officii servari jejunia per totum Adventum, hoc est, à Dominica prima Adventus usque ad diem Nativitatis, & præterea singulis festis feriis totius anni in memoriam Passionis Christi Domini, & in omnibus Vigiliis B. Virginis, & sancti Augustini, festi Titularis suæ Ecclesiæ, neque in iis jejuniis dictus Superior dispensabit, nisi fortè in aliquo ex Jejuniis feriæ sextæ, idque faciet solum rarissimè, & ex gravi urgentique ratione.

CAPUT IX.

De Flagellationibus.

1. COrporis flagellatio in unoquoque ex nostris Conventibus per totam quadragesimam, & adventum ab omnibus Fratribus simul qualibet feria 2. 4. & 6. etiam si his diebus occurrat festum de præcepto, fiat hoc modo. Post signum Vespertinum Salutationis Angelicæ ad aliud signum nostræ Campanæ omnes convenient, qui non fuerint legitimè impediti ad certum locum ad id deputatum, & quando fuerint benè dispositi, hebdomadarius alta voce incipiat.

Servite Domino in timore.

Et omnes respondebunt.

Et exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, & simul omnes incipientes se percutere, & flagellare super nudum ulterius prosequentur:

Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Tum verò hebdomadarius incipiat Psalmum Miserere, eùmque alternis vicibus cum Gloria Patri; omnes absolvent, & deinde eodem modo dicent Psalmum de profundis, & in fine requiem æternam, & postea simul omnes dicent Salve Regina: & Clericus hebdomadarius in fine, Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix, & omnes respondebunt, Ut digni efficiamur promissionibus Christi & Sacerdos subjunget has tres orationes: Concede misericors De-

us &c. Fidelium Deus omnium Conditor, &c. & Respice quæ sumus Domine &c. iisque finitis omnet dicent sub silentio Pater noster, & Ave Maria: & tandem Superior dabit signum discessus verbis illis: Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus, & omnes dicent, Amen.

CAPUT X.

De votorum observatione, & Primo de voto Paupertatis.

1. DEbet unusquisque ex nostris semper mente recolere vota paupertatis, Castitatis, ac obedientiæ, quæ in solemni professione emisit coram Deo, ut facilius ad ea adimplenda excitetur animus. Et quidem paupertatis votum diligere omnes ex animo debent; quippe paupertas est Religionis firmissimus murus, ac fundamentum, eàmque studeant omnes, quantum Dei auxilio fieri poterit in sua puritate conservare.

2. Neque pecunia, neque ulla alia re, ut propria utantur, sed quidquid habent Superioribus tradant, & nomine ac ad favorem sui Conventus investiatur, & cum cœteris ejus bonis sen redditibus incorporetur, & confundatur, fructus autem, seu redditus exinde provenientes per procuratorem ipsius conventus exigantur, & in ejusdem commune depositum deferantur: tum de licentia Superioris ac de manu Depositarii regularis ipse quantum, & quatenus opus fuerit, & non amplius, recipiat ac in suas duntaxat religiosas necessitates applicet, applicatorumque quoties ab eodem Superiore requisitus fuerit, rationem reddat: residuum verò in communes ejusdem Conventus necessitates erogetur.

3. Victus, ac vestitus ratio, nec non & cubiculi cujusque Fratris suppellex talis sit, ut à paupertate, quam profitemur, minimè dissentiat: In mensa peculiari cibo, aut potu nemo utatur, sed solùm communi, & quod omnibus fratribus dispensatur, eo contentus sit.

4. Illud denique intelligant omnes, se nihil ex iis, quæ in monasterio sunt, aut apud se habent, etiam si propria industria acquisiverint, posse aliis dare, aut quovis modo alienare, nisi in casibus à jure, & constitutionibus ac decretis summorum Pontificum, & præsertim Sanctissimi D. N. Urbani VIII. desuper editis, conscio Superiore, qui etiam consensum præstiterit.

CAPUT XI.

De voto Castitatis.

1. DE his, quæ ad votum Castitatis pertinent, non est, quod cum Vitis Religiosis agatur multis, per se enim constat, quàm excellens virtus sit, & quàm perfectè ab omnibus, qui in christiana Religione ad statum perfectionis aspirant, excolenda sit, atque observanda, ut nimirum corporis, animique nostri munditia Angelicam puritatem imitari conemur.

2. Ut autem hoc tamen excelso, ac penè divino bono fruamur, studeat quisque suorum sensuum portas summa vigilantia, oculorum præsertim, aurium ac linguæ, ab omni inordinatione custodire; colloquia & conversationem fœminarum omninò fugiant cuncti, verba obscœna, & turpia ne loquantur, nec audiant, his enim castitatis virtus facilè labefactatur.

3. Qui autem deliquisse compertus fuerit, juxta culpæ qualitatem erit à Superiore puniendus, & ideò si cum mulieribus immodestè, & inordinatè inventus fuerit, unde mala suspicio oriri possit, prima vice unam disciplinam in Capitulo recipiat, & per unum diem in pane & aqua jejunet, si in idem reincidat, in cella recludatur saltem per mensem, & qualibet die Veneris dicti mensis disciplinam in Capitulo recipiat, & in aqua & pane jejunet.

4. Lapsus in peccatum carnis cum mulieribus, si convictus aut confessus fuerit prima vice per tres menses carceretur, & disciplinis, jejuniis, & abstinentiis ad arbitrium Superioris puniatur, & per unum annum voce activa & passiva loco, & officio careat. Quod si secunda vice reincidat, voce activa & passiva in officio per triennium privetur, & quoad reliqua pœna duplicetur. Et si denuò reincidisse confessus fuerit, aut convictus, per annum incarceretur, & disciplinis & jejuniis qualibet hebdomada dicti anni puniatur, & perpetuò voce activa & passiva loco & officio privetur & careat, verùm si crimen fuerit extraneis notorium, aliis pœnis secundum Superioris discretionem puniatur.

5. Et quia in hujusmodi peccatis ratò plena probatio haberi potest, Superior statim ut judicaverit aliquem de mala familiaritate sufficienter suspectum, illius saluti consulens, deneget ei, quæ aliis Religiosis concedi solent, ut ordines

nes suscipere, studere, in studio legere, prædicare, confessiones audire, scribere, è conventu exire, & in alium Conventum hunc sic suspectum transferat.

6. Si quis nefandum crimen concubitus contra naturam commiserit, perpetuo carceri sit addictus, & voce activa & passiva, loco, & officio perpetuò sit privatus, à carcere autem possit solum post decennium à Capitulo generali liberari.

Caput XII.

De obedientia.

1. Viro Religioso obedientia adeò necessaria est, ut sine ea ne nomen quidem Religiosi haberi possit. Nempe ad perfectum statum Religionis planè necessarium est, ut qui sub obedientia in Religione vivunt, perfectæ, atque exactæ obedientiæ omnino se tradant, in eàque excellere, atque illam penitùs, & ad unguem observare toto conatu eniti debent.

2. Superiorem (quicunque ille sit) loco Christi Domini nostri agnoscant, & verò cordis affectu, ac interna animi reverentia eum prolequantur. Quæ jubet, promptè, integrè, & cum debita humilitate, sine excusationibus, & obmurmurationibus adimplere, eique in omnibus parere studeant. Ad Superioris vocem, perinde ac si à Christo Domino nostro vocaremur, quàm promptissimi simus; quæque nobis ab eo injuncta fuerint, quamvis difficilia, & secundum sensum repugnantia videantur, magna celeritate, ac spirituali gaudio obeamus, scientes, quod, qui sub obedientia vivunt, se regi ac duci à divina providentia per Superiores suos sinere debent.

3. Pœnitentias quaslibet, vel ob aliquem defectum, & negligentiam, vel etiam ex sola obedientia à Superiore impositas quisque debet non contradicendo, nec repugnando, magna cum humilitate adimplere. Juvenes vero ac fratres Laici non modò Superiorem, verùm etiam quemlibet Sacerdotem summo honore prosequi debent. Qui autem sanctæ obedientiæ quovis modo repugnare, sive directè sivè indirectè ausus fuerit, gravissimis pœnis etiam carceris formalis irremissibiliter affligatur.

Caput XIII.

De benedictione mensæ, lectione, ac gratiarum actione.

1. Præparata refectione tam manè, quàm vesperè, hora decenti pulsetur Refectorii campanula, qua audita omnes fratres, nisi sint urgenti causa impediri in Refectorio conveniant, ibique ordinatim dispositis fiat benedictio, juxta ritum Breviarii Romani: Incipiente hebdomadario alta voce: Benedicite, aliis respondentibus, & prosequentibus, prout de more, & qui lecturus est primam lectionem, dicet: jube Domne benedicere. Qua completa unusquisque Imagini in medio Refectorii collocatæ caput prius inclinet, tum Superiori, statimque suo loco recumbat, nec edat, aut ad esum quicquam præparet, nisi dato à Superiore signo, & lectione inchoata. Inter comedendum perlegantur ab uno, vel pluribus saltem duæ lectiones (ne dum caro reficitur, mens cibo destituatur suo) quarum prior sit inviolabiliter sacræ Scripturæ, cujus loco festivis diebus, quibus prima lectio decantari solet, sermo, vel homilia, quæ in officio illius diei recitatur, inservire poterit; posterior verò erit, aut de vita & gestis Sancti, de quo festum agitur, aut alicujus libri spiritualis.

2. In tota mensa, præsertim verò dum legitur, silentium à fratribus servetur perpetuo, nec eorum quisquam quoquomodo strepere, aut susurrare audeat, sed ita modestè se gerere curet, qualem Religiosum decet. A mensa recedere nulli liceat, nisi prævia facultate, ac benedictione Superioris, qui præest, à quo, si loquendi detur facultas (quod non nisi raro, & ex rationabili causa fieri debet) colloqui ac discurrere poterunt, sed tum in verbis tum in ratione, ac modo loquendi modestiæ meminerit.

3. Expleta mensa, ac dato à Superiore signo, qui primam lectionem legit, alta voce proferat: Tu autem Domine miserere nobis. Illicò surgant omnes, respondendo, Deo gratias, & ordine quo supra in benedictione, dispositi agant Deo O. M. gratias; ut in Romano Breviario præscribitur, quibus peractis, manè post prandium intonante hebdomadario Antiphonam. Si iniquitates, omnes ad Ecclesiam bini, & devotè procedentes se conferant, recitantes Psalmum De Profundis pro defunctis benefactoribus: In cujus fine eadem Antiphona repetitur, & hebdomadarius

post solitas preces, & versiculos dicat orationem, Deus veniæ Largitor, & genuflexi eodem Ordine fundant ad Deum preces pro Superioris arbitrio, necquisquam inde recedat, nisi dato à Superiore signo. Qui autem in aliquo ex prædictis deliquerit, aut his omnibus ex negligentia non interierit, pro qualitate culpæ à Superiore corrigatur.

4. His verò diebus, quibus jejunatur, vesperè hora decenti pulsetur Refectorii campanula pro signo jentaculi, & convenientes omnes, ut supra hebdomadarius dicto benedicite, benedicendo dicat, Cænulam Dei servorum benedicat Christus Rex Angelorum. ℟. Amen. Recumbant ut supra. In fine dato à Superiore signo pro gratiarum actione, idem hebdomadarius dicat, Adjutorium nostrum &c. prosequendo prout de more.

5. Post hæc autem tam manè à prandio, quàm vesperè à Cœna in locum à Superiore designatum modestè se conferant, ubi unius horæ spario plùs, minusve Superioris arbitrio animi causa commorari poterunt, quousque silentii campanula pulsetur qua audita in proprium cubiculum quisque se retrahet, ut orationi, aut studio, aut alteri negotio, prout uniuscujusque munus exigit, diligenter incumbat.

Caput XIV.
De modo accusandi se, ac culpam dicendi.

1. Qui quavis de causa se se accusaturus est, & culpam dicturus in medio Refectorii genuflexus: initio mensæ publicè id præstare debet, curet autem hunc mortificationis actum talibus externis signis exercere, ut veram animi de commissa culpa contritionem præseferat.

2. Voce alta quidem, ut ab omnibus audiri possit, suum defectum erroremque aperiat, sed modestè ac humiliter, non se excusando, sed potius à Superiore, qui præest, pœnitentiam petendo, paratùsque sit, quamlibet pœnam ei imponendam prompto libentique animo subire & impositam hilari vultu sine ulla obmurmuratione exequi studeat: contrafacienti pœna inflicta duplicetur, & severius à Superiore puniatur.

Caput XV.
De Silentio.

1. Statutis horis, hac ratione silentium ab omnibus servandum est: nemo, nisi obiter, & perpaucis, vel de rebus necessariis loqui debet, præsertim in choro, Ecclesia, & Refectorio, & siquid in hujusmodi locis ex necessitate dicere occurrerit, brevissimè, & submissa voce dicatur.

2. Præcipuè autem silentii horæ erunt manè usque ad horas; à prandio post horam recreationis assignatam usque ad Vesperas, post Completorium usque ad cœnam, & à cœna post elapsam horam recreationis. Et generaliter cum Superioris jussu silentii campanula pulsabitur.

Cœterum omnes demissa voce, ut Religiosos decet, loquantur, nec ullus cum alio pertinaciter contendat, sed si interdum inter disputandum, aut de quavis re discurrendum: inter se dissenserint, eisque insit diversa sententia, rationes hinc inde non nisi modestè, amicè, & animo solum veritatis indagandæ afferantur, & in his doctiorem consulere, aut Superiorem adire, erit valde perutile. Inter Christianos Principes bella, contentionesve in colloquium inducere, quisque refugiat nec diversas nationes diverso prosequatur affectu, nec in cujusquam animo ulla sit propensio in alterutram partem factionis, quæ inter illos sit, ut in nonnullis solet accidere; sed de omnibus in Domino benè sentiant, benèque loquantur, si aliquando de iis loqui ex aliqua convenientia contigerit.

Caput XVI.
Nullam esse debere inter fratres habitus varietatem, ac dissentionem.

1. Habitus noster, nostrorumque Fratrum esse debet secundum usum nostræ Religionis, quo ad omnia, & in omnibus uniformis, è sæcularium habitu omninò alienus, nec in se ullam admittere debet, sive in substantia, sive in qualitate, & forma varietatem ac dissentionem. Præcipimus igitur, ut omnium tunica, Capucium, Biretum, pallium, seu cappa, aliàque externa indumenta, servata forma, & usu nostræ Congregationis sint ex eadem materia lanea, fulvi, seu leonati coloris, ita ut quantum fieri potest prædicta fratrum indumenta neque in substantia, neque in qualitate, præsertim verò in colore, & forma ullo modo inter se disconveniant, sed omnes omninò ejusdem coloris appareant, forma autem habitus sit. Ultima Tunica sit longa usque ad talos, & palmos 20. circiter latitudinis à pede habeat: Capucium ita formatum, ut

ut caput commodè induere queat, & usque ad cintulam sit longum: manicæ verò ipsius tunicæ sint unius circiter palmi latitudinis: cingula coriacea, & non aliter, singuli ferant.

2. Sub tunica verò nullus quovis genere indumenti utatur, nisi laneum sit, vel lineum, vel pelliceum, coloris aut albi, aut fulvi, seu leonati, aut nigri, aut alterius subobscuri, à nigro, à fulvo non multùm dissimilis; quod idem servari debet in tibialibus, & multò magis in manicis Thoracis, quæ, si commodè fieri potest, sint ex eadem materia, colore, & qualitate, ex qua tunica constat, vel certè ab ea non multum dissimili, ut nimirum indumentum seu habitus, qui perspicitur ejusdem coloris appareat, calcei verò non aperti sint, sed clausi, & nigri coloris.

3. Porro in omnibus, & singulis nostris Indumentis, & vestibus prohibemus omnia, & quæcumque ornamenta, cujuscunque generis sint, & quovis nomine nuncupetur, globuli verò, qui soli permittuntur prout de more, vel nigri, vel ejusdem coloris sint cum vestibus. Curent igitur Superiores, præsertim verò locales, ut quilibet ex nostris Fratribus cujuscunque gradus & conditionis existat, in suo vestitu omnia ornamenta, omnesque superfluitates, ac vanitates, ut nostræ Congregationis paupertatis statum decet, omninò & penitùs rejiciat. Transgressores pro qualitate culpæ graviter puniantur, & Priores, qui ut ab eorum subditis hoc inviolabiliter observetur, curare neglexerint, Prioratus privationem incurrant.

4. Fratres quicunque extra cellam, & per dormitoria sine habitu saltem imperfecto nunquam incedant. In Ecclesia verò, Choro, & Refectorio, alisque locis publicis Conventus non nisi cum integro habitu existant.

5. Extra Conventum, præsertim verò in civitatibus, Pallio seu cappa insuper uti debent, sed non nisi ad modum, & Consuetudinem nostræ Congregationis. Pallium verò ex panno & ut vulgò dicitur (cum bavero) solúm in Conventu conceditur, at extrà tantum ex urgenti necessitate, & etiam iter agentibus, quibus, ut habitu quoque breviore uti possint, servatis tamen, quæ supra dicta sunt, benignè indulgemus.

6. Denique fratres Laici, seu conversi vestiendi in futurum eodem prorsus habitu, sed ut à Clericis & Sacerdotibus aliqua ratione in hoc distinguantur, tam quoad tunicam (quam per palmum à planta pedis circiter distare volumus) quam quoad Capucium, breviore uti debent, scilicet quatuor digitis supra cintulam sub gravi pœna Superiorum arbitrio imponenda.

7. Quamvis autem perfecto statui Religionis longè convenientiùs esset, ut quilibet noster Conventus suis fratribus omnia, quæ eis pro vestitu necessaria sunt, subministraret, habita tamen ratione paupertatis nostræ Congregationis, ordinamus, ut quilibet Conventus, & prior localis eorum tot scuta monetæ pro vestiario cujuslibet Fratris professi unoquoque anno impendat, quod juxta solitum uniuscujusque Provinciæ impendi solent, dimidium prima Novembris, reliquum in Paschate Resurrectionis: Curent autem Patres Visitatores, ut Priores suis fratribus, dictum vestiarium ad unguem tribuant.

Caput XVII.

De modo cubandi, manendique in cubiculo.

1. Quisquis ex nostris in lecto cubet solus, nec unquam nisi ex urgentissima causa Superiori probanda associatus. Lectus tamen moderatus sit, ut nihil eorum, quæ necessaria sunt, desit, nihilque superflui contineat, sicut cubiculi cuiusque Fratris suppellex. Curet autem localis Superior, ut in quovis cubiculo tam quoad lectum, quàm quoad alia omnia, quæ necessaria videbuntur juxta nostræ Congregationis consuetudinem cuique subministrentur.

2. Præterea videat unusquisque, ut cubiculum suum mundum sit, illudque bis singulis hebdomadis, aut sæpius, si opus fuerit, scopis verrat, in cubiculo cuncta munda sint, ordinatèque disposita, ut Religiosum decet. Mundities enim cuique curæ esse debet, tum circa seipsos, tum circa alia omnia; quippe ad valetudinem, & ad ædificationem confert, cùm interiorem animi puritatem præseferat. Idcircò Superior fratrum cubicula cum Senioribus interdum visitabit, videatque, ne quis arma, libros, aut picturas lascivas, aut quicquam aliud Religiosis Viris minimè consonum apud se habeat, & contra eos, qui arma in cellis retinent, pœnas oppositas in Clem. Ne in agro de statu Monachorum, innovamus.

3. In cubiculum alterius nemo ingredi audeat, nisi ex generali aut speciali Superioris localis facultate, qui in hac re (maturâ consideratione præmissâ) prout ei expedire videbitur, vel quo ad omnes, vel quo ad aliquos, præsertim juvenes, aut concedat, aut negabit; illud autem inviolabilitet servetur, ut ingressurus alterius cubiculum, in quo sit aliquis noo prius ingredi præsumat, quàm post pulsum audiat, ingredere, & quamdiu unà intùs fuerint, tamdiu janua aperta sit, nisi forte à Superiore specialiter (habita ratione temporis loci, & præsertim personarum) aliter disponatur.

CAPUT XVIII.

Egressurus è Monasterio, & in Conversatione præsertim cum externis, qua ratione se gerere debeat.

1. FRatres à Monasterio egressuri (quod rarò esse debet, & ad summum bis in hebdomada, nisi forte necessitas urgeat) primum facultatem exeundi à Superiore humiliter petant, tum illa obtenta, ante illum genuflexi benedictionem, & Superior singulis socium, non petentis rogatu, sed pro sua voluntate destinare, & assignare debet, & neminem solum à monasterio exire permittat. At Juvenes Clericos rariùs, & non nisi cum Sacerdote associatos egredi concedat. Cùm quis in Monasterium revertitur, iterùm Superiorem adeat, benedictionem ab eo recepturus, cui etiam sui itineris rationem, & quid egerit, si inquirat, aperiat, necesse est; in transgressorem gravis pœna à Superiore illius arbitrio infligenda erit, cui etiam à fortioti subjacere intendimus, qui nec oculis demissis, nec cum modestia, ac humilitate Religiosa, cum maturitate gravitatèque conjuncta per civitatem, aut alia loca incedit.

Persimili ratione omnibus, & singulis nostris Fratribus sub iisdem pœnis præcipitur, ne extra monasterium sine gravi, urgentique causa, præcipuè in domibus Sæcularium, comedere præsumant, nisi expresse à Superiore illis fuerit concessum, qui tamen in eo concedendo cautior esse debet.

3. Consortium sæcularium tam in Conventu, quàm extra præsertim verò fœminarum, quantum fieri poterit, devitandum est, nec quisquam audeat sub quovis prætextu mulieres, vel in Ecclesia, vel in claustro, vel in aliis contiguis locis alluqui, cum eisque tractare sine Superioris expressa licentia; Extra Ecclesiam verò, seu Conventum non nisi præsente socio, vel in luco quo conspici possit; excipiendi tamen suot Confessarii, & Sacristæ, quibus ob animarum salutem, & Ecclesiæ utilitatem id permittitur, studeat verò unusquisque, ut quando ei cum sæcularibus agendum est, mudestè ac religiosè in omnibus ita se gerat, ejusque gestus, ac motus ubique, & semper tales sint, qui apud omnes ædificationem pariant, ut omnibus verbu, & exemplo prodesse possit.

CAPUT XIX.

De conscribendis, accipiendisque litteris, ac de querelis, & processibus fabricandis.

1. NUlli ex nostris Fratribus liceat litteras conscribere, aut conscriptas ad alios mittere, aut easdem ab aliis recipere, aut receptas legere, absque sui Superioris consensu, quem tamen facilè Superior, præsertim verò Sacerdotibus præstabit, & non nisi ex gravi, urgentique causa negabit. Idcircò curabit localis Superior, ut Conventus Procurator, aut alius ab eo designandus, omnes litteras à Fratribus suæ familiæ conscriptas ad Tabellarium defetat, ab eoque ad eosdem ab aliis missas, recipiat.

2. Si verò aliquem ad Superiores majores, aut ad Capitula litteras mittere, aut ab iisdem recipere contigerit, is à locali Superiore impediri nequaquam poterit. Illud autem unum commonere debet suos subditos Superior, ne quis eorum, quæ in proprio Conventu, & inter claustra secretò fiunt, per litteras aut alio modo externis, præcipue sæcularibus audeat revelare.

3. Nullus prætetea adeo temerarius existat, ut aliorum literas, & præcipue Superiorum quorumcumque, seu Officialium nostræ Congregationis aperire, occultare, scindere, aut quovis modo, & sub quovis prætextu manum, seu scripturam, aut sigillum falsificare præsumat. Et qui aliquid ex his commiserit, præter alias pœnas Superiorum arbitrio infligendas, privationem utriusque vocis per triennium incurret; & per annum cæteris omnibus sui ordinis, hoc est, si Sacerdos sit Sacerdotibus, si Clericus Clericis, si Laicus Laicis inferior existet. Liceat tamen Superiori etiam locali suorum subditorum litteras pro sua voluntate aperire.

4. Por-

4. Porrò si quis literas obscœnas, ignominiosas, aut sine nomine, aut quoquo modo alterius famam lædentes præscripsisse, aut ad id auxilium, consilium, aut favorem præstasse, vel in judicio aliquem falso accusasse, vel denique adversus aliquam personam sine Superioris facultate Processum fabricasse convincatur, in pœnas paulo ante dictas, & etiam Superiorum arbitrio, & ex Canonum statutis graviores se incurrisse noverit.

CAPUT XX.

De Vagis, seu Vagantibus, & Apostatis.

1. UT nostris Fratribus, tam in Religione, quàm extrà omnis tollatur occasio vagandi, præcipimus, ut nullus ex uno in alium Conventum, quantumvis proximum proficiscatur, sine sui Superioris facultate, & si sit subditus, Monasterium extra Diœcesim adire non poterit, nisi à Superioribus majoribus facultatem in scriptis obtinuerit, & qui aliter facere præsumpserit, in pœnas Superiorum arbitrio incidet. Priores verò, qui eos receperint, nec statim expulerint, aut in carcerem conjecerint, ab iisdem Superioribus corrigantur.

2. At verò si aliquis ex nostris Fratribus à loco, in quo à Superioribus de familia collocatus fuit, absque illorum licentia discedens, aut per varios Conventus nostræ Congregationis, aut per alia loca extra Congregationem divagetur, feverius, eorum tamen arbitrio corrigatur. Quod si infra octo dies circiter ad suum Conventum non redierit, jejunio in solo pane & aqua publicè in Refectorio qualibet feria quarta & sexta per mensem integrum puniatur. Eritque subditus, & inferior cunctis Fratribus sui Ordinis per sex menses; si iterum in idem reincidat, ei eadem pœna dupplicetur, addita etiam flagellatione publica super nudum ad Superioris beneplacitum. Et si iterùm tertiò in idem incurrerit, iterum dupplicetur pœna, & præterea activa, & passiva voce per triennium privetur. Et si incorrigibilis esse digno scatur, conjectus in carcerem jejuniis in solo pane & aqua, aliisque pœnis affligatur, ac maceretur, aut habitu nostro spoliatus à Congregatione propulsetur, servatis tamen servandis juxta decretum Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, Sanctissimi D. N. Urbani Papæ octavi jussu editum 21. Septembris M. DC. XXIV.

3. Romam petere sine Eminentissimi Protectoris, aut Generalis, seu Provincialis, ex causa communi totius Provinciæ facultate nulli liceat, qui contra fecerit activa & passiva voce biennio privatus existat ad præscriptum Decretor. Clem. VIII. neque locali Priori, aut Superiori à Conventu, cui præest abesse conceditur, nisi ex aliqua urgenti, & necessaria causa à Superioribus saltem post factum approbanda, & contravenientes graviter arbitrio eorundem Superiorum, puniatur.

4. Quisquis à nostra Congregatione apostataverit, ultra prædictas pœnas, erit ipso facto excommunicatus, & si pœnitentia ductus redierit, nequaquam poterit recipi, nisi quæ sequuntur, omninò serventur. Si Apostata intra mensem redierit à Provinciali suæ Provinciæ, seu à Priore, cui Provincialis id specialiter commiserit, poterit recipi, cum pœnis tamen pro vagis supra assignatis, aliisque Provincialis arbitrio. Si verò non redierit nisi elapso notabiliter mense à solo Generali, ejusque Vicario, aut à PP. Visitatoribus in actu visitationis, cum pœnis tamen ut supra poterit resumi. At si in sua Apostasia tres circiter annos expleverit, solum generale Capitulum poterit de eo disponere, & ad habitum recipere, cum pœnis tamen ùt infra ult. ut per integrum mensem in publico Refectorio dicendo culpam super nodum flagelletur, recitando Psalmum Miserere mei &c. & per sex menses qualibet feria 6. humi comedet in pane & aqua eritque toto illo tempore inferior cunctis Fratribus sui gradus, & tempus apostasiæ nullatenùs ei, quo ad habitus antiquitatem, computetur. Pro secunda vice, si iterùm apostataverit, tota hæc pœna illi duplicabitur, & pro tertia ultra prædictas pœnas in formalem carcerem per tres annos conjiciatur, & voce activa & passiva perpetuo privetur, & si incorrigibilis dignoscitur, expellatur, ut supra servata forma Decretorum Sanctissimi D. N. de Apostatis, & ejectis.

CAPUT XXI.

De excipiendis hospitibus, ac peregrinis.

1. UT Fratres hospites, seu Peregrini, quos varias ob causas de uno Conventu ad alium transmigrare sæpè contingit, benigne & cum charitate excipiantur, omnibus & singulis Prioribus, seu Superioribus localibus nostrorum Conventuum ordinamus, ac expressè præ-

præcipimus, ut pro hujusmodi hospitibus in quolibet Conventu unum hospitium, seu plura prout oportere cognoverint, constituant, ac deputent eum omnibus requisitis, ac necessariis ad hujusmodi hospites recipiendos.

2. Ad hospitii curam eligat Superior unum aliquem, vel plures, humilem, & charitate plenum, cui totam suppellectilem hospitii per inventarium tradat, quam ipse hospitii custos diligenter servare debet, ut deindè à Superiore requisitus, possit de omnibus rebus sibi traditis rationem reddere: insuper prædictus custos diligenter animadvertat, ne aliquid eorum, quæ hospitibus inservire debent, ex hospitio extrahatur, aut in alium usum, quam ipsorum hospitum convertatur. In quo Superiores maxime invigilare debent: Hospitii custodis præterea munus erit hospites benignè excipere, & iis diligenter, & maxima charitate cuncta necessaria subministrare.

3. In iis verò locis, in quibus nostræ Congregationis extant monasteria, nulli ex nostris Fratribus, etiam advenis extra illa degere, & pernoctare liceat, neque in domo propinquorum, & Transgressor Superioris arbitrio punietur.

4. Postremò cavere debent nostrorum locorum Superiores, ne viri facinorosi, fugitivi, & contumaces in eis ulla ratione recipiantur, nisi fortè evidens mortis periculum immineret, aut alia necessitas urgeret.

Caput XXII.

De locis ad literarum studia designatis.

1. UT ignorantia, quæ vitiorum parens est, & radix, à nostra Congregatione, ejusque Alumnis, quantum fieri potest, arceatur, ac propulsetur, ejusdem Superioribus districtè præcipimus, ut in utraque Provincia Juvenibus ita addiscendi commoditatem impartiantur, ut iis universa, quæ ad literarum studia necessaria sunt, per ipsos subministrentur. Volumus igitur, ut in quovis Monasterio, ubi Novitiatus existit pro Novitiis, cæterisque adolescentibus humanitatis, Rhetoricæque Præceptor constituatur, ut his facultatibus benè instructi ad altiora studia se disponant ac præparent.

2. Statuimus, ut pro Provincia Anconitana, in Conventu Sanctæ Mariæ gratiarum Neapolis unus, vel duo Lectores Philosophiæ pro studentium opportunitate deputentur, & Romæ in Monasterio Sancti Honuphrii unus, vel duo lectores sacræ Theologiæ, quorum alter manè, alter verò Vesperè legat, pro Provincia verò Tarvisina Venetiis in Conventu Sancti Sebastiani unus, vel duo Lectores Philosophiæ, & Patavii in Conventu Sanctæ Mariæ Magdalenæ saltem unus Lector sacræ Theologiæ. Præter hæc autem loca designata, si in aliquibus aliis nostræ Congregationis Conventibus Logicæ & Philosophiæ Lectores constituere, aut pro nostris Juvenibus, qui ibi adessent, aut etiam pro publica aliorum, & præcipuè benefactorum commoditate expedire videretur, ut Capitulum Generale, aut Generalis ipse, ejusve Vicarius providere valeat, ultrò concedimus.

3. Si quemquam ex nostris studentibus studendi causa ab una Provincia ad aliam transmitti contigerit, non nisi per generale Capitulum, aut per ipsum Generalem id fieri poterit subministratis tamen à propria Provincia Monasterio alterius cui assignatur, omnibus pro ejus victu, & vestitu expensis.

4. Ad Logicæ & Philosophiæ studia nullus omnino promoveatur, qui in humanis litteris non fuerit optimè versatus, ac prævio diligenti, & rigoroso examine idoneus repertus. In fine quoque cujuslibet anni studii fieri debet de unoquoque studente rigorosum examen, quem in eo profecisse viderint, studia prosequi permittant, quem verò ad studia inhabilem, ac omnino ineptum repererint, à studio removeant, aliisque rebus applicent. Idque multò magis in fine cursus Philosophici servetur, ne ad sacræ Theologiæ studia promoveantur inhabiles.

5. Denique nullus notabiliter discolus, vitiosus, aut inhonestæ conversationis suspectus ad studia admittatur, & si fuerit admissus, removeatur (nisi fortè P. Generalis cum eo ob spem futuræ emendationis benignè cum voto Provincialis disponere dignetur) sed ii solùm ad studia applicentur, aut ea prosequi permittantur, qui fuerint humiles, dociles, ac timoratæ conscientiæ.

Caput XXIII.

De Philosophiæ, ac Scholastica Theologiæ Lectoribus.

1. LEctores Philosophiæ, ac sacræ Theologiæ, & multò magis eorum Discipuli, locali Superiori in omnibus subjaceant, eique ut alii fratres parere debent,

bent, quippe studia regulari observantiæ nostri instituti, ad eamque conservandam, & augendam, non contrà inservire debent. Ideòque à choro iis tantum diebus, quibus eos legere contigerit, immunes erunt.

2. Studia nostra, tum Philosophica, tum Theologica post Pascha Resurrectionis sument exordium, & Lectores ab eo tempore usque ad finem per legent quotidiè duas lectiones, præterquam diebus festis, & vacationis. Dies autem vacationis hi erunt, dies Jovis, aut alius præfecti judicio in qualibet hebdomada. Item à festo Assumptionis B. Virginis, usque ad festum Sancti Patris nostri Hieronymi, & à Vigilia Nativitatis Domini usque ad primam Januarii, à Dominica sexagesimæ, ad Cineres, & à feria quarta hebdomadæ sanctæ ad Pascha Resurrectionis.

3. Lectores Philosophiæ trium annorum spatio cursum philosophicum absolvere debent, sic etiam Lectores Theologiæ sequendo methodum Angelici Doctoris, ita ut alter Lector, si duo sint, primam & secundam partem, alter verò tertiam trium annorum spatio absolvat, & qui ex illis uno triennio primam & secundam partem legerit, sequenti tertiam perlegat, & econtrà: uterque quolibet anno materias à studiorum Præfecto determinatas percurret.

4. Curabunt præterea Lectores, ut eorum discipuli quotidianis repetitionibus, conclusionibus tum privatis tum publicis, aliisque scholasticis congressibus, prout ipsis, & studiorum Præfecto expedire videbitur, se exerceant.

5. Lectorum electio, seu creatio à solo Capitulo generali fieri debet, quod si eam extra Capitulum fieri contigerit, non nisi à P. Generali, vel ejus Vicario poterit, quod idem servabitur de electione Præfecti studiorum; Volumus autem ut singulis annis lectoribus Philosophiæ in locis supra designatis viginti scuta, & Lectoribus Theologiæ viginti quinque pro libris emendis solvantur.

CAPUT XXIV.

De Philosophiæ, & sacræ Theologiæ discipulis.

1. OMnes studentes sive Philosophiæ, sive Theologiæ non modò quotidie singulis lectionibus interesse debent, verùm etiam repetitiones, conclusiones, Academias, & quodlibet scholasticum exercitium frequentare, in eisque omni studiose exercere; & nullus omninò ab iis, & à quovis illorum se immunem facere audeat, nisi fortè gravi, urgentique ratione. Qui aliquid horum omiserit, pro prima vice publicè in Refectorio suam culpam dicendo humi comedet, pro secunda verò eadem pœna illi duplicabitur, & pro tertia Panem & Aquam in publico Refectorio humi comedat. Quod si ulterius in eundem errorem incidat, & esse contumax dignoscatur, flagellationis, vel carceris pœna arbitrio Superioris puniatur, & tandem etiam studio privetur.

2. Qui verò in aliqm gravem errorem quoad mores inciderit, pro criminis qualitate puniatur, sed si bis vel ter admonitus incorrigibilis repertus fuerit, ultra alias pœnas, erit quoque è studio expellendus.

CAPUT XXV.

De Studiorum Præfecto.

1. UT, quæ de studio à nobis determinata sunt, executioni ab omnibus mandentur, præcipimus, ut in quolibet studio, vel saltem in unaquaque Provincia Præfectus studiorum eligatur, ac deputetur, qui sit vel doctus, & discretus ac prudens, cujus munus erit, totius studii curam gerere, horam legendi, disputandi, ac alia, quæ ad studium spectant, peragendi determinare. Nec non etiam invigilare, ut Lectores suo muneri satisfaciant, & ne studentes tempus conterant, & quæ pro studio determinata sunt inviolabiliter observentur. In omnibus tamen semper localem Superiorem consulat pro bono pacis.

2. Poterit etiam studiorum Perfectus, quando opus fuerit uni vel pluribus suas vices committere, ut semper vel ipse, vel alius ejus loco studio in locis assignatis assistere possit.

CAPUT XXVI.

De Lectione Moralis Theologiæ.

1. IN quolibet Conventu, præsertim verò in celebrioribus, ac etiam ubi Juvenes ad altiora studia inhabiles degunt, deputetur aliquis idoneus, electione Prioris localis, qui saltem semel in hebdomada moralem Theologiam, seu casus conscientiæ publicè legat, cui lectioni omnes Fratres, nemine penitus ex-

excepto, intersint, Prior autem, qui hoc observare neglexerit, statim officio privetur.

CAPUT XXVII.

De promovendis ad Ordines.

1. Nullus in nostra Congregatione ad Ordines etiam minores promoveatur, nisi sit lo ea professus. Ad Sacros verò nisi in eadem saltem tres annos permanserit, super quod tempus solus Generalis dispensare poterit.

3. Præterea nemo etiam ad quemvis Ordinem suscipiendum admittatur, nisi prius per Monasterii Fratres, ubi degit, quoad mores habilis censeatur, per Vota secreta: postea à tribus Examinatoribus in Capitulo Generali eligen si præsentes fuerint, sin minùs ab uno ex ipsis Examinatoribus & aliis duobus in locum absentium à Generali, vel Provinciali ad hunc effectum deputandis, prævio diligenti examine per secreta suffragia idoneus approbetur, à quo etiam suæ sufficientiæ fidem habeat, ut Superiori, à quo facultatem, & literas dimissoriales habere debet, eam ostendat. Sine quibus literis, qui Ordinem suscipere præsumpserit, præter ab Ordine suscepto, suspensionem, quam ipso facto incurret, voce activa & passiva per quinquennium privabitur, eritque eo tempore cunctis Fratribus sui gradus inferior, quam pœnam quoad privationem incurret quoque, qui hujusmodi licentiam ad Ordines absque facultate alicui tribuerct.

3. Porro facultatem concedendi dimissorias Regularibus suis subditis, tam ad primam tonsuram, quam ad Minores & Sacros Ordines Generalis in tota Congeregatione habebit, Provincialis in sua Provincia tantum.

4. Ad eosdem etiam spectabit nostris Fratribus concedere, ut pro sæcularium Confessionibus audiendis coram locorum Ordinariis se præsentent, quæ tamen licentia nunquam ab iis concedenda est, nisi habita fidei sufficientiæ ab examinatoribus, ùt supra. Si autem quis fine Superioris facultate Ordinario loci se præsentare auderet, esset gravissimè puniendus, & à Confessionibus audiendis omninò suspendendus.

5. Denique facultatem concionandi, aut aliquam scientiam publicè profitendi extra Generale Capitulum, solus Generalis, aut ejus Vicarius concedere poterit, prævio tamen rigoroso examine, ùt supra mandavimus, nisi fortè eorum sufficientia esset illis aliundè evidenter nota.

CAUPT XXVIII.

Qua ratione infirmis serviendum sit.

1. Cum veri Religiosi munus sit, proximi necessitatibus consulere, idcircò unusquisque nostrûm, ut quantum poterit infirmis Fratribus nostræ Congregationis tam in corporalibus, quàm in Spiritualibus subveniat, ac opem ferat, omni studio curare debebit, cuilibet ergò Priori, seu Superiori locali expressè præcipimus, ut omnibus & singulis tam suæ familiæ, & Conventus, quàm alterius ægrotis cuncta necessaria subministrari, & omnia medicamenta, quæ eorum infirmitatibus Medicorum judicio opportuna videbuntur, adhiberi studeant.

2. Hac de causa Vir erit à Superiore prædicto eligendus, ac infirmorum curæ deputandus, qui discretus sit, maximæque charitatis, cui et am socium, si opus fuerit, assignabit. Cujus partes erunt, infirmis assistere, Medicum vocare, eisque cibos, ac universa, quæ à Medico ordinata sunt, providere; Videat autem, ne in his ipsius ægroti cupiditati indulgeat, cùm persæpe hi noxia appetere consuescant, sed solùm Medicorum consilio in stat, neque ulli expensæ parcat. Verùm si alienæ familiæ, & alterius Conventus Frater infirmus diuturna valerudine languescere, & dispendium pro eo impensum esset magni momenti, ejus Prior omnes expensas, totùmque damnum illi monasterio ab ægroto illatam resarcire teneatur.

3. Debebit etiam Prior, & successivè alii quoque Fratres, sæpè ægrotum visitare, eùmque colloquiis spiritualibus quandoque consolari, & admonitus à Medicis de ægroti periculo curet, ut status, in quo positus est, ei innotescat, ut ad vicinam mortem, ut verus Christi servus, se disponendo, propriæ saluti consulat, & ad meliorem vitam sibi aditum patefaciat. Invigilet præterea Superior, ut cuilibet infirmo Ecclesiæ Sacramenta suo loco & tempore, prout status ejus exigit conferantur, & in articulo mortis posito, semper adsit saltem unus Sacerdos cum aliis, ut solitis precibus, & orationibus ejus animam Deo commendent, ac extremè laboranti, ac summoperè indigenti præstent auxilium, vita verò functus Frater secundum

dum nostræ Congregationis consuetudinem lavetur, habitu nostro induatur, & eo ad Ecclesiam delato, serventur omnia, quæ in Rituali Pauli V. præcipiuntur, & quæ supra de suffragiis pro defunctis decrevimus.

CAPUT XXIX.

Quid agendum erga Senes, & impotentes.

1. HOc idem pietatis officium, de quo paulò antè diximus, erit quoque erga Senes debiles, ac malè affectos exercendum, ac præstandum, iis enim maximè indulgendum est; nec propterea qui robustiores sunt, conqueri debent, sed potius divinæ bonitati gratias referre, quod eorum firma valetudo nihil exigat peculiare.

2. Patres verò Definitores Generalis Capituli diligenter advertant, ut Senes prædicti, ac impotentes in locis commodis collocentur, cum quibus locales Priores discreti esse debent, singulorum vires, ac merita ponderando; neque enim hi, præsertim si annos quadraginta in Congregatione jugum portaverint, quotidianis laboribus, ut alii juvenes alligari debent.

CAPUT XXX.

De percussione, furto, aliisque delictis.

1. QUicunque ex nostris Fratribus in alterum verba injuriosa, detractoria, turpia, & obscæna injiciat, quæ sine sui rubore audire non possint, (quod Religiosum summoperè dedecet) tam gravis pœna à Superiore ei imponatur, ut delinquenti ad correctionem, & supplicium, aliis verò ad exemplum inserviat, præsertim si adversus Superiores, vel Principes tam Ecclesiasticos quàm sæculares obmurmuraverit.

2. At verò si ex verbis ad facta deveniatur, ut sequatur inter Fratres aliqua percussio, juxta qualitatem percussionis delinquenti imponatur pœna. Et quia percussio esse potest levis, gravis, & gravissima, si percussio levis sit, percutiens humi comedet in solo pane & aqua, ac loco carceris in cella detineatur, prout Superiori videbitur, percussus quoque, si occasionem dederit, non leviter puniatur. Si percussio sit gravis cum sanguinis effusione, Reus in formali carcere ad Superioris beneplacitum detentus, utraque voce per annum privetur, flagelletúrque publicè in Refectorio super nudum qualibet 4ta, & 6ta feria unius mensis, ac iisdem diebus in solo pane & aqua comedet. In his autem casibus semper habenda est ratio personæ offensæ, & offendentis, cum ex hujus vilitate, & illius dignitate crescat offensa. Quare si percussus fuerit Sacerdos, percutiens verò clericus, vel laicus, delinquenti prædicta pœna erit à Superiore augenda. At si percussus fuerit Superior, & in Congregatione Prælatus, Reus præter dictas pœnas activa & passiva voce perpetuo privatus existat, nec unquam dispensari posse intendimus, nisi in pleno Capitulo generali, quibus etiam subjacere debent complices. Denique si percussio gravissima sit, & enormis, ultrà prædictas pœnas ex Sac. canonum, & legum præscripto puniendum relinquimus, ut infra n. 4.

3. Si aliquis Fratrum, sive de rebus Monasterii, sive aliorum, notabile furtum commisisse convincatur, pro prima vice in carcerem conjectus, totum ablatum restituere cogatur, & Prior existens, Prioratus, nec non vocis activæ & passivæ perpetuam privationem incurrat. Si verò non fuerit Prior, voce activa & passiva ad Sexennium privetur, humique comedet publicè in Refectorio in solo pane & aqua qualibet sexta feria per integrum annum. Pro secunda verò vice si in idem recidat, præter dictas pœnas perpetuò voce activa & passiva privatus existat, inhabilisque omninò sit ad omnes dignitates, & officia Congregationis, sive sit Prior sive secùs. Eandem pœnam incurrant Priores, seu Superiores locorum, qui in eorum bonis administrandis dolosè, & scienter fraudem notabilem commiserit, cum laicis verò hæc pœnâ in carceres, jejunia, flagellationes, & similia Superiorum arbitrio commutetur. Quod si furtum de re levi sit, Reus ab ipso Superiore admonitus, corrigatur.

4. Cæterùm si aliquis ex nostris Fratribus, cujuscunque gradus, & conditionis sit in aliis gravioribus & enormiis flagitiis implicatus compertus fuerit, juris ordine servato juxta Sacrorum canonum dispositionem puniatur.

CAPUT XXXI.

De Janitore, ejusque officio.

1. IN quolibet nostro conventu curet Prior, ut ad illius Januæ custodiam, ali-

aliquis ex Fratribus pro janitore constituatur, ac deputetur, qui sit prudens, humilis, vitæque exemplaris, ne quis Monasterium ingrediatur, si prius ab eo non fuerit introductus. Hujus munus erit quovis tempore conventus portas clausas tenere, & portæ communi assiduè, & diligenter assistere, & petentibus, seu pulsantibus ita modestè, & humaniter respondere, ut omnibus pro suis viribus satisfaciat, si aliquem ex Fratribus vocare debet, diligenter attendat, ne ex levi causa eum vocet, si in Choro aut Refectorio existat, aut si à Superiore occupatus in aliquo negotio detineatur. Secùs verò si vel ex gravi, urgentique causa, vel ad instantiam alicujus Prælati seu magni viri esset vocandus.

2. In Monasterium neminem introducat, nisi de illius Superioris licentia; curet etiam ne nostra claustra ingrediantur mulieres, nisi in casibus à jure, & ex constitutionibus & concessionibus Apostolicis permissis.

Caput XXXII.

De Sacrista, ejusque officio.

1. UT in omnibus nostræ Congregationis Conventibus res, & bona Ecclesiæ rectè administrentur, & divinus cultus in Dei Gloriam magis magisque crescat, & augeatur, localis Superior ad Ecclesiam gubernandam, ac custodiendam virum eligat Sacerdotem, aut alium virtutibus ornatum, diligentem vitæque (si fieri potest) inculpabilis, eique totius Ecclesiæ, ac Sacristiæ, omniumque ornamentorum curam demandabit, & inventarium diligenter conficiatur.

2. Illud autem imprimis summoperè curabit Sacrista, ut Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum eo decore, ac reverentia, qua decet, in Ecclesia asservetur, ut ante illud lampades continuò colluceant, & octavo quoque die Sacratissimæ species renoventur.

3. Curabit præterea, ut tota Ecclesia, ejusque Capellæ diligenter mundentur; res quæcunque ad Ecclesiam spectantes suis locis reponantur, ac collocentur. Altaria sint benè disposita, ac ornata, nihil desit eorum, quæ pro Dei cultu necessaria videbuntur, quantum per nostræ Congregationis paupertatem licebit.

4. Illud quoque diligentissimè advertet, ut Sacra quotidiè in Ecclesia ordinatè peragantur, ut in Rubricis Missalis Romani præscribitur; ut insuper legata, & Missarum onera, quæ in tabella descripta, ac adnotata perspici debent, diligentissimè, ac exactè adimpleantur quod idem de Missis quotidianis præstare debet. De quo servanda erit Bulla S. D. N. Urbani Papæ octavi de celebratione Missarum, & in hac re non modo locales Priores, verùm etiam PP. Visitatores diligenter animadvertant, & quem Sacristam in his culpabilem reperierint, pro qualitate culpæ irremissibiliter corrigant.

Caput XXXIII.

Qua ratione cujusque Conventus suppellex præcipuéque libri custodiendi sint.

1. TOta Supellex cujusque Conventus, ac domus nostræ Congregationis, cujusque conditionis, ac qualitatis sit, omni cura, omnique studio conservari, ac custodiri debet, & hoc Priori locali maximæ curæ esse debet: Primo igitur totam suppellectilem in loco, seu locis ad hunc effectum accomodatis, collocari curabit. Ad ejus custodiam personam de assignabit, cujus opera ita diligenter asservetur, ut nec corrumpi, aut quoquomodo devastari, nec ulla ratione alienari patiatur. Erit igitur custodi tota suppellex per inventarium tradenda, ac assignanda, ut si ex ea aliquid desit, teneatur de illo rationem reddere, & de ejus negligentia possit jure puniri.

2. Nulli verò cujusque qualitatis sit, de prædicta suppellectili conventus, etiam si sit ejus custos, sine localis Superioris licentia cuivis extraneo commodare liceat, hac de causa res quæcumque aliquo certo signo erunt adnotandæ, ut ad tale Monasterium spectare dignoscatur.

3. Quæ hactenus dicta sunt, majori studio circa libros cujuscunque Conventus valdè observanda erunt. Eligatur ergo locus pro libris conservandis valde opportunus. In quo libri omnes, ac singuli ita ordinatè collocentur, ac disponantur, ut statim cuilibet volenti occurrere possit. Bibliothecarius sit vel idoneus, qui libros omni cura custodit, & ab eis pulverem sæpè excutiat. In Bibliotheca libros perlegere cuilibet concedatur, at ex ea librum quemcunque extrahere sine Superioris facultate, & inscio Bibliothecario nulli licebit, quæ tamen non nisi ex urgenti ratione concedi debet. Porro qui Superioris permissu è Bibliotheca librum aliquem extrahet,

manu

manu sua de eo notulam faciet custodi tradendam, qui eam usque ad libri redditum servabit, propptereaque existat in Bibliotheca omnium ac singulorum librorum Catalogus. Et hortantur Priores præsertim Domorum, in quibus extant studia ad libros tum Philosophiæ, tum Theologiæ, ac Sacrarum literarum persæpè emendos, ut commodiùs studentes studiis vacare possint. Priores autem, ne libri, aut alia Monasterii bona alienentur, omninò provideant, adhibitis etiam censuris, si eis id expedire videbitur, quod si hæc, quæ diximus Priores, observare neglexerint, à PP. Visitatoribus, sicut & transgressores, vel ab iisdem, vel ab ipso Priore gravissimis pœnis afficiantur.

Caput XXXIV.

Nullum Priorem, aut Superiorem posse alienare, permutare, locare, aut fabricare absque Capituli, aut PP. Visitatorum facultate.

1. Ut nostrorum Conventuum redditus, ac bona rectè administrentur, & augeantur, statuimus, nullum Priorem, aut alium nostræ Congregationis quævis bona stabilia ad eosdem Conventus, seu Congregationem, quoquomodo spectantia vendere, alienare, permutare, supra triennium locare, aut oppignorare posse, nisi assensu Apostolico impetrato, ac servata forma Decreti Sacræ Congreg. Concil. Trid. jussu S. D. N. Urbani Papæ Octavi editi sub die septima Septembris. 1624. sub pœnis in eodem decreto contentis. Si igitur aliquam ex prædictis rebus fieri contigerit, post discussionem factam in Capitulo locali, si alienatio approbabitur, erit plenè informandum Capitulum Generale, aut PP. Visitatores, à quibus facultas, & licentia in scriptis obtineri debet, sine qua si quis aliquam ex prædictis rebus tractandam proponeret, nulla ei fides habeatur; pecunia autem, quæ investiri debet, nullatenus à Priore seu locali Superiore, aut quovis alio apud se quoquomodo detineri possit, sed statim penes Sacrum Montem Pietatis, vel Personam fide, & facultatibus idoneam deponatur, inde non amovenda, nisi ad effectum investiendi. Prior autem vel alius, qui absque discussione Capituli localis, & licentia Capituli Generalis, aut Visitatorum, alienationes hujusmodi facere præsumpserit, vel pecuniam ut supra non deposuerit, præter contractus nullitatem, utraque voce per triennium privatus existat, & nummos inde receptos restituere à Superioribus cogatur.

2. Bona quoque Mobilia Monasterii nullatenus à Prioribus vendi poterunt, aut alienari absque Capituli ejusdem Monasterii, aut PP. Visitatorum consensu, sicut etiam nec fruges vendere licebit absque scientia, & consensu Vicarii, ac tertii localis.

3. Præcipimus præterea Sacrorum canonum, & Summorum Pontificum Constitutionibus inhærentes, nullum Priorem, aut Superiorem posse cedere, aut cedere facere plantas, & arbores virentes, & fructiferas absque prædictorum Patrum licentia in scriptis.

4. Nulli etiam ex localibus Superioribus & Prioribus liceat ædificium, seu fabricam alicujus momenti construere, aut constructas demolire, nisi de Peritorum consilio, & habita à Superioribus facultate. Delinquentibus in his gravis pœna Superiorum arbitrio imponenda erit, etiam privationis officii.

Caput XXXV.

Quomodo rationes accepti, & expensi cujusque Conventus à Priore adnotari, & perscribi debeant.

1. Prior, seu Superior quicunque localis uniuscujusque Conventus maxima uti debet diligentia, ut adnotentur, & perscribantur sui conventus accepti & expensi rationes, & computa, servata forma Decretorum fel. rec. Clem. 8. ad regularium reformationem editorum n. 12. primò igitur liber habeatur in quo accuratè, diligenter, ac distinctè omnes redditus, omnèsque expensæ, sive certæ sint, sive incertæ, quæ in dies fiunt adnotari, & perscribi debeant, qui liber propterea vulgò (giornale) dicitur. Præterea in alio adnotari debeant totum frumentum, aliæque segetes, Vinum, & Oleum, quæ idem Conventus annuatim habuerit, & ex adverso in eodem libro horum omnium exitus, ut illorum tam accepti, quàm expensi rationes statim appareant.

2. Et ut ullam committendi fraudem omnis tollatur occasio, volumus, & præcipimus, ut Vicarius, & tertius Monasterii rationes, & computa accepti & expensi in supradicto libro adnotata, quem sub Prioratus amissionis pœna singulis diebus Dominicis non impeditis, alias

aliàs die sequenti, in Refectorio publicè perlegi, prout de more decernimus, altero quoque mense diligenter perlegant, attenteque considerant, & recta, ac justa reperta manu propria subscribant, quod etiam observare debent de alio libello, in quo rationes accepti, & expensi, frumenti, vini, olei, aliorumque segetum sunt adnotatæ; erit enim in quolibet conventu ab illius Fratribus aliquis Professus per vota secreta, prout de more eligendus, qui tertius domus nuncupari solet; is igitur unà cum Vicario, quæ dicta sunt, diligenter præstabit. Insuper Patres Visitatores in actu Visitationis idem præstabunt, nimirum libros prædictos diligenter perlegent, ac justos repertos propria manu subscribent.

3. Teneantur præterea omnes Priores, seu Superiores locales uniuscujusque Conventus summam rationum, seu computorum in pagina, seu folio descriptam, & adnotatam manu propria Visitatorum subscriptam, ad Generale Capitulum deferre, & præterea in alio, seu eodem folio, separatim tamen summam redditum, & expensarum, quæ post actum Visitationis fient à Vicario & tertio Conventus subscriptam, ut hujusmodi summæ à Patribus Correctoribus in Generali Capitulo possint videri, & recognosci. Qui autem prædictas summas non deferret, ingressu Capituli Generalis, & voce activa & passiva esset omninò privandus, sicut etiam in eandem pœnam incurreret, si quis sine urgenti ratione solo animi impetu prædictos libros, aut folium Prioris nollet subscribere.

4. Præcipimus præterea omnibus & singulis Prioribus seu Superioribus localibus nostrorum Conventuum, ut profecturi ad Generale Capitulum prædictos libros rationum accepti & expensi omnino in eisdem Conventibus relinquere, ac præsente Discreto, Vicario, aut alteri, qui Superior remaneat sub iisdem pœnis tradere teneantur, ac ad dictum Capitulum Generale fidem dictæ traditionis, aut consignationis deferre volumus, aliàscè Capitulo expellantur.

5. Fiat quoque in quolibet conventu nostræ Congregationis in aliquo libro inventarium manu Prioris, Vicarii, & tertii firmatum, & subscriptum totius suppellectilis, omniumque bonorum mobilium ipsius Conventus & Ecclesiæ ubicunque existentium, sive in ipso Conventu, & Ecclesia, sive extra in Domibus, & locis seu possessionibus ipsius, & quoquo modo ad ipsum Conventum, & Ecclesiam pertinentium; quem inventariorum librum volumus in quovis Monasterio perpetuò asservari, in quo etiam inventario quolibet triennio debent diligenter adnotari, quæ desunt, & quæ adduntur, ac de novo fiunt, cujus etiam copia ad Generale Capitulum deferenda erit.

6. Quid autem debeat Prior pro victu familiæ sui Conventus in illo relinquere, & quam quantitatem vini, olei, frumenti, & similium, quidve aliud ab eo præstandum sit, Capituli Generalis, seu Superiorum arbitrio definiendum relinquimus.

Caput XXXVI.

Cujus qualitatis, & conditionis esse debeant nostræ Congregationis Superiores.

1. Cum certum sit perfectum Religionis statum in Superioribus, qui eam regunt, maximè fundari, & ex iis uberiores fructus, qui in animis Religiosorum redundare solent, magna ex parte dependere. Idcirco omnes in Domino hortamur, ac districtè præcipimus, ut pro Superioribus in nostra Congregatione eligantur Patres, qui non modo scientia, probitate, optimisque qualitatibus præditi sint, verum etiam, qui morum integritate & præsertim prudentia in rebus agendis maximè commendentur talèsque sint, ut onus, ac labores, quos Superioritates secum deferunt, subire ac sustinere, gregemque à Christo Domino sibi commissum non modò verbis, verum etiam exemplis depascere valeant.

2. Hæc maximè locum habere debent in Generalis electione, cui totius Congregationis cura, & regimen incumbit. Quamobrem non eligatur ad Generalatus dignitatem, qui annos circiter viginti quinque minimè interruptos in nostra Congregatione non permanserit, in eâque saltem Prior localis non extiterit.

3. Provincialis pro unaquaque Provincia eligendus prædictis qualitatibus, & Conditionibus carere nequaquam debet, hic etiam in Congregatione saltem Prior extitisse, in eâque per annos circiter viginti non interruptos permansisse debet.

4. Prio-

4. Priores verò, qui pro Monasteriorum cura deputandi sunt, ejusmodi integritatis sint necesse est; ut non solùm nostri instituti Regulas, & Constitutiones observare consueverint, sed etiam omni studio sint invigilaturi, ut quæ in illis de jejunio, oratione, silentio, aliisque Spiritualibus exercitiis piè, & prudentes sancita sunt, universa ab eorum subditis, pro quibus sunt rationem reddituri, ad unguem observentur. Non eligantur nisi Sacerdotes sint, & in Congregatione annos decem circiter continuatos permanserint. Quod idem observandum erit in electione Priorum titularium, aliorumque Conventuum Superiorum, quovis nomine nuncupentur.

5. Electio quoque Vicarii cujusque Conventus diligenter attendenda est, hi enim cum Priori ipsi locali veluti socii, & coadjutores in rebus Monasterii administrandis, & præsertim in iis, quæ ad Ecclesiæ, & chori servitium spectant, exequendis dati sint ea prudentia, ac vigilantia, eáque morum integritate prædıti sint, necesse est, ut in Prioris absentia ejus munus adimplere, totiùsque Conventus tum in Spiritualibus, tum in temporalibus curam, & regimen gerere valeant. Sit igitur Vicarius, qui eligitur, Sacerdos, & saltem annos octo continuatos in Congregatione perstiterit. Porro nullus in alicujus Conventus Vicarium, seu alium officialem eligendus erit, qui ejusdem Conventus Priori, aut Superiori aliquo consanguinitatis gradu conjunctus existat.

C A P U T XXXVII.

De Procuratore Generali.

1. CUm Procuratoris Generalis nostri Ordinis præcipuum munus sit in Romana curia, ad omnes nostræ Congregationis causas peragendas, residere, easque coram quovis Judice, magnisque Principibus tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus omni studio, & pro viribus tueri. Ad hoc munus, & dignitatem à Superioribus erit eligendus Pater, qui summæ probitatis, ac integritatis, & aptitudinis sit, & cujus prudentia in rebus agendis maximè commendetur, fueritque saltem in nostra Religione Prioratus dignitate perfunctus.

2. A. PP. Definitoribus utriusque Provinciæ amplum Mandatum eorum manu firmatum, ac sigilli Religionis impressione munitum, nec non per publicum Notarium approbatum ei constituatur, & fiat, ut nimirum coram quocunque Judice, & tribunali juridicè esse possit.

3. Præfatus Procurator Generalis in omnibus Capitulis sive Generalibus, sive Provincialibus utramque vocem habebit: hunc si Roma discedere contigerit, volumus eum posse suo loco alium substituere, præcedente consensu Generalis, si ad longum tempus, Provincialis si ad breve.

4. Si autem Procurator Generalis in officio suo graviter deliquerit, à P. Generali unà cum utriusque Provinciæ Provincialibus judicetur, & si necesse sit deponatur.

C A P U T XXXVIII.

De Cancellariis.

1. IN utraque Provincia Cancellarius eligi debet, qui saltem Sacerdos sit, & in Religione annos octo permanserit; sit autem vir summæ integritatis, & scientiarum, humanarumque literarum non ignarus. Huic fides non secùs, quàm publico Notario adhibenda est. In omnibus Capitulis Generalibus, & etiam Provincialibus suæ Provinciæ voce activa & passiva Cancellarii gaudebunt, concurrentibus tamen in eis aliis requisitis in Constitutionibus expressis juxta Capitulum 36.

2. Horum præcipuum munus erit omnes Superiorum, aliorúmque officialium electiones, & mutationes, quæ in quovis Capitulo fiunt, & universa, quæ pro bono regimine nostræ Congregationis à PP. Correctoribus, & Definitoribus in iisdem Capitulis sancita fuerint, quæque quoquomodo ad PP. Visitatores in actu Visitationis spectant, diligenter in Capitulorum libro perscribere, & fideliter registrare nec non etiam, quæ in Capitulis perlegenda sunt, jussu Superiorum perlegere, liceat tamen Generali, seu Provinciali absente prædicto Cancellario vel alia rationabili de causa alium in Cancellarium deputare, qui, vel V. V. prosequatur, vel processus fabricare valeat, imò & in illius munus obeundum simpliciter eligere, si decessisse, vel privari contingat.

C A P U T XXXIX.

De Examinatoribus.

1. IN unaquaque Provincia eligantur quatuor Examinatores, quorum mu-

munus sit eos, qui ad quoscunque Ordines promovendi sunt, vel ad sæcularium Confessiones audiendas admittendi: nec non etiam ad prædicationem Verbi Dei, quoad doctrinam, & sufficientiam diligenter, jussu tamen Superiorum, ad quos spectat, examinare, ac idoneos repertos approbare, & approbatis de eorum sufficientia fidem propria manu subscriptam facere, ut eam Superiori, à quo admittendi sunt, & à quo facultatem sunt habituri, demonstrare queant, servata in reliquis forma præscripta Cap. 27. n. 2.

2. Animadvertat verò unusquisque Examinator, ut hoc munus, quod permagni momenti est, summa integritate erga omnes, ac æquo animo exerceat, æquè enim contra justitiam, ac charitatem non sine magno Congregationis detrimento fieret, si ab ipsis aut admitterentur inhabiles, aut idonei reprobarentur.

3. Qui ergo Examinator eligitur, vir gravis, prudens ac valde discretus, summæque integritatis sit, necesse est, atque in Philosophicis, ac Theologicis disciplinis valdè peritus, ac doctus, sit quoque Sacerdos, & in Religione annos saltem decem permanserit. In Capitulo autem, vel à PP. Visitatoribus ita in unaquaque Provincia per varia Monasteria disponantur, ac de familia collocentur, ut cuilibet eorum ministerio, ac opera indigenti commodè, & facilè occurrere possint.

4. Porrò hi, Examinatores Prioribus, & Superioribus localibus non secùs, ac alii Fratres in omnibus subjaceant, utraque tamen voce in Capitulis Provincialibus propriæ cujusque Provinciæ, & in Capitulis Generalibus utriusque Provinciæ fruantur, (a) concurrentibus tamen in eum aliis necessariis requisitis per constitutiones præscriptis.

Caput XXXX.

De Patribus graduatis.

1. PAtribus graduatis, qui nimirum in Congregatione nostra primis gradibus Generalatus, & Provincialatus toto tempore à Capitulo assignato functi sunt, nec fuerint privati, tanquam de ipsa Congregatione optimè meritis aliquas exemptiones seu immunitates, & privilegia concedere, rationi valde consonum videtur.

2. Qui igitur Generalatus dignitatem assecutus fuerit, activam vocem in omnibus Capitulis Generalibus utriusque Provinciæ, & etiam Provincialibus suæ Provinciæ habebit, quod etiam ad eos qui Provinciales extiterunt, extendimus.

3. Præterea, qui Generales fuerunt tanquam milites, qui pro sua Religione multum defatigarunt, de eâque optime meriti sunt, summo in honore esse debent apud omnes, nec quotidianis laboribus adeò rigorosè, ùt alii sunt alligandi: poterunt etiam Monasterium aliquod ad eorum beneplacitum pro domicilio sibi eligere, sed illud à Capitulis seu Superioribus petendo, qui ramen negare non debent, nisi ex urgentissimis causis, cum aliis verò Patribus graduatis Priores locales sint valde discreti.

Caput XXXXI.

Quanto tempore permanere debent Superiores in eorum Dignitatibus, & Officiis.

1. QUilibet nostræ Congregationis Superior, & Officialis, cujuscunque gradus sit, & conditionis, qui activa & passiva voce ratione dignitatis, & officii in Capitulis Generalibus fruitur, in officio seu dignitate, qua fungitur, (b) tres annos duntaxat, hoc est ab uno Capitulo Generali ad aliud perseverare potest. Quandoquidem quilibet Superior, & Officialis in manibus Vicarii Capituli suam dignitatem & officium omninò renunciare debet, ut habetur Cap. 48.

2. Et quoniam persæpè contingere potest, ut pro bono Religionis, & conventuum aliquos Superiores in eorum dignitatibus, & officiis, in quibus fuerunt constituti, confirmare valdè expediens sit, ac ferè necessarium. Volumus & expressè præcipimus Generalem expleto triennio sui Generalatus, non

(a) Examinatores non gaudent voce activa in Capitulis ex Decretis Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium de Anno 1689. 28 Januarii.

(b) Generalis, Procurator Generalis, & Cancellarius Generalis durare debent ad sexennium ex Decretis Visitationis Apostolicæ Cardinalis S. Clementis Annibalis Albani de Anno 1742. 25. Maji.

posse

posse ad idem officium reeligi, nisi per annos novem ab eodem officio Generalatus vacaverit, nec minus eligi posse Provincialem, vel Procuratorem Generalem, nisi per sex annos vacaverit à prædicto officio Generalatus.

3. Provinciales item expleto triennio sui Provincialatus ad idem officium de novo non eligantur, nisi post sexennium, nec minus ad Generalis, seu Procuratoris Generalis munus eligi possint, nisi per triennium ab officio Provincialatus vacaverit.

4. (c) Procurator Generalis expleto triennio sui officii, ab officio Generalis, Procuratoris Generalis, & Provincialis per triennium vacare teneatur.

5. Prioratus, ac alia inferiora officia, ut Cancellarii & Examinatorum ipsis Generali, Provincialibus & Procuratori Generali consequi minimè denegatur.

6. Priores verò expleto triennio sui officii in Priores eorundem Conventuum confirmari non possint, eos tamen in Priores aliorum Conventuum permittimus. Examinatores denique, & Cancellarii in eorum officiis per aliud triennium usque ad aliud Capitulum Generale, si PP. Definitoribus expedire videbitur, confirmari poterunt.

C A P U T XLII.

Rem nullam ad totam Congregationem spectantem sine ejusdem consensu fieri debere.

1. NUllus gradus, cujuscunque & conditionis in nostra Congregatione sit, etiam si Provincialatus, aut Generalatus dignitate præfulgeat, rem aliquam gravem ad totam Congregationem spectantem, & quæ ejusdem commodum, vel incommodum utile, vel damnum concernant sub quovis prætextu, aut colore tractare, agere aut innovare præsumat, sine ipsius Congregationis participatione, & consensu, ut esset nova loca recipere, vetera deserere, novas leges, ac Constitutiones condere, & his similia.

2. Si igitur nostræ Congregationi novus aliquis locus erigendus offeratur, & proponatur, nec commodè possit usque ad Generale Capitulum differri, volumus in tali casu, ut P. Generalis, aut Provincialis, vel alii ab ipsis eligendi, unà cum duobus aliis Patribus graduatis, si illi essent impediti, aut hi aptiores censerentur, ad dictum locum erigendum se conferant, probentque, an pro Congregatione faciat, nec ne; cujus deinde statum, & conditiones ad Generale Capitulum referre debeat, poterunt etiam prædicti Patres, si eis expedire videbitur, ad illis loci curam unum, vel plures Patres constituere usque ad prædictum Capitulum, ad quod tandem solum decernere spectabit, quid de dicto loco agendum sit; in erectione autem novi conventus serventur Constitutiones fel. recor. Clementis VII. Pauli V. Gregorii XV. & S. D. N. Urbani VIII. unà cum Decretis de celebratione Missarum.

3. Illud proportionaliter servandum erit, si aliud simile contigerit. Qui autem huic nostræ Constitutioni oppugnaverit, voce activa & passiva, omnibusque gradibus ac dignitatibus Congregationis in proximo Generali Capitulo per tres annos sequentes privatus existet.

C A P U T LXIII.

Quis modus, quævè forma in omnibus, & singulis scrutiniis, & electionibus cujuscunque Capituli sit ab omnibus servanda.

1. IN omnibus electionibus per vota, seu scrutiniis in quovis Capitulo tam Generali, quàm Provinciali, & etiam privato locorum faciendis, sive pro Superioribus, cæterisque Officialibus eligendis, sive pro quavis alia re decernenda, servari inviolabiliter debet forma, & modus à Sacro Concilio Tridentino & etiam à nostri Instituti Constitutionibus præscriptus. In primis igitur antequam proponatur aliquid à Superiore, & ad aliquam electionem deveniatur, in quovis Capitulo sive publico, sive privato prælegendæ sunt Constitutiones siquæ sunt de eo, quod debet proponi, & de requisitis, ac qualitate eligendorum, in Generali Capitulo ante omnia perlegi debet cap. 6. Conc. Triden. session. 25. de Regul. nec non §. §. Decretorum Clementis VIII. pro Regularium Reformatione editorum n. 35. & 36.

(c) Ex Decretis Sac. Congreg. Episcop. & Regular. 1689. 28. Januarii Procurator Generalis potest eligi Generalis, vel Provincialis. An vero possit confirmari Procurator Generalis, hæc Decreta non dicunt.

2. Quodlibet ſcrutinium, ſeu ballottatio, ùt vulgò dicitur, in omnibus, & ſingulis Capitulis noſtræ Congregationis fieri debet per vota, ſeu ſuffragia ſecreta, (*d*) quam ob rem quilibet Vocalis calicem de manu illum deferentis accipere debet, in eumque manu cooperta ſuum votum immittere, in quo directa, vel indirecta vocum, & ſuffragiorum procuratio tam pro ſe, quàm pro aliis omninò cavenda eſt, ſed quisquis ſecundum propriæ conſcientiæ dictamen probiores, ac magis idoneos ſe electurum coram DEO ſibi proponat, & juret ad præſcriptum dictorum Decretorum.

3. Præterea quidquid per ſecreta ſuffragia in quovis Capitulo tam publico quàm privato in quemcunque finem & effectum propoſitum fuerit, nullatenus obtineri poterit, niſi ultra medietatem Vocales concurrant. Qui igitur ad dignitatem aut officium eligendus proponitur, niſi ad ſui favorem voces ſeu ſuffragia ultra illorum medietatem habuerit, eam conſequi non poterit.

4. Denique ſi plores ad eandem dignitatem, aut officium per vota ſecreta concurrant, & ſint propoſiti, qui ex illis majorem numerum vocum ad ſui favorem habuerit, erit ad dictam dignitatem electus, ſi verò eos parem ſuffragiorum numerum ad ſui favorem obtinere contigerit, iterùm omnes illi ad vota proponantur, ſi adhuc in pari numero ſuffragiorum, uti prius perſtiterint, qui ex illis in Religione antiquior eſt, eam dignitatem, & officium erit jure (omni ambiguitate remota) aſſecutus, & ad illam juridicè electus.

CAPUT LXIV.

Quo tempore, quóve loco celebrandum ſit Generale Capitulum.

1. CApitulum Generale noſtræ Congregationis ſecundum antiquam ejus conſuetudinem tertio (*e*) quoque anno die Dominicæ tertiæ poſt Paſcha Reſurrectionis Chriſti Domini celebrari debet, cùm tali die eligatur capituli Vicarius, totumque Definitorium creetur, ùt in ſuo loco ſtatuitur.

2. Quod ſi tali die ob aliquod graviſſimum impedimentum Capitulum celebrari non poſſet, volumus eo die Dominicæ tertiæ jam dictæ Generalem & Provinciales ab officiis, ac dignitatibus Generalatus & Provincialatus vacare aliósque eligi debere loco illorum. Pro quorum electione in tali caſu Sedem Apoſtolicam conſulant, & hi deinde à S. Sede de novo electi, nempè Generalis cum duobus Provincialibus ſtatim eligant novum Procuratorem Generalem, & hi quatuor inſimul eligere poſtea debent Priores, cæteroſque Officiales totius Congregationis (omnes namque vacare intelliguntur) prout eis ad univerſalem Gubernationem Congregationis expedire videbitur, quos omnes eadem facultate, & authoritate, uti, frui, ac gaudere intendimus, ac ſi eſſent in Generali Capitulo electi quod ſi aliquis in tali caſu quavis alia ratione intra Religionem eſſet electus, electio ipſo facto nulla ſit, & irrita, & electus voce activa & paſſiva triennio privatus exiſtat.

3. Quoad locum verò ſecundum veterem conſuetudinem noſtræ Congregationis, Capitulum Generale ſemel, hoc eſt uno triennio, in Provincia Marchiæ Tarviſinæ, & alio triennio in Provincia Marchiæ Anconitanæ fieri debet; locus autem præciſus futuri Capituli, aut ab ipſo Capitulo antecedenti, aut à Generali unà tamen cum Provinciali ejus Provinciæ, in qua erit celebrandum deſignabitur. Et quælibet Provincia per ſe ipſam omnia neceſſaria omnéſque expenſas pro ſuo futuro Capitulo ſubminiſtrabit, ſicut etiam ad eundem Generalem ſpectabit deſignare locum pro Capitulo Provinciali, ſi quando ob aliquam urgentiſſimam cauſam illud celebrare occurreret.

CAPUT XLV.

Quinam ſe conferre debeant ad Comitia Generalia.

1. AD Generale Capitulum univerſaliter loquendo, & ſecundùm legem Ordinariam pergere debent, vel ſaltem poſſunt omnes ii, qui in dicto Capitulo ſaltem activam vocem habent, ut ſunt:

(d) Scrutinium in electionibus ad majores Dignitates fit per Schedulas. Definitorium vero, quod eligit Priores, & alios Officiales, procedit per Ballottas, ut vocant.

(e) Capitulum Generale ſexto quoque Anno nunc celebratur ex Decretis Viſitationis Apoſtolicæ de anno 1742. 25. Maji Tertio autem anno poſt Capitulum Generale celebrantur Capitula Provincialia in Provincia Aconitana, Tarviſina, Cuſtodia Neapolitana, & apud Patres de Obſervantia ejuſdem Congregationis in Germania.

In

In primis P. Generalis, Procurator Generalis utriusque Provinciæ Provinciales, (f) Priores omnes, tam locales quàm titulares, qui ex Privilegio Sanctissimi Domini Nostri Urbani octavi in nostra Congregatione extant, qui per sex saltem menses ante Capituli diem fuerunt tales declarati, dummodo talis electio non facta fuerit occasione motris, aut alicujus delicti, quia tali casu ii electi se ad dictum Capitulum conferre debebunt, etiam si per sex menses ante Capituli celebrationem electi non fuerint, (g) Discreti uniuscujusque Conventus juridicè electi, & denique utriusque Provinciæ Examinatores, Magistri Novitiorum, PP. Graduati, ac Cancellarii, omnes enim hi in Capitulis utraque voce gaudent, ut suis locis dicitur.

Caput XLVI.

Modus, ac forma Discretum eligendi præscribitur. (h)

1. In quovis Conventu nostræ Congregationis, in quo quinque, saltem Fratres de familia commorantur, eligi potest, ac debet Discretus, qui ad Capitulum Generale ire debet, in eoque vocem activam & Passivam habeat. Ad cujus electionem activa voce concurrant omnes Vocales, qui respectivè per sex menses ante electionem sunt de familia illius conventus, cujus Discretus est eligendus nempe omnes Professi dummodo sint in Sacris Constituti; excipimus autem eos, qui de præsenti die 13. Junii 1642. reperiuntur professi, quos vocem activam habere decernimus, voce verò passiva omnes alii de familia ùt suprà, Priore locali excepto, dummodo annos saltem quinque in Congregatione permanserint, & Sacro Præsbyteratus Ordine fuerint insigniti quod si intra id tempus aliquam Fratrum mutationem in aliquo conventu ob aliqnam urgentem & evidentem necessitatem à Superioribus fieri contigerit, poterit Is, qui ex obedientia erit de familia talis Conventus de novo constitutus, dummodo ex ejus culpa talis mutatio orta non sit, in Discreti electione utraque voce gaudete.

2. Electio autem Discreti fiat ante Capitulum Generale, intra quindecim dies à Nativitate Domini Nostri JESU Christi computandos, & in die certo Vocalibus cujusque Conventus per Priorem intimando, Prior autem cujus culpa intra dictum tempus electio Discreti facta non fuerit, vocis activæ & passivæ privationem per tres annos incurret, & PP. Visitatores, seu eorum Vicarii Discreti electionem fieri faciant, etiam dicto tempore elapso; si autem aliquem Discretum mori contigerit, possit familia illius Conventus iterum Capitulariter congregata alium Discretum quovis tempore eligere, iisdem tamen conditionibus.

3. Congregati igitur omnes Vocales alicujus Conventus Capitulariter pro Discreti electione, Prior localis illius Conventus, lecta præsenti Constitutione proponat singulos, à Vicario incipiendo; qui Votorum seu suffragiorum ultra medietatem majorem numerum obtinuerit, erit illius conventus Discretus.

4. Si in Discreto eligendo, Vocales adeò inter se discrepent, ut nulla ab ipsis facta electio sit valida, Monasterium illud sine Discreto existat.

5. Si in Discreti electione fraus committeretur, ea cognita, delinquentibus gravis pœna esset imponenda, & Discreto ita electo, ut seditioso, ad Capitulum non pateat ingressus, sed vel à P. Generali statim expellatur, vel certè à P. P. Correctoribus, si non nisi ab ipsis in fidei recognitione fraus fuerit detecta.

6. Discreto cuilibet Canonicè & juridicè electo faciant Vocales, qui eum elegerunt, fidem de Canonica electione manu propria subscriptam, & sigillo proprii Conventus obsignatam, quam secum ferre debet, ut in Generali Capitulo PP. Correctoribus eam ostendat.

(f) Ex Decretis Visitationis Apostolicæ anno 1742. 25. Maji sublata est vox activa Prioribus actualibus, qui toto triennio non habuerint sex Fratres de Familia, item Prioribus Titularibus.

(g) Ex Decretis pariter Sacræ Cong. de anno 1689. 28. Januarii sublata est vox activa Discretis Conventuum, Examinatoribus, & Magistris Novitiorum.

At vero ex Decretis eisdem 1689. gaudent voce activa in Capitulis Generalibus, & Provincialibus suæ Provinciæ Novitiorum emeriti, qui per novem annos id munus obierunt, tum Lectores, qui per annos duodecim docuerint in locis tantum à Constitutionibus designatis. Ex Decretis etiam Visitationis Apostolicæ 1742. gaudent similiter Magistri secundi Novitatus seu Professorum, tum Lectores, qui in quibusvis Conventibus, Universitatibus, & seminariis docuerint; tum Concionatores, qui per duodecim Quadragesimas quotidie DEI verbum annunciaverint, dummodo saltem per sex Quadragesimas id fecerint in Cathedralibus.

(h) Totum hoc caput abrogatum fuit per Decreta Sac. Cong. 1689. 28. Januarii.

7. Denique munus, & officium Discreti erit deferre ad Capitulum Generale Inventarium omnium bonorum sui Conventus, eique statum dicti Conventus, & omnes Fratrum necessitates aperire.

Caput XLVII.

De Officio PP. Correctorum in Capitulo Generali.

1. Cum omnes Vocales Capituli Generalis ad locum, in quo illud erit celebrandum, pervenerint, die Jovis, aut Veneris ante tertiam Dominicam post Pascha, P. Generalis, Provincialis & Correctores (*i*) in præcedenti Capitulo Generali electi in loco Capitulari conveniant, ad eorum munera exercenda; ipsis enim curæ erit perspicere, attentéque considerare omnes, & singulas summas, seu folia rationum accepti, & expensi, seu computorum uniuscujusque Conventus, Inventaria eorundem fides de Discretorum electione, & si quæ sunt alia hujus Generis, & præterea à Capitulo expellere, qui vel Canonicè non fuerunt electi, vel alia de causâ expellendi sunt. Quod si contingat peragi debere aliquid contra aliquem ex Patribus Correctoribus, vel illius compota recognosci, vel quidquid aliud contra ipsum pertractari necesse sit, tunc is, de cujus interesse agendum erit recedere tenebitur à loco Capitulari, nec in ipsius negotia votum afferat. Idem servetur & de interesse Definitorum tractari contingat. Præterea ad hos quoque spectabit punire eos, qui in pœnas nostrarum Constitutionum inciderunt, omnesque errores cujuscumque corrigere, quidquid enim ab his decretum fuerit, inviolabiliter observari intendimus; Nec PP. Definitores ulla ratione ipsarum Decretis derogare posse. Absolutis, & expeditis deinde causis ad PP. Correctores spectantibus, ad alias electiones capituli deveniendum erit. Volumus autem, ut PP. Correctores durante Capitulo post Definitores omnes alios præcedant.

Caput XLVIII.

De electione Vicarii Generalis Capituli, & PP. Definitorum, eorúmque officiis.

1. Die Dominicæ tertiæ post Pascha Resurrectionis pro nostri Capituli celebratione assignato, hora condecenti cantari debet Missa solemnis de Spiritu sancto cum Gloria & Credo, in qua secunda oratio erit de sancta Maria, tertia de sancto Hieronymo Patre nostro, Celebrans erit Pater Generalis, Diaconus P. Provincialis Provinciæ, in qua celebratur Capitulum, Subdiaconos alter Provincialis, vel alii ab his deputati, si fortè hi essent legitimè impediti; cæteri verò Vocales eadem diem, vel in eadem Missa solemni, vel in privatis sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento reficiantur.

2. Hora deinde à P. Generali assignata omnes Vocales ad sonum Campanulæ ad Ecclesiam conveniant, ubi omnibus genuflexis, P. Generalis, simul cum Provincialibus intonet cum cantu Hymnum: Veni creator Spiritus, aliis prosequentibus, mentes tuorum visita: &c. & absoluto primo versu, seu quaternario consurgant, & processionaliter cantantes præcedente cruce cum duobus Accolitis bini pergant ad locum Capituli, quo cum pervenerint, absoluto hymno, P. Generalis cantabit versiculum: Emitte Spiritum tuum &c. ℟. Et renovabis &c. Deinde Orationem de Spiritu sancto, quo peracto unusquisque ad proprium locum ordinatè se conferat, ibique assideat, & statim legantur publicè à Cancellariis, quæ à PP. Correctoribus determinata fuerunt.

3. His expletis illicò deveniatur ad electionem Vicarii Capituli, ad cujus electionem activa voce omnes Vocales concurrunt, passiva verò omnes ii (Generali tamen excepto) qui Sacerdotes sunt, & annos viginti Completos, ac minimè interruptos in Congregatione persiteterint. Proponat igitur P. Generalis pro hujusmodi electione incipiendo à Provinciali Provinciæ, ubi fit Capitulum, gradatim & successivè omnes alios, dummodo idonei sint, & qui ad sui favorem plura suffragia obtinuerit, erit

(*i*) Ex Decretis Visitationis Apostolicæ anno 1742. ad supplendas vices Correctorum in Capitulis Generalibus duo eliguntur per vota secreta à P. Generali cum Provincialibus; in Capitulis vero Provincialibus Pater Generalis cum Definitoribus præstat, quæ olim faciebant Correctores.

Vicarius Capituli, cui statim Generalis suum locum concedet, in eóque eum sedere faciant. Et statim in illius manibus omnes, & singuli ante illum genuflexi. In primis verò ipse Generalis, tum Provinciales, Procurator Generalis, cæteriquę Priores tam locales, quàm titulares, Examinatores, Cancellarii, omnesque alii suas dignitates, & officia cum sigillis renuntiabunt, per quem actum renuntiationis quælibet dignitas, & Officium in Congregatione vacare intelligatur, tametsi, qui eis funguntur, Capitulo non intersint. Per hanc tamen renuntiationem non censeatur ablata facultas dandi votum in præsenti Capitulo.

4. Expleto renuntiationis actu P. Vicarius Capituli procedat ad electionem quatuor Patrum Definitorum, & primus omnium proponatur, qui Generalatus dignitatem renuntiavit, tum qui Provinciales extiterunt, & Correctores, tum denique alii, & qui ad sui favorem majorem numerum suffragiorum habuerint, erunt PP. Definitores, ad quam electionem activa voce concurrere debent omnes Vocales, passiva omnes ii (Vicario tamen Capituli excepto) qui cum Sacerdotes sint annos viginti completos in Religione extiterunt.

5. Hi quinque Patres, hoc est Vicarius Generalis, & quatuor prædicti Definitores totius Capituli nuncupentur & sint: ad hos enim spectat causas audire, & auditas expedire, & eos, qui in administrandis eorum officiis ac dignitatibus, quæcunque sint, etiam Generalatus, aberrarunt, corrigere, ac punire, causas determinando, sola veritate inspecta.

6. Debent etiam creare omnes Officiales totius Congregationis, ut Procuratorem Generalem, Priores tam locales quam titulares, Examinatores, Cancellarios, Novitiorum Magistros, Gubernatores, Vicarios, atque alios Superiores, quovis nomine nuncupatos, servato tamen tempore vacationis à Constitutionibus præfinito ùt supra Cap. 41. debent quoque pro quolibet Conventu familias constituere. Nullique prorsus reclamare liceat, quod non fuerit ab iis in dignitate aliqua, seu officio Constitutus, volumus enim Capitulum Generale, ejusque Definitorium esse in suis Definitionibus, Electionibus, ac Decretis, omninò liberum.

7. Denique ad hos quoque spectabit ordinare, ac decernere quidquid pro bono Congregationis regimine esse ordinandum, ac decernendum censuerint, & quidquid ad Generale Capitulum spectat. Nihil tamen ad totam Congregationem pertinens (si grave & maximi momenti sit) innovare poterunt, nisi prius toti Capitulo, id proponant, & major Capituli pars per secreta suffragia consensum præstiterit, ùt habetur Cap. 42.

8. Officium PP. Definitorum usque ad finem Capituli perdurabit, etiam facta creatione novi Generalis, & Provincialium, à quibus tunc nihil poterit immutari, quod à Definitoribus sancitum est.

9. Durante Capitulo unoquoque die, etiam festivo, cantari debet Missa de Spiritu sancto, & etiam alia de Requiem pro defunctis, si non adsit festum, recitentur quoque litaniæ secundum nostram consuetudinem.

Caput XLIX.

De Electione Patris Generalis in Capitulo.

1. Statim atque PP. Definitores elegerint omnes Priores, omnesque Officiales cum eorum familiis, fecerintque Decreta, & Ordinationes, quæ pro bono regimine Religionis expedire existimaverint, ac denique cuncta perfecerint, & compleverint, quæ ad ipsorum munus pertinent. P. Vicarius Capituli cum aliis definitoribus congregatis omnibus Vocalibus ad sonum Campanulæ in loco Capitulari, & lecta præsenti Constitutione, procedat ad electionem Generalis, pro cujus electione primò proponatur ab eodem Vicario gradatim Definitores, & successivè cæteri PP. quibus insint requisitæ conditiones illius tamen Provinciæ, ad quam de more spectat Generalatus, & qui ultra medietatem majorem numerum vocum ad sui favorem habuerit, erit P. Generalis per triennium juxta nostræ Congregationis Privilegia, ac consuetudinem.

2. Ad Generalis electionem activa voce concurrere debent omnes Vocales utriusque Provinciæ, passiva solum, qui annos 25. circiter in Congregatione permanserint, ut habet Cap. 36.

3. Porrò Generalis statim electus fidei professionem in manibus Vicarii Capituli coràm omnibus emissa, ad locum P. Vicarii se conferat, ibique assideat, tum Vicarius ipse tradendo illi sigilla Generalatus, ei Obedientiam præstet, manus ipsius deosculando, & sic faciant cæteri omnes.

CAPUT L.

De Provincialium electione in Generali Capitulo.

1. GEnerali electo, eique obedientia præstita, eadem sessione procedatur statim ad Provincialium electionem, quam tamen ipse Generalis (habito prius brevissimo sermone ad Patres) ipsi Capitulo proponat, quæ fieri debet hoc ordine.

2. Quælibet Provincia per se ipsam, & separatim, unà tamen cum novo Generali tres (*k*) eligat Patres per secreta suffragia ad Provincialatum idoneos proponendo, primo loco Patres Definitorii, tum gradatim & successivè alios, qui ad sui favorem majorem numerum suffragiorum obtinuerint, erunt tres ad Provincialatum electi pro Provincia.

3. Deinde hi separatim electi à sua Provincia toti Capitulo ab eodem Generali præponantur, hoc est primò tres electi ab ea Provincia, ubi sit Capitulum, & qui ex illis plura suffragia ultra medietatem ad sui favorem habuerit, erit Provincialis illius Provinciæ, tum proponantur similiter toti Capitulo alii tres electi pro alia Provincia, & eadem ratione, qui plura suffragia fuerit assecutus, erit Provincialis alterius Provinciæ. Qui Provinciales triennio in Provincialatu permanere debent, út de Generali diximus.

CAPUT LI.

De Electione Patrum Correctorum. (l)

1. PEracta hujusmodi electione PP. Generalis, & Provincialium, deveniatur ad electionem duorum Correctorum prosequenti Capitulo generali, quæ quidem non nisi intra scripto modo fieri poterit. Generalis proponat toti Capitulo pro Correctore illius Provinciæ, ubi celebratur Capitulum (duo enim eliguntur Correctores, unus scilicet pro unaquaque Provincia) alterum ex PP. initium faciend. à Senioribus, & deinde ad alios prosequendo, qui plura suffragia ultrà medietatem obtinuerit, sit illius Provinciæ Pater Corrector, & sic deinde de alia.

2. Ad hanc autem electionem PP. Correctorum voce activa concurrere debent omnes Vocales totius Capituli, passiva verò (Generali, & Provincialibus exceptis) similiter omnes, eligantur autem ad hoc officium Viri Discreti, Prudentes, & timoratæ conscientiæ; qui per sexennium post Professionem in Religione steterint.

3. Quod si contingat istos sui electos Correctores, seu alterum eorum nequire ad subsequens Capitulum pergere, tunc Generalem, & ambos Provinciales, posse alium, seu alios in defectum ipsius, seu ipsorum substituere.

CAPUT LII.

Qua ratione Capitulum publicandum sit, ac dimittendum.

1. HIs expletis immediatè in eadem sessione, aut certè in alia (iterùm congregato Capitulo) prout PP. Definitoribus videbitur, primo loco legatur publicè à Cancellariis utriusque Provinciæ quidquid decretum, & determinatum fuerit à PP. Definitoribus, & insuper etiam omnes electiones, & creationes omnium Officialium ab iisdem factæ, cæterorumque Fratrum mutationes, neque ab eis appellatio, reclamatio, seu recursus admittatur, nisi ad effectum devolutivum tantùm non autem suspensivum, sed unusquisque parere promptum, & paratum se ostendat, ut verè Religiosum decet, qui autem oppositum attentaverit, ipso facto à PP. Definitoribus voce activa & passiva per triennium privetur, aliisque etiam pœnis gravioribus ipsorum arbitrio inflictis.

2. At verò, si quis officium sibi destinatum modestè recusaret, Definitores provideant, prout expedire cognoverint.

3. Postremo his ita dispositis novus Generalis intonabit: Te Deum &c. quem prosequendo omnes bini processionaliter pergant ad Ecclesiam, ubi cùm aliquantulum oraverint pro gratiarum actione, P. Generalis omnes benedicendo dimittat, & illicò omnes & singuli ad sua Monasteria, & loca properabunt.

(k) Electio Provincialium nunc fit à toto Capitulo per schedulas, nulla facta præcedenti electione trium à singulis Provinciis. Quo jure id fiat, incertum.

(l) Hoc Caput abrogatum fuit per Decreta Visitationis Apostolicæ de anno 1742. Vide dicta ad Cap. 47.

CA-

Caput LIII.

Nulli ex nostris, quæ in Congregatione, aut Capitulis pertractantur, externis referre liceat.

1. Ea quæ in nostra Congregatione, præsertim verò in Capitulis generalibus, aut particularibus uniuscujusque Conventus, pro ejusdem Congregationis beneficio secretò tractantur, ac definiuntur, nullus audeat externis, aut aliis etiam ex nostris, qui hujusmodi Capitulis præsentes non fuerint, referre, ac manifestare, sub pœna ab ipsis Capitulis, aut Superioribus, ac etiam Prioribus pro qualitate delicti transgressori imponenda; & si pluries quis in hunc errorem, in rebus præsertim gravibus incidisse convincatur, in pœnam expulsionis ab iisdem Capitulis, & privationis vocis activæ & passivæ merito incurret Superiorum arbitrio.

2. Sub eadem pœna, & etiam Superiorum arbitrio graviore districtè præcipitur, ne quis Fratrum, præsertim verò Superiorum occultos defectus, seu errores cum famæ eorundem, & ipsius Congregationis detrimento, nisi forte necessitate coactus, detegere, ac publicare audeat.

Caput LIV.

Præscribitur modus eligendi Generalem, & Provinciales extra Capitulum.

1. Si contingat Generalatus dignitatem extra Capituli tempus, aut per mortem Generalis, aut alia ex causa vacare, decernimus illius Provinciæ Provincialem, cujus Generalis erat, ipso facto absque ulla alia declaratione, vigore tantummodo præsentis Constitutionis, succedere Vicarium Generalem loco Prædecessoris Generalis, cum eadem prorsus auctoritate.

2. Districtè autem prædicto Vicario Generali præcipimus, ut statim habita ut supra notitia, nulla interposita mora, Vocales moneat per litteras citatorias, illis assignando locum, ac diem electionis faciend. qui ita debent convenire, ut infra mensem electio sequatur.

3. Electores autem novi Generalis, si ipse eligendus erit de Provincia Anconita, erunt infra scripti, videlicet ipse Vicarius Generalis, Priores S. Honuphrii de Urbe, S. Bartholomæi Pisauri, Sanctissimæ Trinitatis montis belli; & S. Hieronymi Arimini, item Provincialis Provinciæ Tarvisinæ, Priores S. Sebastiani Venetiarum, Magdalenarum Patavii, & S. Mariæ à Rosa Ferrariæ. Si verò Generalis eligendus erit de Tarvisina Provincia, Electores erunt Vicarius Generalis, Priores S. Sebastiani Venetiarum, Magdalenarum Patavii, S. Mariæ à Rosa Ferrariæ, & Magdalenæ Tarvisii; item Provincialis Provinciæ Anconitanæ, Priores S. Honuphrii de Urbe, S. Bartholomæi Pisauri, & Sanctissimæ Trinitatis Montis Belli. Quod si Vicarius Generalis, aut Provincialis sit Prior alicujus ex dictis conventibus, tunc ad hujusmodi electionem intererit Prior S. Blasii Fani in Provincia Anconitana, si verò id accidat in Provincia Tarvisina, in ipsius locum Priorem Victoriæ Veronæ subrogatum volumus.

4. At si quoquo modo infra Triennium Capituli Generalis occurrat Provincialis dignitatem vacare, volumus ac declaramus Provincialis electores esse sex Priores illius Provinciæ, cujus Provincialis est eligendus: unà cum ipso Generali: hoc est in Provincia Anconitana Priores S. Honuphrii de Urbe, Sanctissimæ Trinitatis Montis belli, S. Bartholomæi Pisauri, S. Hieronymi Arimini, S. Hieronymi Urbini, & S. Mariæ gratiarum Neapolis; in Provincia verò Tarvisina Priores S. Sebastiani Venetiarum, Magdalenarum Patavii, Magdalenæ Tarvisii, (m) S. Mariæ de Rosa Ferrariæ, S. Mariæ Hispidæ, & S. Mariæ Magdalenæ Vicentiæ. Hi enim omnes unà cum Generali respectivè in sua Provincia per vota secreta novum Provincialem, sive præsentem, sive absentem eligere debent, servatis tamen forma, & conditionibus alibi expressis, quæ quidem electio fiat loco, & tempore, quibus supra de Generali.

5. Si verò vacet aliquis ex dictis Prioratibus ob mortem Generalis, aut Provincialis, tunc illius Prioratus electio

(m) Cum Conventus S. Mariæ à Rosa Ferrariæ nunc spectet ad Provinciam Anconitanam ex Bulla Benedicti XIV. de anno 1743. 27. Aprilis, modo pro Provincia Tarvisina in numero electorum Generalis, vel Provincialis loco Prioris Ferrariæ substituitur Prior sanctissimæ Inviolatæ Rivæ Tridenti.

fiat

fiat à Generali, & respectivè à Provinciali, unà cum duobus Prioribus Electoribus, qui in Religione antiquiores erunt, quod si Generalis ipse, vel Provincialis respectivè fuerit legitimè impeditus, ejus loco censeatur subrogatus unà cum aliis duobus Prioribus suprà expressis, alius Prior ex antiquioribus illius Provinciæ.

6. Qui modus novum Provincialem in unaquaque Provincia eligendi servari etiam debet, quandocunque extra Capitulum Generale Provincialis electionem fieri ex quavis causa contigerit, semper enim una cum prædictis Prioribus Electoribus, Generalis, seu Vicarius Generalis ad Provincialis electionem per se, & non per alium concurrere debet.

7. Si verò aliquis ex prædictis Prioribus Electoribus ob aliquod impedimentum dictæ Electioni intervenire non posset, decernimus in tali casu, eum posse alium loco ipsius substituere.

8. Denique si Provincialis extra Capitulum Generale electus per unam tantùm vicem Provinciam visitaverit, volumus & intendimus talem electionem non esse, aut fore illi impedimento, quo minus in dicto Capitulo non possit eligi in Provincialem pro futuro triennio; secùs verò si per duas vices Provinciam visitaverit ad præscriptum constitutionis; tunc enim sequenti Capitulo ad Provincialatus dignitatem pro futuro triennio concurrere nequaquam poterit.

CAPUT LV.

Traditur modus eligendi Priores, cæterosque Officiales, ac etiam Procuratorem Generalem extra Capitulum.

1. SI aliquis Prior, sive localis, sive titularis, vel quilibet alius Superiot, & Officialis nostræ Congregationis, ut Vicarius, Examinator, Cancellarius, & quivis alius cujuscumque gradus & conditionis sit, & quovis nomine nuncupatus, vel causa mortis, vel quia à Superioribus aliis sit jure privatus, fuerit extra Capitulum Generale eligendus, ac de novo creandus, volumus talem electionem fieri posse à PP. Visitatoribus. Verum si talem electionem Prioris infra sex menses à die, quo Capitulum Generale celebrari debet, fieri contingat, electus vocem non habeat in eo, nisi ejus electio facta fuerit per decessum anterioris. Si verò ex quovis causa esset eligendus, ac de novo creandus extra Capitulum Procurator Generalis nostri Ordinis, creatio novi Procuratoris fiat à P. Generali cum Provincialibus tamen utriusque Provinciæ, qui etiam Mandatum Procuræ juxta solitum ei conferant, & qui ab his fuerit electus, erit Procurator Generalis totius Ordinis usque ad Generale Capitulum.

CAPUT LVI.

De modo visitandi Monasteria.

1. UT omnes nostri fratres, sive Superiores in Congregatione existant, sive subditi, pro viribus suo muneri satisfacere studeant, illi, suorum Monasteriorum curæ, & regimini incumbendo, ac commissum sibi gregem omni charitate, & vigilantia pascendo; hi verò suorum Superiorum jussa exequendo, eisque obtemperando. Ordinamus, atque mandamus Generalem cum Provincialibus, hoc est, cum unoquoque in sua Provincia debere ter in uno triennio totam Congregationem, eiusque Monasteria personaliter visitare, vel saltem per alium si sit impeditus.

2. In Actu Visitationis diligenter inspiciant Patres Visitatores qualiter res cujusque Ecclesiæ, & Monasterii nostræ Congregationis se habeant, Prioris seu Superioris regimen animadvertant; deque cujusque Fratris vita, ac moribus se certiores fieri curent; scandala, si quæ sint, devitent; concilient dissentiones; Pacem, obedientiam, charitatem, aliasque virtutes pro viribus astruant; & cuique rei opportunum remedium adhibere summoperè studeant; ut ubique Dei cultus, ac Religionis beneficium augeatur. In quovis conventu tamdiu commorentur, quamdiu necessarium esse cognoverint, ibique diutius, & ubi magis erit opus; Si aliquis ex Visitatoribus sit Prior, ejus loco Monasterium ipsius ab alio Priore viciniore visitabitur.

3. Visitationis exordium sumant à templo, videantque imprimis an rectè custodiatur Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum; mox visitent Sacrum infirmorum oleum, ac Sanctorum Reliquias, ex quibus tamen nihil prorsus auferri debent sub pœna privationis officii, & vocis activæ & passivæ ipso facto incurrenda, præterea altaria, & universa, quæ tam in Ecclesia, quàm in Sacristia ad divinum cultum pertinent; curentque, ut nihil eorum, quæ necessaria sunt, desit, ac præsertim diligenter attendant, si adimpleantur legata, & Missarum onera, quæ in tabella Sacristiæ descripta sunt.

4. Po-

4. Postea ad visitandam Domum, & Monasterium se conferant, curentque ædificia conservari, & etiam instaurari, si opus erit; diligenter inspiciant totam habitationem, officinas, totámque supellectilem illius, nec necessaria deesse, aut superflua expendi permittant, omniúmque mobilium conventus, & Ecclesiæ Inventarium recognoscant.

5. Visitent quoque bona stabilia Monasterii, quæ sine magno incommodo visitari possunt, & videant, qua cultura egeant, quidve in illis præstandum sit, ut conserventur, ac augeantur.

6. Deinde accedant ad visitationem personarum, vocentque singillatim omnes eo ordine, qui magis eis expedire videbitur; ab omnibus petant, quomodo serventur Regulæ, & Constitutiones præsertim, quæ ad chorum, & Ecclesiam pertinent, & ad Regularem observantiam; qua ratione administrentur bona Monasterii; quomodo tractentur subditi à Superiore, si quæ sint scandala, quibus providere necesse sit, & similia: ultimo loco visitent Superiorem Conventus, à quo & subditorum, & ipsius personæ circa ea, quæ ad ejus officium pertinent, rationem exigant; omnes autem ad veritatem sincerè dicendam, ne, si taceant, ipsis imputetur, si morbi latentes curari nequeant.

7. Postremo diligenter videant computa, rationesque accepti & expensi à Priore, seu Superiore loci in suo libro præscripta, & adnotata, & etiam computa præcedentia cujusque Conventus ab ultima Visitatione suorum Prædecessorum, & si recta fuisse cognoverint, manu propria subscribant, sicut etiam folium, in quo eorumdem computorum summa continetur.

CAPUT LVII.

Posse Generalem, ac Provinciales aliis suas vices demandare.

1. TAm Generalis, quàm Provinciales non solum ad actum visitandi Congregationem, sed etiam ad aliud quodcunque, quod ab eorum auctoritate dependeat, peragendum, non tamen in casu electionis, suas vices aliis Patribus demandare, seu committere poterunt: Unde Generalis, in sua Provincia ac Monasterio residens, poterit uni, vel pluribus, præsertim alterius Provinciæ ab majorem Fratrum commoditatem, & bonum Congregationis regimen suas vices, suamque auctoritatem pro suo beneplacito tribuere.

2. Patres autem, quibus Visitatores suas vices demandare poterunt, debent saltem esse Priores, aut Patres graduati, multòque magis committi poterit Procuratori Generali servata tamen constitutione 41.

CAPUT LVIII.

Quis ordo inter Fratres, ac Superiores nostra Congregationis constituendus sit.

1. INter nostros Fratres hic ordo Præcedentiæ constituendus videtur. Primò universaliter, si cætera paria sint, semper, qui in Religione antiquior est, juniorem in eadem præcedat.

2. Si gradus seu ordines inspiciamus, is erit ordo servandus, ut semper Professi Novitios præcedant, & sicut hi, si ad chorum addicti sint, Novitiis Laicis præferri debent, sic & illi, si Clerici existant, Professis Laicis præferendi sunt, eadémque ratione Sacris Ordinibus insigniti ad tales ordines non permotos præcedant, & licet inter hos nullus ordo servetur, inter illos tamen jure Subdiaconus Diacono, & utique Sacerdoti locum cedant.

3. At verò si Superioritatis habeatur ratio universaliter decerni potest, ut is, qui in aliqua dignitate constitutus sit, præcedat eos, qui nulla dignitate actu fruuntur, simplicesque Sacerdotes existunt.

4. Porrò si Superiores inter se conferantur, post P. Generalem jure Provincialis in actu saltem Visitationis, nulli secundus esse debet; PP. enim Visitatores in Congregatione nostra primum locum obtinent, Procurator Generalis post Provinciales omnibus aliis præferendus est, exceptis PP. Graduatis, si ipsi cæteris paribus præferendi sint.

5. Inter Priores actuales, sive titulares, secundum se consideratos præcedant, qui primò professionem emiserint, tametsi locali Priori in proprio conventu quilibet alius, etiam Procurator Generalis cedere debet, & multo magis Prior titularis, qui de ejus familia fit.

6. Vicario in proprio Conventu, qui post Priorem præesse solet, cedant cuncti reliqui Fratres. Imò & ipsi Priores titulares, si de ejus familia sint.

7. Denique inter PP. Graduatos iis, qui Generales extiterunt, primus locus erit, tum qui fuerunt Provinciales, sequi debent. At neque inter eos, qui Generales extiterunt, nec inter reliquos ullus ordo, quàm Religionis servetur; Si verò hi cum aliis conferantur, cuncti cæteros Fratres, qui Priores, aut Superiores non existunt, antecellere debent, at verò, qui Generalatus dignitate functi sunt, omnes etiam Priores (locali excepto) præcedent.

Postremo Vicarius Generalis in ea parte, seu Provincia, in qua vices Generalis gerit (si Patres Visitatores excipias) nulli erit secundus. Hæc de præcedentia dicta sint, solum ne inter Fratres ulla inordinatio, aut confusio oriatur. Cæterum admoneantur cuncti, ut in omnibus christianam, ac Religiosam humilitatem colant, meminerintque, quod à Christo Domino suis discipulis dictum fuit, qui major est in vobis, fiat sicut minor.

Caput LIX.

De Novitiatorum receptione.

1. Qui petit ingredi nostram Religionem, antequam recipiatur ab iis, ad quos spectat, diligenter interrogetur, Primum, an omnino decreverit renunciare mundo; à quo tempore deliberavit ingredi nostram Religionem; quibus de causis hoc desiderium ei in mentem venerit; quid eum impulerit ad hoc potius institutum amplectendum, quàm aliud; num deliberate statuerit in Religione, cujus habitum suscepturus est, vivere & mori sub suorum Superiorum obedientia, & similia, ut nimirum uniuscujusque vocationis finis, & Spiritus innotescat, & si ex sola levitate, aut humano aliquo affectu duci dignoscatur, audiendus non erit.

2. Tum perquiratur, an ære alieno gravatus existat; aut aliqua alia obligatione; num aliquo occulto, aut manifesto morbo laboret, aut defectum in aliqua sui corporis parte patiatur; diligenter ejus vità antè acta, ac mores examinentur.

3. Interrogetur de Patria, Parentibus, eorúmque conditione an pauperem vitam gerant, proptereaque, vel alia de causa ejus opera indigeant; an sit ex legitimo matrimonio, & à progenitoribus honestis, ac bonæ famæ. Inquirat diligenter Superior de ejus ætate, & si non fuerit in 14. ætatis anno constitutus, nulla ratione ad habitum recipiatur; In literis verò sit saltem ita eruditus, ut ex iis quibus præditus est, judicii, ingeniique specimen facilè conjicere liceat, ac proinde ad eas addiscendas indubiam habilitatem, certamque dispositionem præseferat; ipsi autem Conversi, seu Laici ad habitum non recipiantur ante vigesimum suæ ætatis annum, & nisi saltem præcipua doctrinæ christianæ capita noverint.

4. Debet præterea de nostri Ordinis instituto summatim commoneri, & de omnibus difficultatibus, rebusque difficilioribus, quæ ex nostris Constitutionibus servari debent, certior fieri, & tandem repertus idoneus, & à Superioribus admissus proponi debet Capitulo locali ad vota secreta illius Conventus, ubi est habitum suscepturus, à quo acceptus, & ad Novitiatus locum introductus, primum suorum peccatorum totius ante actæ vitæ veniam per Generalem Confessionem à Domino impetrare debet, tum nostræ Religionis habitum à Superiore.

5. Idem fere servari debet circa eos, qui in nostra Congregatione in numero Laicorum, seu Conversorum adscribi voluerint.

6. Postremo Novitios ad habitum recipere debent, aut Generale Capitulum, aut Patres Visitatores, aut solus Generalis, ejusque Vices gerens, aut Provincialis in sua Provincia sed illi vestiri non poterunt nisi in Conventibus designatis vel designandis, servata in reliquis forma Constitutionum fel. rec. Sixti V. Clemen. VIII. Pauli V. & SS. D. N. super receptione, & educatione Novitiorum.

Caput LX.

De Novitiorum educatione, & de eorum Magistro.

1. Circa Novitiorum educationem non est, quod multum laboremus; satis enim, superque erit dixisse, ut in hac re nostræ Congregationis Superiores observari curent Decreta Apostolica, & præsertim Institutiones Clement. VIII. editas 19. Martii 1603. & à Sanctiss. D. N. confirmatas. In his enim fusissimè, & sanctissimè recensentur, quæ ad ex actam Novitiorum educationem faciunt.

2. Ne-

2. Novitius ergò ad nostrum habitum receptus statim sub Novitiorum Magistri cura in novitiatu collocetur, donec solemnem Professionem emiserit. Novitios cum Professis, aliisvè Fratribus tractare, aut alloqui non permittatur, nisi fortè necessitas urgeret, aut præsente Magistro, vel Superiori locali.

3. Novitiorum Magister, qui non nisi secundum prædicta Decreta est eligendus, rem magni momenti sibi esse commissam intelligat, etenim ex prima Novitiorum institutione, non modò eorundem profectus, verum etiam & integer Religionis status, ac perfectio magna ex parte dependet. Vitæ integritate, prudentia, ac discretione ita se gerat, & omnibus ita se præstet amabilem, ut omnes confidenter ad ipsum confugiant, ab eoque auxilium ac solatium in omnibus in Domino sperent.

4. Doceat Novitios breviter Doctrinam Christianam, modum item orandi, meditandi, fructuosè confitendi, Sacro decenter ministrandi, divinum Officium, Beatæque Virginis recitandi, pios ac Spirituales libros perlegendi, eósque crebrò admoneat, ut semper in omnibus Deum quærant, omnesque actus, in quibus se exerceant, ad ipsius gloriam dirigant; Curet præterea, ut Novitii in omnibus locis, præsertim verò in Ecclesia, Choro, ac Refectorio Religiosam modestiam præferant. Denique det operam ut in nostris Constitutionibus ita instructi sint, ut universa quæ in illis præcipiuntur, ad eosque spectant, possint integrè observare.

5. Elapso probationis anno statim, atque Novitius si Clericus 16. si verò Laicus vigesimum primum suæ ætatis annum compleverit, iterum Capitulo locali proponatur, & approbatus, ad professionem admittatur.

CAPUT LXI.

De Professis in Professorio degentibus, ac de eorum Magistro.

1. Novitii statim, atque Professionem emiserint, & in Professorum numerum recepti fuerint, debent juxta Decreta Apostolica à Novitiatu ad Professorium transferri, ut nimirum in regularis disciplinæ observantia melius confirmentur, nisi forte diutius in Novitiatu aliquem de novo Professum detineri, locali Superiori magis expedire videretur.

2. Qui in Professorio degunt sub Magistri obedientia, ac disciplina esse debent, eruntque ab iis, eorumque Magistro, quoad regularem disciplinam cuncta ferè servanda, quæ præcedenti capite de Novitiis, ac de eorum Magistro dicta sunt.

3. In Professorio, vel per triennium, vel certè quousque ad ætatem suscipiendi Sacros Ordines pervenerint, permanere debent. Quo tempore omni studio curare debet eorum Magister, ut prædicti Juvenes iis omnibus, quæ ad chorum, & Ecclesiam spectant, benè instruantur, & literarum studiis diligenter incumbant.

CAPUT LXII.

Præsentes Constitutiones esse ab omnibus observandas ac sæpius perlegendas.

1. Quemadmodum necessarium est (ut unde exorti sumus, ibi terminemus) aliquas Constitutiones, & Regulas conscribi, quæ Nos omnes nostramque Congregationem in divino obsequio, & in via salutis incepta juvent, ac dirigant, ita longè magis necessarium erit ut illæ eædem ab omnibus omnino observentur, ac custodiantur. Hortamur igitur omnes in Domino, ac districtè præcipimus, ut quæ in Volumine harum legum, & Constitutionum conscripta sunt, omni studio, omnique conatu quisque ex nostris observare, ac custodire curet. Superiores verò, quicunque illi sint, non modò ad earum observationem, teneri sciant, verùm etiam, ut eorum cura, vigilantia, & exemplo à sibi subditis inviolabiliter observentur.

Transgressores non solum in pœnas ab ipsis Constitutionibus impositas, sed etiam in alias graviores ab eo, ad quem spectabit, infligendas incurrent.

2. Ut autem hoc facilius præstari possit, locales Superiores ut in publico Refectorio præsentes Constitutiones sæpe perlegantur, saltem bis in quolibet anno, hoc est, in Adventu, & quadragesima curare debent; Regula verò S. August. singulis mensibus perlegatur. Volumus autem si circa præsentes Constitutiones aliqua oriatur difficultas, quod solum Generale Capitulum possit eas declarare, talemque declarationem vim constitutionis habere. Faxit Deus, ut hæc omnia adimplendo vias nostras ad cælestem Patriam, ubi vera Beatitudo est, dirigamus, ibique in perpetuas æternitates summo bono perfruamur, Amen.

RITUS VESTIENDI NOVITIOS.

CUm aliquis mundo renunciare cupiens in nostrum sacrum ordinem adscribi voluerit, Superior, qui sæcularem induere debet, cotta & stola indutus cum omnibus suis Fratribus in Ecclesiam, vel Capitulum conveniat. Sæcularis verò induendus, præcedente Novitiorum Magistro, ingrediatur, vestes, quibus induendus est, deferens aptè accomodatas, ac plicatas, & unà cum Magistro ad pedes Superioris genuflectat, qui eum interroget dicens: Quid petis? Respondit: Misericordiam Dei, & vestram Societatem. Tunc Superior insinuans prius, quid postulaverit, quantaque sit hujusmodi petitio de laboribus, & austeritate Ordinis certiorem illum reddat, ac de mutatione morum, & perseverantia admoneat. Quo facto dicat: Dominus, qui incepit in te bonum opus, ipse perficiat. ℟. Amen.

Interim sæcularibus vestibus exuatur à Superiore dicente: Exuat te Dominus veterem hominem cum Actibus suis. ℟. Amen.

℣. Exurge Christe adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℟. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine virtutum supplices deprecamur clementiam tuam, ut hunc famulum tuum miserationis tuæ abundantia ab omni vetustatis irreptione expurget, & capacem sanctæ novitatis efficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postmodum induat eum habitu Novitiorum dicens.

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in Justitia, & Sanctitate veritatis. In nomine ✝ Patris & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Illicò aspergat eum aqua benedicta; & mutet ei nomen, si videbitur expedire, maximè si habuerit nomen ethnicum, imponat ei nomen alicujus Sancti. His peractis dicat: ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Adesto Domine Supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum, cui in tuo sancto nomine habitum nostræ sanctæ Religionis imposuimus, bene ✝ dicere digneris, & præsta, ut te largiente devotus in Ecclesia persistat, & vitam mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Superior cum reliquis omnibus genuflectens incipit hymnum Veni creator Spiritus &c. Quam Fratres prosequuntur, ac dicto primo versu Hymni, omnes surgunt. Finito Hymno permanente adhuc Novitio genuflexo, Superior dicat: Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terræ. ℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. ℣. Ora pro eo Beate Pater Hieronyme. ℟. Ut dignus efficiatur promissionibus Christi ℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor meus &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da ei in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere &c.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine DEus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere. Et gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia & æterna perfrui lætitia.

DEus, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis Sacris scripturis Beatum Hieronymum Confessorem tuum Doctorem maximum providere dignatus es; præsta, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, quod ore simul, & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quibus peractis omnes Fratres ipsum recipiant ad osculum pacis.

De Novitiorum Professione.

CUm tempus emittendi professionem advenerit (dato signo) Superior cotta, & Stola indutus, unà cum Fratribus ad Ecclesiam se conferat, & ad altare in cornu Epistolæ consistat. Ad quod Novitius talari veste nostri coloris & Sæculari pallio vestitus deferens tunicam, Capucium, & Zonam præcedente Magistro accedat, ac in medio genuflectatur. Tunc Superior eum interro-

roget dicens. Quid petis? Respondit: Dei Misericordiam, & vestram Societatem. Superior autem dicat.

Dominus, qui incepit in te bonum opus, ipse perficiat. ℟. Amen. De inde coram omnibus hæc, aut similia verba cum eo habeat italico tamen sermone.

Delecte fili in Christo: Ecce tempus tuæ probationis completum est, in quo expertus es omnem nostri Ordinis asperitatem. Nunc ergò de duobus oportet te unum eligere, id est, vel à nobis discedere, & abire in viam tuam, vel renunciare huic sæculo, & dedicare, atque offerre teipsum totum Deo, & Ordini nostro, sciens quod postquam te sic obtuleris, de subjugo obedientiæ ejusdem Ordinis collum tuum non licebit excutere; quod sub tam morosa deliberatione cum recusare libere posses, sponte suscipere voluisti.

Quod si ipse responderit velle Deo, & Ordini nostro, se totum offerre, inquirat ab eo Superior, utrum vi, vel metu faciat Professionem, & si iterum responderit, se sponte & liberè, & non vi, vel metu vovere velle, collocatis vestibus super tabulam à cornu Epistolæ Superior eas benedicat dicens.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine JEsu Christe, qui tegumentum nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod Sancti Patres, ad humilitatis indicium ferre sanxerunt, Ita bene✝dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit, te induere mereatur, qui vivis & regnas in Sæcula Sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Deus, qui vestimentum singulare ad indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis, & contemptum mondi significantia, quibus famulus tuus in sancto, ac firmo proposito vestiri desiderat propitius bene✝dicas, & castitatis habitum, quem te inspirante suscipit, te protegente custodias, ut quem veneranda veste induis, beato facias indumento vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio tunicæ, & Capucii.

Bene✝dicat quæsumos omnipotens Deus tunicam, & Capucium istud capiti hujus famuli tui imponendum, & præsta, ut fit in eo sanitas, sanctitas castitas, virtus & victoria, sanctimonia, humilitas, bonitas, & mansuetudo, legis plenitudo & obedientia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Zonæ.

Omnipotens sempiterne Deus, qui peccatoribus quærentibus veniam pietatis tuæ misericordiam tribuisti, oramus immensam clementiam tuam, ut hanc zonam bene✝dicere & sanctificare digneris, ut qui pro peccatis suis cincti fuerint, misericordiam tuæ indulgentiæ consequantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postmodum aspergantur aqua benedicta, & incenso adoleantur, mox Sæcularibus vestibus Novitium exuendo dicat. ℣. Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. ℟. Amen. Eomque benedicat in hac forma. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine virtutum supplices deprecamur clementiam tuam, ut hunc famulum tuum miserationis tuæ abundantia ab omni vetustatis irreptione expurget, & capacem sanctæ novitatis efficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen

Deinde aspergat eum aqua benedicta, ac induens Novitium tunica dicat.

Induat te Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ.

In nomine Pa✝tris, & Filii, & Spiritûs Sancti. ℟. Amen.

Statim verò cingat ipsum Zona benedicta dicens.

Accipe Zonam super lumbos tuos in signum castitatis, & continentiæ, in nomine Pa✝tris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Demùm imponat Capucium dicens.

Accipe Capucium super humeros & caput tuum in signum humilitatis, obedientiæ, & munditiæ, & pauperta-

tis. In nomine Pa ✝ tris, & Filii, & Spiritus Sancti. ℞. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Adesto Domine Supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum, cui in tuo sancto nomine habitum nostræ sanctæ Religionis imposuimus, bene ✝ dicere digneris; & præstà, ut te largiente devotus in Ecclesia persistat, & vitam mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum &c.

Deinde Superior genuflectens incipit hymnum. Veni Creator Spiritus &c. Quem Fratres prosequuntur, ac dicto primo versu surgunt. Finito Hymno, permanente adhuc Novitio genuflexo Superior dicat.

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. ℞. Et renovabis faciem terræ.

℣. Ora pro eo Sancta Dei Genitrix. ℞. Ut dignus efficiatur promissionibus Christi.

℣. Ora pro eo Beate Pater Hieronyme. ℞. Ut dignus efficiatur promission. &c.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da ei in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. &c.

Concede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere. Et gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

Deus, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis sacris Scripturis Beatum Hieronymum Confessorem tuum Doctorem maximum providere dignatus es, præsta quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis quod ore simul & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Christ. Dominum nostrum. ℞. Amen.

Post hæc autem Superior sedeat ad altare in cornu Epistolæ habens Missale apertum in loco Canonis: Te igitur, suprà quod Novitius flexis genibus manus extensas imponat; ac voce intelligibili emittat professionem in hac forma.

Forma Professionis coràm Reverendissimo Patre nostro Generali.

IO Frà N. faccio Professione, e prometto à Dio, & alla Beata Vergine Maria, al Padre S. Girolamo, & al Beato Pietro dà Pisa, & à Voi Reverendissimo Padre Fra N. Generale di tutta la Congregatione, & alli Successori vostri Ubidienza secondo la Regola di S. Agostino, e instituttioni delli Frati Eremitti della Congregatione del Beato Pietro dà Pisa, & di vivere in povertà, e Castità fino alla morte.

Forma Professionis coràm Reverendo Patre Priore.

IO Fra N. faccio Professione, e prometto à Dio, & alla Beata Vergine Maria, al Padre S. Girolamo, & al B. Pietro dà Pisa, & à Voi Reverendo Padre Fra N. Priore di N. in nome, & vece del Reverendissimo padre Fra N. Generale di tutta la Congregatione, & à tutti li Successori di quello Ubidienza secondo la Regola di S. Agostino, & instituttioni delli Frati Eremitti della Congregatione del B. Pietro dà Pisa, & di vivere in povertà, & Castità fino alla morte.

Emissa Professione dicat Superior.

IO accetto la vostra Professione in nome di Dio, della sua Madre Vergine Maria, del Padre S. Girolamo, del Beato Pietro da Pisa, & di tutta la nostra Congregatione, & se osservarete le cose promesse, haverete la vita eterna.

Quibus dictis Superior incipiat, Te Deum laudamus &c. cæteris sequentibus.
Deinde.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in eo.

℞. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℞. Et salutare tuum da nobis.

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Sempiterne Deus, & omnipotens Pater, qui humanæ fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice quæsumus super hunc famulum tuum Fratrem nostrum N. & larga tuæ benedictionis abundantia tantum illi robur in ejus infirmitate con-

concedere digneris, ut promissa vota, quæ prævenieodo aspirasti, per auxilium gratiæ tuæ sanctè, piè, ac religiosè vivendo valeat vigilanter observare, & observando vita promereri sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quibus peractis omnes Fratres ipsum recipiant ad osculum pacis.

Forma Professionis fidei facienda.

EGo F. N. Ordinis N. Generalis, firma fide credo, profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium; & in unum Dominum JEsum Christum, Filium Dei unigenitum; Et ex Patre natum ante omnia Sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram Salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum Gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: Et unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto & amplector. Item Sacram Scripturam juxta consensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse verè, & propriè Sacramenta novæ legis, à JEsu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis; licet non omnia singulis necessaria; scilicet, Baptismum, Confirmationem Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illáque gratiam conferre: Et ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in Sacramentorum omnium solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deum verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem unà cum anima, & Divinitate Domini nostri JEsu Christi; fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas, firmissimè assero. Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque debitum honorem, ac venerationem impertiendum. Indulgentiarum etiam, potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarúmque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principi Successori, ac JEsu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro.

Cæteraque item omnia à Sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; Simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, anathematizo. Hanc vero Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præ-

præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam, usque ad extremum vitæ Spiritum constantissimè, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum.

Forma absolutionis generalis, quæ dari solet in extremis vitæ constitutis.

DOminus noster JEsus Christus per merita suæ sanctissimæ Passionis te absolvat, & gratiam suam tibi infundat; & ego auctoritate ipsius, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & summorum Pontificum mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, absolvo te ab omni Vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris & ab omni sententia Suspensionis, & Interdicti; & dispenso tecum in omni irregularitate, si quam contraxisti. Eadem Auctoritate ego absolvo te ab omni transgressione votorum tui Ordinis, & Statutorum Papalium, Generalium, & Provincialium localium, & Synodalium, quorumcunque. Eadem auctoritate absolvo te ab omni officio malè persoluto, horis indebite transpositis, vel dimissis. Item eadem Auctoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquisti, concedens tibi remissionem, & indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum confessorum, & cunctorum, de quibus etiam non recordaris, in quantum claves Ecclesiæ se extendunt. Item eadem Auctoritate absolvo te à pœnis purgatorii, quas pro peccatis commissis, & delictis in hoc mundo perpetratis meruisti, restituendo te illi innocentiæ, in qua eras, quando baptizatus fuisti. In nomine Pa ✝ tris, & Filii ✝, & Spi ✝ ritus Sancti, Amen.

AD-

ADDITAMENTUM XLVII.

REGULA ET CONSTITUTIONES FRATRUM TRINITARIORUM,

SIVE

FRATRUM REDEMPTIONIS CAPTIVORUM DISCALCEATORUM,

CONGREGATIONIS HISPANIÆ.

OBSERVATIO CRITICA.

P*Ostquam initio Tomi III. bujus Operis Additamento ſcilicet XXII. actum eſt de Ordine & Regula Fratrum Trinitariorum ſive Fratrum Redemptionis Captivorum Inſtitutoribus ſanctiſſimis Anacboretis Gallis* Joanne *nempe* de Matha, & Felice Valois; *bic occurrit agendum de inclyto alio, qui ex eo prodiit, Ordine,* Diſcalceatorum *nempe* Fratrum Trinitariorum, *qui originem ſuam & fundationem debent Beato* Joanni Baptiſtæ à Conceptione, *quem Deus ſuſcitavit ad reformandam & reſtaurandam collapſam ſui Ordinis primævam Diſciplinam & obſervantiam Regularem, quæ circa annum* 1594. *in Provinciis Caſtellæ; Arragoniæ, & Andaluſiæ nimium quantum refriguerat, & deflexerat à Charitate & fervore primæ ſuæ Inſtitutionis: Cui malo medendo ut efficax aliquod remedium adbiberetur, celebratum fuit anno mox nominato Capitulum Generale, præſidente R. P. Didaco Guſman, in quo decretum fuit, ut in ſingulis provinciis ædificarentur duo aut tria Monaſteria, in quibus exacte obſervaretur primitiva Regula, ubi Religioſi ſtrictius viverent tam quoad babitum, qui deberet eſſe ex tela groſſiori, quam quoad modum vivendi, reſervata tamen libertate redeundi, ſi vellent, ad priores ſuos Conventus. Hac Capituli reſolutione Religioſi ferventiores & Diſciplinæ Regularis amantiores ingenti perfundebantur gaudio; quibus tamen totis viribus ſe oppoſuerunt alii Pſeudo-Religioſi laxiores, numero longe plures; quin imo Superiores ipſi, ſalutaris decreti etſi Autbores non multum ejus executionem curarunt: ſicque per ſeſquiannum contendentibus partibus ſine effectu permanſit Capituli decretum: donec Marcbio de ſancta Cruce D. Alvarez Baſan Ordini Militari S. Jacobi, Claſſique primum Neapolitanæ, ac deinde Hiſpanicæ quoque præfectus, Almagrum proficiſcens Patri cuidam Trinitario, quem Sacrorum Miniſtrum ſecum ſumpſerat, pium propoſitum quod inſpirante DEO con-*

ceperat, revelavit, fundandi nempe Monasterium in oppido Diœcesis Toletanæ, cui nomen Valdepegnas. Religiosus iste Trinitarius vehementer eum rogavit, ut suo Ordini hoc Monasterium dignaretur donare; quod hic Dominus fieri posse negavit, obstante voto, quod fecerat, instituendi ibidem Religiosos Reformatos Discalceatos. Reponente autem Religioso illo, rem non esse omnino impossibilem ob Decretum in sui Ordinis Capitulo Generali nuper emanatum instituendi scilicet in singulis provinciis quasdam Domos Recollectionis. Quibus rationibus facile Marchioni persuasum est, & cum Incolis loci, Conventione facta conclusum, non admittendos Religiosos nisi Reformatos, & Discalceatos. Sicque brevi erectum est Monasterium, ubi primum sacrum celebratum fuit nono Novembris anno 1596. Itaque Religiosi Trinitarii, qui illuc introducti sunt, mutato priore habitu assumpserunt alium de panno rudiore, & conformiter contractui cum Incolis inito sese discalcearunt, nudipedes futuri, Sandaliis solummodo cum ligaminibus more Hispanorum contenti. Inter primos, qui hanc novellam reformationem amplexi sunt, erat P. Joannes Baptista à Conceptione, quem sibi cæteri præfecerunt dignissimum Superiorem. Hic ille est sanctus Vir, qui novæ plantationis hujus Religiosæ merito agnoscitur Fundator & Institutor, utpote cujus fervore & constantia stetit, cæteris ejus Prædecessoribus suæ sanctæ resolutionis pertæsis, & ad vomitum canum instar, scilicet ad cæteros laxos Calceatos redeuntibus.

Natus is erat decimo Julii anno 1661. in pago Almodovar sito in Campo di Calatrava Diœcesis Toletanæ, Parentibus admodum piis Marco Garcia, & Isabella Lopez, quorum conjugalem thorum cohonestarunt octo proles, ob spectatam pietatem & morum innocentiam longe, lateque commendatæ; sancta enim Theresia hic transiens nusquam alibi divertere voluit, nisi apud hanc sanctam familiam in domo nempe Parentum nostri B. Joannis Baptistæ, quod nomen in Baptismate sortitus est. Vix usu rationis obtento jam cœpit imitari antiquos Patres deserti per vitam solitariam, silentium, jejunia, & mortificationes. Decimo ætatis anno austeritates suas auxit, quas nec Parentum adhortationibus, nec fratrum, aut sororum precibus mitigare voluit. Continuo cilicium portabat; quotidie ferme tenellum corpus disciplina domabat, modicum carpebat somnum in alveo ligneo, supposito capiti, culcitri loco, duro lapide. Quo in lecto pœnitentiali Pater ejus quondam eum inveniens à lacrymis temperare sibi nequiverat; quem inter brachia levatum in cubiculum suum portavit; qui cum primum Patrem dormire advertit, ad lectum suum consuetum rediit. In ea tenella ætate per totum ferme annum jejunabat pane & frigida: quandoque gustabat modicum defruti, cujus loco cum ei Mater sua persuadere niteretur, ut mel manducaret, adduci ad id nullo modo poterat, ratus talia delicata sibi minime convenire. Dominicis & Festis diebus modicum carnis manducabat, quandoque etiam, quidquid ipsi offerebatur, accipiebat, simulans se manducare, pauperi alicui interim illud afferens. Quam vitæ normam per tredecim annos tenebat; ob quam austeritatem lapsus est tandem in languorem quemdam qui per biennium eum adeo attenuavit, ut coactus fuerit suis rigoribus modum ponere. Exemplum Patrum Carmelitarum Discalceatorum, apud quos humaniores litteras didicit non parum ad has austeritates contulit, adeo ut consilium ceperit, eorum Ordini nomen dandi: quo consilio Præceptori suo Patri Augustino de Los Royes patefacto, & vehementer approbato ob insignia emolumenta, quæ Ordini suo ex tali subjecto eventura haud vane sperabat. Sed huic ejus proposito adversabantur Parentes, qui omnino volebant, ut Cursum Theologicum in quadam Universitate conficeret, quibus omnino parendum erat. Ideo in hunc finem missus est primo Bacca, posteaque Toletum, ubi divinitus se inspiritum sensit, Ordinem Patrum Trinitariorum ingrediendi. Cujus habitum accepit in Vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli 1580. annum tunc agens decimum nonum, DEO sic disponente, eumque destinante, ut esset unus ex Reformatoribus istius Ordinis. Primus erat in omnibus exercitiis Regularibus: Ejus modestia, silentium promptaque obedientia cunctis Confratribus eum peramatum reddiderunt. Emissa Professione Religiosa missus fuit ad studia Theologica finienda sub Patre Simone Royas Provinciali Castellensi, & Confessario Reginæ Elisabethæ Philippi IV. primæ Uxoris. Absolutis studiis prædicationi verbi DEI se totum applicavit. Quapropter missus Andalousiam, ibique pie hoc munere functus, cum omnium applausu, nec minore animarum fructu, per septemdecim annos permansit, quoadusque perrexit ad eos, qui novam Reformationem Ordinis nuper susceperant in novo Monasterio de Valdepegnas anno 1596. cujus mox factus est Superior, ut supra vidimus. Ve-

rum

rum Patres isti, quos ibi invenerat, initio tam zelosos pro Gloria DEI, brevi tam austera vita, quam ab iis exigebat, pertæsi, plerique redierunt ad priores suos Conventus, quod ipsis decretum Capituli Generalis permittebat: Cùmque vi ejusdem decreti tres domus Recollectionis in qualibet provincia ædificari deberent, Reformatio introducta fuit in Conventibus de Ronda, & Bienparada. Sed Religiosi ibi habitantes non majorem zelum præsetulerunt, quam illi de Valdepegnas: quapropter Ven. P. Joannes Baptista perspiciens, Reformationem non posse subsistere, quamdiu Religiosi haberent libertatem redeundi ad priora sua Monasteria irreformata; ideo statuit Romam proficisci pro obtinenda à Clemente VIII. Confirmatione Reformationis, & ut Discalceati penitus separarentur à Calceatis, qui non observabant primævam Ordinis Regulam. Econtra Religiosi Calceati summopere se opposuerunt. Quin imo ipse Orator Hispanus, qui prius maxime commendabat Reformationem, postmodum eidem acerrime restitit. Quibus omnibus non obstantibus Ven. P. Joannes Baptista obtinuit à Papa, quod desiderabat, Bullam scilicet 20. Augusti anno 1599. qua Reformationem approbavit, concessis ei tribus domibus Recollectionis Valdepegnas nempe, Ronda, & Bienparada. Apostolicæ Bullæ hujusmodi est tenor.

Institutio Congregationis Fratrum Reformatorum & Discalceatorum Ordinis sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum, primitivam dicti Ordinis Regulam observantium.

AD militantis Ecclesiæ regimen divina dispositione, meritis licet imparibus, evecti, illud nobis præ cæteris curandum proposuimus, ut Ecclesiasticorum & Religiosorum Ordines quoscunque ad pristini Regularis cujuscunque eorum Instituti normam, à qua non parum deflexerunt, quantum in Domino possumus, reduceremus. Ac propterea, qui sua sponte, Religionis ac arctioris vitæ zelo ducti pristinæ Regulæ, quam suæ Religionis auctores instituerunt, observantiam cum antiquo illo rigore amplecti, ac de cætero sectari consueverunt, eosdem non solum in eorum proposito confovere, sed etiam opportunis gratiis & favoribus libenter prosequi solemus.

I. Cum itaque, sicut accepimus, non nulli pii & Religiosi Ordinis sanctissimæ *Trinitatis* Redemptionis Captivorum Professores, pie considerantes præfatum Ordinem, qui à fel. rec. Innocentio Papa III. Prædecessore nostro institutus & confirmatus fuit, prout in ejus litteris sub dato in Laterano 5. idus Februarii, Pontificatus sui anno primo expeditis continetur, temporum injuria, & hominum tepiditate à primi ejus instituti Regularis observantia deflexisse, & laxiorem vivendi modum suscepisse, & adhuc retinere, ac propterea divina inspirante gratia, arctioris vitæ zelo ducti, primum dicti Ordinis regulare institutum imitari cupientes, postpositis quibuscunque corporis commoditatibus, dummodo Christum lucrifacerent, primitivam ipsius Ordinis Regulam à præfato Innocentio prædecessore institutam, cum pristino illo rigore, observare cæperint, & non nullas ejusdem Ordinis domos ad hujusmodi primitivam Regulam reduxerint & ceu de novo instituere sperent, ac alii quamplures eorum vestigia sectantes sub eadem primitivæ Regulæ observantia, Altissimo famulari desiderent.

II. Nos, qui pro nostri pastoralis officii debito Religiosorum quorumcunque statui prospere dirigendo libenter intendimus, pium dictorum Religiosorum propositum summopere in Domino commendantes, ac eorum laudabilia principia fœlicioribus progressibus, quantum eum Domino poterimus, augere cupientes, & eorum quemlibet à quibuslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ex venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Episcoporum, & Regularium consultationibus, & negociis deputatorum, quibus hoc negocium examinandum & nobis referendum commisimus, sententia, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, unam provinciam seu Congregationem Fratrum Reformatorum & Discalceatorum Ordinis sanctissimæ *Trinitatis* Redemptionis Captivorum nuncupandam, quæ primitivam Regulam Or-

Ordinis præfati perpetuo observent, habitu, quem modo gestant, utentes, in eisdem Hispaniarum Regnis per unum Priorem Provincialem, in Capitulo dictæ provinciæ seu Congregationis, postquam, ut in Domino speramus, eorundem Religiosorum Reformatorum numerus anctus fuerit, canonice pro tempore celebrando, ex eisdem Reformatis & Discalceatis eligendum, regendam & gubernandam in perpetuum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium erigimus & instituimus.

III. Eámque sic erectam & institutam ab aliis provinciis præfati Ordinis modificatæ Regulæ perpetuæ sejungimus, separamus, & dismembramus; ipsósque Fratres Reformatos, & eorum domos, & Monasteria, tam hactenus erecta, quam in posterum erigenda, ab omni & quacunque jurisdictione, visitatione & Superioritate tam Commissarii Generalis, quam aliorum Ministrorum, & Provincialium aut localium, & aliorum quorumcunque Superiorum modificatæ Regulæ ejusdem Ordinis, super dictis Reformatis, & eorum domibus eis competente, excepto Ministro Generali, ut infra dicitur, perpetuo eximimus, & liberamus, ipsamque tamen provinciam seu Congregationem Fratrum Reformatorum, Discalceatorum, ejusque domos & Monasteria præsentia & futura, sub obedientia & Superioritate Ministri Generalis totius Ordinis præfati, sicut aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ el subsunt, & subjacent, perpetuo subesse, & subjectam remanere, atque subjacere volumus.

IV. Qui per ipsum tantum vel alium virum idoneum, ex ipsis tamen Fratribus Reformatis ab eo eligendum, eos juxta eorum primitivam Regulam & instituta Regularia visitare, reformare, corrigere & punire possit, in Monasteriis tamen domibus & locis eorundem Fratrum Reformatorum; extra quæ nullatenus dicti Fratres Reformati, vel aliqui eorum ab eodem Ministro Generali, quovis prætextu vel occasione amoveri, assignari, mutari, extrahi, aut transferri, vel ad alias Provincias mitti, aut in eis retineri possint, nec ipse Minister Generalis aliqua ejusdem Ordinis Fratrum Reformatorum statuta, auctoritate sedis Apostolicæ confirmata, seu confirmanda, vel quæ ipse nuncius nunc fecerit, vel quæ postea à quocunque Capitulo provinciali dictorum Reformatorum facta fuerint, si auctoritate nostra, ut dictum est, fuerint confirmata, mutare, nec aliquas gratias, exemptiones aut privilegia alicui vel aliquibus adversus ipsa statuta concedere valeat.

V. Quia vero non nulli præfati Fratres Reformati ex prædicto Ordine Regulæ modificatæ, quam professi olim fuerunt, sunt assumpti, volumus, & mandamus, ut his & aliis, qui, ut dictum est, ex conventibus laxioribus ad hos Reformatos in posterum recipientur, anni spatium concedatur loco probationis; intra quem, si qui præfati Instituti, vitæque austeritatem tolerare non possint, ad priores Conventus Regulæ modificatæ reverti liceat, etsi Reformati sibi minus expedire eorum societatem existimaverint, missos facere valeant; post annum vero elapsum (quod ad experimentum, periclitationémque, conceditur) sine nova professione, nulli Fratrum Reformatorum hujusmodi liceat ad alium præterquam Carthusianum, neque etiam sanctissimæ *Trinitatis* modificatæ Regulæ Ordinem absque Apostasiæ nota transire.

VI. Ut autem in hujusmodi Monasteriis ii tantummodo admittantur, qui ad opera supradictæ primitivæ Regulæ supportanda habiles, & idonii futuri sint, Dilecto Filio nostro & Apostolicæ sedis, in eisdem Hispaniarum Regnis nuncio, nunc & pro tempore existenti per præsentes committimus & mandamus, quatenus aliquem Religiosorum ex Fratribus Ordinis Discalceatorum Beatæ *Mariæ* de monte Carmelo, aut Discalceatorum S. Francisci, pietate, prudentia, doctrina, & experientia, ac inprimis Religionis zelo præstantem, quem ad hoc munus magis aptum & idoneum judicaverit, in Visitatorem præfatorum Fratrum Reformatorum personaliter visitare, & in singulorum Fratrum prædictorum, qui hujusmodi primitivæ Regulæ observantiam amplexi sunt, vitam, mores, & qualitates diligenter inquirat, ac eorum, quos vere arctioris vitæ zelo ductos, ad hanc primitivæ Regulæ normam transire judicaverit, professionem per eos (ut supra dictum est) emittendam recipere curet; cæteros vero, quos minus idoneos & aptos esse compererit, ut habitum Fratrum Reformatorum dimittant, & ex eorum domibus exeant, & ad modificatæ Regulæ prædictæ domus revertantur, Auctoritate nostra etiam sub excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis cogat, & compellat.

VII. Præterea idem nuncius cum Consilio prædicti Visitatoris, ac aliorum pio-

piorum & eruditorum Virorum dictorum Ordinum Discalceatorum Carmelitarum, aut Sancti Francisci, & etiam ex ipsismet Reformatis Sanctissimæ *Trinitatis*, Statuta & Constitutiones pro felici dictæ provinciæ Reformatorum, ejusque domorum & Monasteriorum Gubernio primitivæ Regulæ prædictæ, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non adversantes, auctoritate nostra faciat, & observari mandet.

VIII. Ministros insuper, Domorum Vicarios, & Magistros Novitiorum, tam ex prædictis Reformatis, si alioquin idonei fuerit, quam etiam in Supplementum, ex dictis Carmelitis, aut Sancti Francisci Discalceatis, prout felici hujus novæ provinciæ progressui in Domino magis expedire judicaverit, eadem Authoritate nostra eligat.

IX. Dantes & concedentes ejusdem nuncio & ab eo deputando Visitatori prædicto, aut alii, vel aliis, quos idem nuncius ad hoc semel vel iterum, ut præmittitur, duxerat deputandos respective, tam præmissa faciendi, quam etiam domos seu monasteria ejusdem primitivæ Regulæ exigendi, ac Ministris, seu aliis eorum Superioribus, ut eos, qui relicto sæculo ad prædictam Religionem confugere divina inspirante gratia statuerint, & alios, qui ex prædicto Ordine modificatæ Regulæ Sanctissimæ *Trinitatis*, aut ex aliis, laxioris tamen Regulæ Ordinibus, ad præfatum Reformatum Ordinem transire voluerint, servatis servandis admittere possint concedendi; dummodo quoad eos, qui ex aliis Ordinibus ad hunc transitum facere voluerint, major pars Vocalium domus, in qua recipiendi erunt, vota in illum consentiant, & Visitatoris prædicti licentia accedat, & nihilominus integrum novitiatus annum, prout alii de novo recipiendi, atque professionem emittant, perficiant.

X. Postquam autem benedicente Domino prædictorum Fratrum Reformatorum Ordinis Sanctissimæ *Trinitatis* numerus creverit, ita ut prædictorum exterorum Religiosorum auxilio non indigueriut, & octo saltem domos seu Monasteria habuerint, in quorum singulis duodecim saltem Fratres Reformati hujusmodi existant, prædictus nuncius eos ad Capitulum celebrandum convocari faciat, & in dicto Capitulo ipse præsideat, & tam Visitator, quam Ministri, & eorum Procuratores canonice electi, vocem & locum habeant, ac Ministrum Provincialem, cæterosque Ministros domorum ex eisdem Fratribus Reformatis, juxta præsentium tenorem & Regularia ejus Ordinis Instituta eligant.

XI. Ipse vero Minister Generalis primo electus, Auctoritate nostra prædicta, ea vice duntaxat ab ipso nuncio confirmetur, & tam ipse, quam ejus Successores eandem provinciam Fratrum Reformatorum salva semper Ministri Generalis tam in ipsam Provinciam, quam in eundemmet Ministrum Provincialem pro tempore eligendum, ut supra dictum est, Superioritate, ita ut visitandi, regendi, & gubernandi plenam & omnimodam habeat potestatem. Cæteri autem Ministri Provinciales pro tempore in Capitulis provincialibus, quæ de triennio in triennium, tam pro Statutis faciendis, moderandis, aut ea causa abrogandis, quam electionibus Superiorum, & aliis ad bonum regimen ejusdem provinciæ pertinentibus, faciendis & ordinandis, celebrari debeant, eligendi, à Ministro Generali confirmationem quamprimum petere, ac obtinere curabant, statim tamen ac electi fuerint, præfatam Authoritatem habeant, & exercere possint.

XII. Concedimus quoque eidem provinciæ, ut cum crescente numero domorum & Fratrum, prout supra dictum est, Provincialem elegerint, Procuratorem Generalem apud Sedem Apostolicam, pro ejusdem provinciæ negotiis tractandis deputare & perpetuo retinere valeant.

XIII. Præterea omnibus & singulis dictæ Provinciæ personis, nunc & pro tempore existentibus, quod omnibus & singulis privilegiis, gratiis, & indulgentiis, exemptionibus & immunitatibus, prærogativis, favoribus & indultis, tam Spiritualibus, quam temporalibus, quibus Fratres dicti Ordinis de jure vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, decretis Sacri Concilii Tridentini, Constitutionibus Apostolicis ac primitivæ Regulæ prædictis non contrariis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, indulgemus.

XIV. Inhibentes Ministro Generali Ordinis Sanctissimæ *Trinitatis*, Commissario Generali, Ministris Provincialibus & localibus, & aliis quibuscunque præfatæ Regulæ modificatæ, ne per se aut alios prædictos Reformatos ejusdem Ordinis aut etiam Visitato-

res prædictos, aut super præmissis quoquomodo molestare, seu inquietare audeant vel præsumant, etiamsi nondum professionem prædictam Regulæ primitivæ emiserint; Quod si secus fecerint, eos, & eorum singulos excommunicationis sententia; ipso facto incurrenda innodamus. Dicti vero Reformati, nullo modo parere aut deferre teneantur; salva tamen in reliquis obedientia, dicti Ministri Generalis, cui eos perpetuo subjectos esse, & subjacere volumus, ut dictum est.

XV. Decernentes præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu, etiam ex eo, quod omnes interesse habentes forsan vocati non fuerint, notari, argui, seu impugnari aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem sede emanatis, & in posterum emanandis comprehendi posse, sed illas semper validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri debere, sicque per quoscunque Judices & Commissarios, quavis Auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari & definiri debere; nec non irritum & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter & ignoranter contigerit attentari.

XVI. Quocirca Dilectis Filiis, nostro, & Apostolicæ sedis in Regnis Hispaniarum nuncio, nunc & pro tempore existenti & causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, nec non Generali Carmelitarum Discalceatorum nunc & pro tempore existenti, per præsentes mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, aut quoties pro parte Fratrum Reformatorum prædictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio, assistentes, faciant eos Auctoritate nostra præmissis omnibus & singulis, juxta præsentium continentiam & tenorem pacifici frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per Ministrum Generalem, aliosque prædictos quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia appellatione postposita compescendo. Nec non legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras & pœnas prædictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

XVII. Non obstantibus præmissis ac aliis Apostolicis, nec non in Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, ac etiam juramento, confirmatione Apostolica, & quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, præfatis vel quibusvis aliis personis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, & alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiam, si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, de indulto hujusmodi mentionem.

XVIII. Cæterum, quia difficile foret, earundem præsentium litterarum notitiam ad quascunque personas pervenire, & ubique illas præsentare, eadem authoritate volumus, & decernimus, quatenus transumptis earundem præsentium litterarum manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillatis eadem fides ubique tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Augusti 1599. Pontificatus nostri anno octavo.

Sed

Sed sicut non sine difficultate Bullam istam obtinuit Romæ, ita longè majoris molis erat in Hispaniis ejus executionem evincere. Patres enim Monasteriorum de Ronda & Bienparada non solum noluerunt obedire, sed redierunt ad Calceatos, qui hæc duo Monasteria vi occuparunt, tertium quoque de Valdenegnas similiter occupaturi, nisi obtitisset pactum cum Incolis loci initum de solis Discalceatis & Reformatis in illud admittendis. Hac igitur ratione anno 1600. *Ven. P. Joannes possessionem ejus init, ubi initium Reformationi dedit, quæ initio constabat hoc solo conventu. Interim Religiosi illi, qui prius deseruerunt hoc Monasterium, imo consenserunt, ut P. Joanni maneret; postmodum erubescentes suam nimiam in hac re conniventiam, statuerunt illud reoccupare; in quem finem veniunt hora decima noctis, inde Reformatos expulsuri; Cùmque domus ipsis perbene nota esset, facile ingressum inveniunt, statimque ad Cellam Reformatoris pergunt, qui ob strepitum eorum pedum subito cella egressus est ad videndum, quid rei ageretur: & Ecce! Tres aut quatuor istorum Religiosorum funibus instructi ad januam stant, in Virum DEI violentas mox manus injiciunt, sacristiam versus tanto impetu propellunt, ut humi prosterneretur: ibi ei manus à tergo ligant tanta violentia, ut genibus super ejus humeros positis brachiorum cutis revelleretur, sicque vinctum ducunt ad Cisternam plenam aqua demergendum. Sed ejus imbecillitatem considerantes timebant, ne forte ibi brevi moreretur: maluerunt igitur eum Custodiæ tradere cum alio Religioso. Tam horrido facinore vix completo sana eis ratio redit, culpam suam agnoscunt, metuentes sui facinoris molestas sequelas: Itaque inde, antequam dies illucesceret, recedunt, relictis imposterum Reformatis his Religiosis in quieta Monasterii sui possessione.*

Duorum annorum spatio aucta est hæc parva Congregatio quatuor novis Monasteriis, nempe in Socullamos, Alcala, Madrid, & Valladolid. Anno 1605. *Clemens VIII. cernens jam octo Monasteria hujus Reformationis, potestatem eis fecit eligendi Provincialem singulis trienniis juxta illud, quod in Bulla superius dictum, num.* 10. *Vi cujus permissionis primum Capitulum celebrarunt in Monasterio de Valladolid; ubi Pater Joannes Baptista electus fuit in Provincialem, qui erectis octodecim Monasteriis Reformatis mortuus est Corduba* 14. *Februarii anno* 1613. *eodem scilicet die, quo ante sedecim annos venit ad primum Monasterium Recollectionis. Ad ejus tumulum plurima quotidie fiunt miracula, tanquam signa certissima eminentis ejus sanctitatis.*

Paulus V. sua constitutione 59. *quæ incipit:* Ex debito Pastoralis &c. *anno* 1609. 24. *Decembris, ordinavit hujusmodi Ordinis Religiosis Ministrum eligere in Capitulo Provinciali, de triennio in triennium congregando; non autem posse particulares Conventus, seu particularium Conventuum Capituli procedere ad talem electionem. Cùmque dicta Congregatio admodum excreverit, in duas Provincias idem Pontifex distinxit, quarum unicuique Minister Provincialis præsit, & ambos Vicario Generali per sexennium duraturo subdit, alia sua Constitutione, quæ incipit:* In supremo &c. 14. *Augusti, anno* 1613. *ubi etiam ordinat, hunc Vicarium Generalem petere debere confirmationem suarum electionum à Ministro Generali totius Ordinis, cui subest. Item Constitutione* 50. *quæ incipit:* Ecclesiæ Catholicæ, &c. 15. *Decembris anno* 1609. *adscribit hos Fratres Reformatos inter Ordines Mendicantium, vultque Illos gaudere omnibus Mendicantium privilegiis. Denique Constit.* 51. *quæ incipit;* quæ pie, & sancte &c. 10. *Februarii* 1610. *confirmat, & approbat Constitutionem Clementis VIII. supra insertam; deinde obligat Fratres hujus Ordinis ad emittendum votum, videlicet directe, vel indirecte per se, aut per alios intra dictam Congregationem, prælationem prætendi prohibitam, nunquam prætensuros. Et pariter extra eandem Congregationem, neque directe, neque indirecte per se, aut per alios ullam prælationem prætensuros, aut oblatam acceptaturos, nisi præcepto ejus, qui eis præcipere poterit, astringantur. Quæ Constitutiones videantur in Bullario Romano Tom.* 3. *pag.* 277. *& seqq. Tandem anno* 1636. *Urbanus octavus eos penitus exemit à jurisdictione Generalis Ministri totius Ordinis, facta eis potestate eligendi pro sua Congregatione proprium Generalem, vide Bullarium Rom. Tom. V. pag.* 292.

Adaucto adhuc magis Monasteriorum in Hispania numero, divisa fuit Congregatio in tres Provincias, sub titulis Conceptionis, *sancti* Spiritus, & Transfigurationis. *Anno* 1686. *ex commendatione Cardinalis Denof obtinue-*

nuerunt à Joanne III. Poloniæ Rege Conventum Leopoli in Russia rubra, unde quædam alia Monasteria exorta sunt, fundata in diversis Poloniæ Provinciis, quæ simul constituunt quartam hujus Congregationis Provinciam, quæ deinceps protulit quintam in Germania, quò hæc Reformatio ex Polonia invecta est imperante Leopoldo primo, qui his Religiosis concessit Conventum Vindobonæ *seu* Viennæ Austriæ. *Inde propagata est in Hungariam & Bohemiam. Tandem Papa Clemens XI. sextam eis erexit Provinciam in Italia sub titulo* Joannis de Matha, *cui univit Conventus Taurinensem, Liburnensem, & Falconianum in* Provincia, *qui pertinebant ad Discalceatos Gallicos (de quibus pauca paulo infra) Idemque Pontifex eos submisit Generali Ministro Discalceatorum in Hispania per Breve* 20. *Novembris datum anno* 1705.

Ab anno 1688. *Religiosi hujus Congregationis redemerunt ultra duo Millia Captivorum. Idem Clemens XI. denuo obligavit hos Religiosos ad subeundum onus redimendi Captivos; quod Prædecessor ejus Innocentius XII. antea eis imposuit. Unde Pater Petrus à JESU Ordinis Procurator in Romana curia anno* 1701. *Tunis existens ibidem redemit Captivos centum quadraginta & unum, quos Romam introduxit, ubi hi Religiosi habent Conventum sub Titulo* S. Caroli ad quatuor fontes. *Fuerunt inter eos plures eminente virtute conspicui, quorum vitas conscripsit Pater Didacus à Matre DEI in annalibus hujus Congregationis, ubi etiam adducuntur eorum Scriptores. Pater Raphaël à S. Joanne antehac hujus Reformationis Minister Generalis conscripsit tractatum de electione Canonica, aliaque plura opera. Inter eos, qui sanctitate eminuerunt, erat Pater Michaël à Sanctis, qui mortuus est anno* 1625. *P. Joannes à S. Josepho, qui obiit anno* 1616. *& P. Thomas à S. Virgine, qui è vivis migravit anno* 1647. *quorum vitas scripsit P. Alfonsus de Andrada Societatis JESU. Primus Commissarius Generalis in Polonia erat P. Joannes à Nativitate, in Germania P. Josephus ab Angelis, & P. Michaël ab assumptione fundavit Collegium Presburgi.*

Eorum habitus est toga albi coloris cum Scapulari ejusdem panni, cui assuta est crux omnino simplex rubei & cærulei coloris cum Caputio affixo Mozetta; & incedunt nudipedes cum Sandaliis ligatis. Quando foras exeunt, aut ad chorum, superinduunt Caputium cum pallio canusini coloris.

Est & alia Congregatio Discalceatorum Trinitariorum in Gallia, quam reformavit Ven. P. Hieronymus Halies à sanctissimo Sacramento. Hic in Britannia minori natus, trigesimo tertio ætatis suæ anno, cognita sæculi vanitate Ordinem sanctissimæ Trinitatis *ingressus est, alteroque Religiosæ Professionis anno Ordinis Procurator Generalis factus, Romam missus est; ubi anno* 1601. *per Breve Apostolicum à Clemente VIII. Congregationis Confirmationem una cum Regulæ mitigatione obtinuit, in quo eodem Brevi ipse constitutus fuit primus Visitator, ut hoc medio Reformatio majores obtineret progressus In quem finem ardentissimi sui zeli omnes laxavit habenas. Nec in vanum; ipse enim non solum reformavit plura Monasteria in Gallia, in quibus Disciplina fuit nimium laxata, sed insuper plura alia nova erexit. Iterumque Romam missus cum Charactere Procuratoris Generalis, uti prius, ibi fundavit Conventum sub titulo S. Dionysii Areopagitæ, & à Paulo V. separationem Monasteriorum Reformatorum ab indisciplinatis obtinuit: suósque Reformatos Conventus in duas distinctas Provincias erigi procuravit, per Vicarium Generalem gubernandas.*

Sed hoc, utut insigni Reformationis suæ successu necdum plene satisfactum est zelo piissimi Patris Hieronymi à sanctissimo Sacramento, qui majores adhuc in ea progressus desiderabat; etsi enim magna in suis duabus Provinciis Reformatis exercerentur austeritates, longe tamen aberant Religiosi isti à perfecta observatione Regulæ primitivæ Ordinis; Idcirco totis viribus urgebat novam in Ordinem introduci Reformationem, in qua primitiva Regula perfecte ad litteram observaretur. Ea super re consulit Eminentissimum Cardinalem Baudini tunc temporis Ordinis Protectorem, qui hoc Ven. Servi DEI Consilium Gregorio Papæ XV. proposuit, qui Reformationem istam approbavit, jussitque expediri Breve 4. *Augusti anno* 1622. *vi cujus potestatem dedit ipsi piissimo Patri Hieronymo suæ Reformationi impigre insudandi. Ab eo tempore piissimus hic Religiosus nihil antiquius habuit, quam ut executioni mandaret, quod animo conceperat propositum. Quem in finem ut cæteris suis Fratribus proprio præiret*

vet exemplo, expresse professus est observantiam primitivæ Regulæ cum quibusdam aliis ejusdem zeli Religiosis in Conventu S. Dyonisii Romæ. Quo suo exemplo Religiosis Monasterii Aquensis in Provincia, sicut & Monasterii Chasteau-Briant in Britannia minori, ad idem faciendum persuasit; & ut Religiosi novellæ hujus Reformationis ducerent vitam pœnitentem, magisque conformem suo statui, exactæ primitivæ Regulæ observantiæ addidit austeritatem rudioris habitus, & nuditatem pedum: & ut tempestive obviaretur cunctis obstaculis, quibus omnis boni hostis satan impedire conatur progressum sanctarum Reformationum, suæ Reformationis Confirmationem petiit & obtinuit ab Urbano Papa VIII. qui eam anno 1629. per Breve Apostolicum 27. Septembris datum erexit in Provinciam separatam à cæteris, cum primum haberet competentem numerum Monasteriorum Litterarum Apostolicarum ipse Piissimus Pater Hieronymus volebat esse lator in Gallias, ut eas ibidem acceptari faceret; sed cùm à Generali Ordinis, tum à Religiosis duarum Provinciarum prius Reformatatum tanta objecta sunt impedimenta, ut iis superandis nemo alius minori virtute & constantia præditus, quam hic vir fuit, par fuisset. Præter obstacula plurima, quæ ipsi erant superanda, atrocissimas calumnias, & imposturas ipsi, Religiosisque Fratribus ejus injustissime impactas tanta tulit patientia, ut tandem de cunctis suæ Reformationis hostibus gloriose triumphaverit. Litteræ Erectionis relatæ erant in acta supremi senatus Parisiensis & Aquensis; & Sacra sedes insuper perpetuum silentium partibus oppositis imposuit, præcipue Generali Ordinis, qui erat præcipuus oppositionis, quia Litteræ erectionis nullam aliam ei jurisdictionem super Discalceatos Fratres concedebant, quam ut personaliter, vel saltem delegando aliquem Fratrem ex eadem ipsa Reformatione, & non alium sui loco. Vir DEI Pater Hieronymus, ut plenius instrueretur observantiâ primitivæ Regulæ Ordinis, profectus est in Hispaniam & apud Discalceatos Reformatos Madriti undecim Mensibus substitit, ubi omnes Austeritates, particularesque virtutes, & observantias ibi consuetas per continuam praxin didicit, introducendas postmodum in Conventus suæ Reformationis in Gallia. Cujus rei initium fecit in Monasterio Aquensi; ubi Novitios suscepit, quos suo Spiritu & fervore adeo replevit, ut virtutes, quibus postmodum floruerunt, plurimum contulerint ad Reformationis defensionem contra nova molimina ad eam denuo destruendam ab hostibus excogitata: Odore enim virtutum Religiosorum horum Virorum indies se magis magisque dilatante, fidelesque undique ædificante, impositum denuo cùm à Sacra sede Romæ, tum à Rege Parisiis silentium est Generali Ordinis, & Religiosis duarum Provinciarum prius Reformatarum. Superatis sic sua constantia cunctis Reformationis suæ impedimentis, Ven. Pater Hieronymus iterum electus fuit in Ministrum Conventus S. Dyonisii Romæ, ubi permansit per reliquum vitæ in continuis austeritatibus & mortificationibus, Fratres exemplo suo & exhortationibus ad exactam vitæ Regularis observantiam animans. Diem clausit supremum 30. Januarii anno 1637. ibique sepultus est. Aliquot post annis consentiente Cardinale Vicario, ad instantiam cujusdam Personæ altioris Considerationis, cui vivus prædixerat mortem unius Filiorum suorum, sepulchrum ejus apertum fuit, repertumque corpus adhuc integrum, & per nares recenti sanguine manans. Post ejus mortem Reformatio à Religiosis Filiis, quos sui Spiritus & fervoris hæredes reliquit, insigniter propagata fuit, erectis pluribus tum in Italia, tum in Gallia Monasteriis. Quædam quidem ex iis ob impossibilitatem in iis vivendi dereliquerunt. Quæ adhuc iis restant, sunt S. Dyonisii Romæ, Aquense in Provincia, de Seyne, du mont de saint Quiris pres de Brignolle, de la palud, lez Marseille, de Brignole, de Luc & de Marseille.

Habuerunt adhuc Monasteria Liburnense, Laurinense, & Falconianum, quæ fuerunt erecta in Provincia à Clemente Papa XI. anno 1705. & subjecta Generali Discalceatorum Hispaniæ, ut supra vidimus. Anno primum 1670. obtinuerunt numerum Conventuum per Bullam Urbani VIII. requisitorum ad formandam Provinciam separatam, quo eodem anno celebrarunt primum suum Capitulum Reformationis in forma debita, in præsentia Cardinalis Grimaldi Archiepiscopi Aquensis ad hoc à Clemente Papa X. designati.

Hi Trinitarii Discalceati reguntur per Vicarium Generalem, & quoad observantiam non multum differunt à Trinitariis Discalceatis Hispaniæ, eodemque fere cum illis utuntur habitu; præterquam quod Hispani, dum exeunt, pallium & Caputium habeant canusini, Galli verò coloris albi.

Jam unde digressi sumus, iterum revertamur ad Congregationem nempe Hispanam PP. Discalceatorum Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, cujus piissimi Instituti simul & Institutoris (ut reor) sufficientem, satisque exactam historicam notitiam synoptice ob lectorum oculos posuimus. Nunc sequitur ipsa

REGULA PRIMITIVA ET CONSTITUTIONES

PP. Discalceatorum, Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum, Congregationis Hispaniæ.

Juxta Exemplar Romæ impressum Anno 1738. Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.

HÆc Regula Primitiva Innocentii Papæ III. continentur reformata, & ultimis temporibus magis accomodata in sequenti Bulla Papæ Urbani VIII. Anno 1631. *septimo Kal. Octobris data, sicut & Constitutiones hodiernæ Ordinis constantes* 43. *Capitibus continentur in Bulla Clementis XII. die* 2. *Augusti* 1738. *data, quæ & paulo inferius habetur ad longum. Has Constitutiones excipiunt Præcepta quædam Ordinis numero decem & octo. Deinde Censuræ hujus Ordinis, ac demum Festivitates in ea celebrandæ.*

FRATER ANTONIUS A'CONCEPTIONE,

Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum, Major, ac Generalis Minister, universis suæ Religionis Regularibus Personis salutem, & in Spiritu Sancto consolationem exoptat.

VIguit semper, dilectissimi, in illis viris, in quibus zelus nostræ Religionis ardebat, ingens desiderium, ut ea elementa, Statuta, & Constitutiones, quibus facet noster Ordo subnititur, tale, tamque firmum subsidium à Sede Apostolica auspicarentur, ut pænitùs fixa, & immota permanerent, indeque diuturnitatis æternitatem emerent, undè cæterarum legum firmitas originem duxit. Et quidem quàm sincetè ad hanc metam omnium vota suspirabant, quilibet dignoscet, qui animum ad pensanda damna ex instabili rerum sede nascentia sine præjudicio adegerit, forsitan non improbavit experientia, & incommoda jàm imminentia pro futuro, licèt acerbo Magisterio, possent nos erudire. Equidèm si Leges, & Statuta, quibus semina maximè, & veluti fundamenta virtutis certa imagine in reliquum tempus mansuræ omnium animis insinuantur, crebris mutationibus turbentur, & singulis sexenniis, ne dicam trienniis, novum Disciplinæ specimen appareat, juxtà cujusque genii colorem elaboratum, numquàm sanè virtutum radices adolescent, & tam facilè intetibunt, quàm inseruntur, quin aliquandò in justam magnitudinem excrescant, quæ non damnabilis varietatis, sed virilis, & rigidæ constantiæ præmium est.

His ferrè omnibus libentèr parco, quia supervacaneum, ac permolestum duco omnia damna, quæ in mutandis legibus experiuntur, denuò retexere, cùm ea sint tam conspicua, & si plura, ut vel imperitioribus pateant. Non tamen omittam Præceptorem Angelicum 1. 2. quæst. 97. art. 2., ubi de mutatione legum differit, & postquàm ad illam impugnandam adducit illud Decretorum ex Nicolao Papa: *Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitùs à Patribus suscepimus, infringi patiamur*: in corpore articuli prosequitur: *Habet autem ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legum plurimùm valet consuetudo, in tantum, quod ea, quæ contrà communem consuetudinem fiunt, etiam si sint leviora de se, graviora videantur. Undè quandò mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, in quantùm tollitur consuetudo. Ideò nunquàm debet mutari lex humana, nisi quandò aliqua evidentissima utilitas ex novo Statuto provenit; vel ex eo quod lex consueta manifestam iniquitatem continet. Unde dicitur à Jurisperito, quòd in rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut rectè recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.* Sic D. Thomas: cui consonat Baldellus Theol. Moral. lib. 5. disput. 53. num. 4. ex Aristotele, per hæc verba: *Ex mutationibus legum possunt accidere plura incommoda, & communitèr accidit, ut multùm minuatur de vi obligativa, & constrictiva legis, cùm hæc plurimùm pendeat ex illius firmitate, & stabilitate;*

tate ; & ut habet Aristoteles secund. Politic. cap. 6. in fin. *Melius est, ut tollerentur quædam errata Legislatorum, & Magistratuum, quàm ut per crebras mutationes inducatur assuefactio legibus non parendi ; quia alioquin per multas mutationes parva fiet accessio utilitatis, & assuefactio legibus non parendi plus nocebit, quàm possit prodesse crebra correctio.* Ità Baldellus. Proh dolor ! Nescio, an aliquid horum intèr nos fuerit expertum ! Unum scio, ut reliqua omittam, nullam usque adeò extitisse prophanam adhùc Rempublicam, quæ à suis tabulis hanc labem abolere non curaverit.

Idcircò, statim ac Generalem Ordinis præfecturam, licèt indignus, inii, motus tùm ex universæ Religionis ferventibus studiis, in hanc unam vocem, veluti unico afflatu coeuntibus : tùm ex utilitatibus constanti, & fixo Regularis disciplinæ tenore exindè accrescentibus ; Tùm denique ex præscripto nostri Conventus Generalis, Torexione de Velasco anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo habiti, ad hoc opus peragendum, quantacumque potui cura, animum admovi. Utque totam negotii seriem faustior exitus exciperet, universas nostri Ordinis Constitutiones evolvere, digerere, & in exactum ordinem ex consilio, & assensu nostri Generalis Diffinitorii redigere curavi. Igitùr in hoc Consilio matura sedulitate tota res iterùm, atque iterùm seriò agitatur, quousque missis Romam earumdem Constitutionum exemplaribus, ibique ab Eminentissimis Sacræ Congregationis Regularium Præpositis iterato examine exploratis, & partim aliquibus temperatis, paucis additis, nonnullisque rejectis, in illam perfectionem evasit opus, ut nihilo jàm egeret, quàm Summi Pontificis, Christiani Orbis communis Patris approbatione. Integrum quinquennium versatam laboris molem ardua hujus negotii prolixitas protraxit, quo elapso, placuit tandèm supremo Numini, ut Sanctissimus Pater Clemens Christi D. in terris Vicarius, hujus nominis Decimus, easdem Constitutiones alii doctissimorum, & gravissimorum Virorum cœtui peculiaritèr ad id destinato remisserit, ab eisque post novam, & acrem discussionem approbatas, Sanctissimus Pater suo sacro diplomate, quod jàm V.V. R.R. offero, munire, & confirmare dignatus est. Sicque ultima lima operi est imposita.

Tàm benigno favore arduæ illæ curæ, & solicitudo, quæ nostros animos torquebant, veluti composita pace deferuerunt, & tandèm optatum finem, quem quinquennalis sudor quærebat, felici labore obtinuimus. Jàm ergò quod diù in votis fuit, possessione fruimur, præmiumque extat sanctissimæ ambitionis nostrarum legum firmitas, quæ ab illo asylo emanavit, à quo tam longè improbitas exulat, quàm ei innocentia est insita, & omnis regiminis sanctitas ingenita : ipsum fidei oraculum statuta nostra firmat, leges suo præsidio armat, ut quo observantia sacratior, despectus sit criminosior. Decus enim, Patres amantissimi, & ornamentum cujuscumque Religionis studium Regularum est : hæ sanè vel mortuis tabulis, vel tenui papyro traduntur, jacebuntque veluti æterna morte sepultæ, nisi virilis observantia quasi ex occultis sepulchri tenebris in lucem extrahat, & eas animet, in nostrosque mores earum vultus spirantes transmittat : hanc cupio, hanc ambio à nobis maximè exercendam, qui non solùm ob Discalceatorum titulum, sed etiam ob speciales nostræ Religionis austeritates severiùs in perfectionis culmen enitimur. Sin autem nostri actus ab instituto discrepent, tantò eminentius erit crimen, quantò status sublimior, ipsumque fastigium professionis sceleris enormitatum infelicibus incrementis augebit : quod non minùs animosè, quàm verè Salvianus lib. 4. de gubernat. Dei scripsit ; *Criminosior enim culpa est, ubi honestior est status ; si honoratior est persona peccantis, peccati quoque major invidia.* Hanc maculam à Religionis candore arcet legis honestas, & ne in ejus membra redundet, privata observantia evitat. Reliquum ergò est, dilectissimi, ut ad legis mensuram nostri exprimantur mores, quæ licèt sincera sit, hoc dumtaxàt corrumpitur, nempè flagitio peccantis. Absolvant hanc cartam aurea ejusdem Salviani verba ubi supra. *Nihil utique nobis prodest, quod lex est bona : lex enim bona maneriæ est Christi, vita autem non bona criminis nostri, imò hoc magis culpabiles sumus, si legem bonam colimus, & mali cultores sumus ; quin potiùs, nec cultores, si mali ; quia cultor non potest dici malus cultor.* Hactenus ille, nec nos ultrà. Valete.

Bulla felicis recordationis Urbani PP. VIII. continens Regulam primitivam Fratrum Discalceatorum, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAlutaribus Apostoli monitis memores vinctorum, tamquàm simul vincti, & laborantium, tamquàm in eodem corpore morantes, intèr alia, quæ pro Pastoralis Officii nostri vigilantia, animum nostrum solicitant, ac in partes varias distrahunt, pro diversis videlicèt curis, & necessitatibus sponsæ Christi Ecclesiæ, cujus regimini Divina dispositione, licèt immeriti, præsidemus in terris, cùm intollerabilem Christianorum Captivorum, qui sub catenis Barbarorum miserabilitèr lugent, calamitatem, & deplorandam miseriam, ex multorum lacrymis audimus, diligentiùsque animo ponderamus, non solùm de corporali illorum servitute, sed quod magis nos afficit, & pro remedio vehementiùs urget, illos non tàm Barbarorum minis, & crudelitate, quàm sæpiùs ex desperatione se à vinculis aliquandò eximendi, aut certè blanditiis, & adulteræ libertatis fallacia, apostasiæ periculis expositos; quin imò plures priscis temporibus, ut servitutis jugum excuterent, à Catholica Fide ad perditionem suam defecisse, quos deindè Christiana Respublica infensissimos habuit hostes; proptereàque cùm gregis nostri oves, quarum animæ adhùc servantur, à similibus periculis, & calamitatibus eripiendi, & ad asylum reducendi occasio à nobis potest arripi, ultrò illam amplectimur, & plurium Prædecessorum nostrorum exemplis, ac multorum Christi-Fidelium, æterni Patris benedictionem pro misericordiæ operibus expectantium devotione commoti, in tàm pium opus, quod cæteris misericordiæ operibus antecedit, & in quo ferè alia omnia quasi per compendium exercentur, eò efficaciùs animum intendimus, quo nos Religiosorum Redemptionis, & salutaribus ministeriis Captivorum, ex peculiari instituto, in sua nihilominùs paupertate accinctorum ardens Charitas, ac probata sese offert vigilantia, & indefessus fervor promittitur, fidelis quoque jàm per diutinam experientiam ultrò nobis exhibetur diligentia. Propterea-que, ut hujusmodi Ministrorum Religiosorum charitas in tanta Captivorum necessitate fructuosiùs exerceatur, & nihilominùs eorum conversatio per contemplationem à cælestium meditatione non distrahatur, Regularem normam pridèm illis, etiam à Prædecessoribus nostris traditam, & à nobis reformatam, sub qua agere, & contemplari, nec non Redemptioni, aliisque ministeriis Christianorum Captivorum, validè insistere possint, adhùc in meliùs libentèr digerimus, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, in Domino conspicimus salubriter expedire. Nupèr siquidem postquàm felicis recordationis Innocentius Papa III. Prædecessor noster Regulam, juxtà quam Minister major, sivè Generalis, & Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum vivere deberent, sub certis modo, & forma tunc expressis, ac Regulæ ipsius toto inserto tenore concesserat, eamque illibatam perpetuò manere sanciverat, & postmodùm piæ memoriæ Paulus Papa V. etiam Prædecessor noster per eum accepto, quod di-

dilecti Filii Fratres Discalceati nuncupati ejusdem Ordinis primitivam Regulam in litteris ejusdem Innocentii Papæ insertam , Spiritus Sancti inspiratione , ad Captivorum Redemptionem potissimùm constitutam , & ab ipso Innocentio Prædecessore , ut suprà, stabilitam, atque pridèm à recolendæ memoriæ Clemente Papa VIII. similitèr Prædecessore nostro , in Regnis Hispaniarum , ubi enervata , & ferè collapsa erat , restitutam , piè suscepissent , & expressè profiterentur , & pro hujus laudabilis eorum instituti feliciori directione , atque progressu operæ pretium esset , ut nonnulli ejusdem primitivæ Regulæ articuli ad meliorem , seù saltèm Divinæ Majestati æquè gratam , & acceptum , Personarumque Regularium statui , & profectui magis convenientem formam opportuno Sedis Apostolicæ ministerio reducerentur, ac aliis certis causis adductus , primitivam Regulam hujusmodi , sub certis modo , & forma tunc expressis , stabiliverat. Nos cum pro bono , & felici eorumdem Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis gubernio conveniens in Domino fore judicavissemus , ut Regula hujusmodi à dicto Paulo Prædecessore , sicùt præfertur, stabilita, adhuc in aliquibus partibus reformaretur , ac juxtà Regulæ sic reformatæ hujusmodi observantiam, iidem Fratres Discalceati , deinceps perpetuis futuris temporibus Altissimo famularentur , votaque sua in spiritu humilitatis exolverent, negotio hujusmodi de mandato nostro, & à personis à nobis ad id specialitèr deputatis , tunc diligentèr discusso , & examinato , pios Fratrum Discalceatorum hujusmodi in Vinea Domini progressus plurimùm in Domino commendantes , motu nostro proprio , & ex certa scientia nostra , deque Apostolicæ potestatis plenitudine Regulam præfatam , sub certis modo , & forma tunc expressis , normaque in nostris desupèr confectis lirreris inserta , duximus reformandam, & stabiliendam, volentes, & mandantes Regulam præfatam sic per Nos , ut supra , reformatam , & stabilitam, perpetuis futuris temporibus , ab omnibus , & singulis Fratribus Discalceatis prædictis , tamquàm primitivam eorum Regulam profiteri , & inviolabilitèr observari debere , prout in singulis ipsorum Innocentii, Clementis, & Pauli Prædecessorum, ac nostris desuper confectis litteris pleniùs continetur. Volentes itaque nunc pro meliori adhùc ipsorum Religiosorum directione , ac Regulæ dictæ reformationis observantia perfectissima , pios Fratrum Discalceatorum in eadem Vinea Domini progressus , quantùm nobis ex alto conceditur, magis, ac magis confovere , ac promovere , singularum litterarum , ac reformationum prædictarum , tenores etiam veriores , ac datarum præsentibus pro insertis habentes , nec non singulares Personas Fratrum Discalceatorum hujusmodi à quibusvis excommunicationis , suspensionis , & interdicti , aliisque Ecclesiasticis sententiis , censuris , & pœnis à jure , vèl ab homine , quavis occasione , vèl causa latis , si quibus quomodolibet innodati existunt , ad effectum præsentium dumtaxàt consequendum harum serie absolventes , & absolutos fore censentes , motu , scientia , ac potestatis plenitudine similibus , ac ex voto Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium , negotiis Regularium præpositorum , Regulam præfatam adhùc in meliùs digestam , & ordinatam , ut infrà , duximus reformandam , & stabiliendam , ac perficiendam , videlicèt.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

CAP. I. FRatres Discalceati, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, sub obedientia Prælati Domus suæ, qui Minister vocabitur, in castitate, & sine proprio vivant.

C. 2. Omnes res undecumque licitè veniant, in tres partes dividant æquales, & in quantum duæ partes sufficient, exequantur ex illis opera misericordiæ, cum sui ipsorum, & eis necessariò famulantium moderata sustentatione. Tertia verò pars reservetur ad Redemptionem Captivorum, qui sunt incarcerati pro Fide Christi à Paganis, vel dato pretio rationabili pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione Paganorum Captivorum, ut postea rationabili commutatione, & bona fide, redimatur Christianus pro Pagano, secundum merita, & statum personarum. Cùm verò pecunia data fuerit, vel aliquid aliud, licèt specialitèr, & propriè detur ad aliquid, sempèr tertia pars separetur; exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificiis, nutrituris, & similibus. Fructus enim indè exeuntes, deductis expensis, scilicèt medietate remota pro expensis, in tres partes dividantur æquales: sed quæ paucas, vel nullas recipiunt expensas, omnes dividantur. Cùm verò panni rudes, vel sandalia, vel minuta hujusmodi, quibus necesse sit uti, quæ vendi, vel conservari non expedit, data fuerint, vel à se ipsis habuerint, non dividantur, nisi Ministro Domus, & Fratribus visum fuerit expedire: de quibus singulis Dominicis diebus, si fieri possit, in Capitulo deliberetur. Si tamèn prædicta, ut panni, terræ, nutrituræ, seu minuta vendantur, pretium indè proveniens in tres partes, ut suprà, dividatur. Cùm verò Fratres in itinere, sive peregrinatione fuerint, si quid eis datum fuerit, inde vivant, & residuum in tres partes dividant. Tamen si fuerint in via profecti ad redimendos Captivos, quidquid eis datum fuerit, totum debent ponere in Redemptione Captivorum, prætèr expensas.

C. 3. Omnes Ecclesiæ istius Ordinis intitulentur nomine Sanctæ Trinitatis, & sint plani operis.

C. 4. Fratres debent esse in una cohabitatione saltèm duodecim, & prætereà unus, qui Minister nominetur, cui Fratres repromittere, ac impendere obedientiam teneantur.

C. 5. Omnibus Fratribus suis, sicùt sibimet, Minister fideliter administret.

C. 6. Vestimenta sint lanea, & alba, excepta cappa, quæ erit fusci coloris; possintque deferre brachas ex lino rudi, quas jacentes non deponant.

C. 7. Jaceant in laneis, ità quod plumea fulcra, vel culcitras, nisi in ægritudine laborantes, in Domibus propriis minimè habeant. Cervical verò ad sustentationem capitis permittantur habere.

C. 8. In cappis, & scapulariis Fratrum imponantur signa Crucis, rubei, & cerulei coloris.

C. 9. In rasura Ordinem Sancti Victoris sequantur Clerici, Laici verò barbas non radant, sed eas crescere modestè permittant.

C. 10. Asinos, sivè mulos liceat eis ascendere: equos verò tantùm, cùm necessitas urgere videatur.

C. 11. In Regularibus Horis morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ observent.

C. 12. Omnibus secundis feriis, præterquàm in octavis Pascatis, & Pentecostes, & Nativitatis Domini, ac Circumcisionis, & Epiphaniæ, & præterquàm in Festivitatibus Ordinis, & quæ ad colendum pronunciantur, finita Missa pro Fidelibus, fiat absolutio Fidelium Defunctorum.

C. 13. Singulis diebus (si fieri possit) in qualibet Domo, ad minùs per duas horas interpellatas, communis fiat ad Deum mentalis oratio.

C. 14. Singulis quoque noctibus pro Statu, & pace Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac totius Reipublicæ Christianæ, necnon pro Captivis, & Benefactoribus, & his, pro quibus Universalis Ecclesia consuevit orare, communis fiat vocalis oratio.

C. 15. Jejunent ab Idibus Septembris omnibus feriis secundis, quartis, & sextis, ac diebus Sabbati, usque ad Pascha, nisi solemnis Festivatis intervenerit; sic tamèn, ut ab Adventu Domini usque ad Nativitatem Dominicam, & à quinquagesima usque ad Pascha, singulis diebus, exceptis Dominicis, in cibo

cibo Quadragesimali jejunent : & alia similitèr jejunia, quæ consuevit Ecclesia celebrare. Possit tamèn quandóque Minister jejunium cum discretione relaxare propter ætatem, seù itinerationem, aut aliam justam causam, vel facultate inspecta, etiàm augmentare.

C. 16. Carnibus vesci liceat tantùm in Dominicis diebus, à Paschate usque ad Adventum Domini, & à Natali usque ad Septuagesimam, ac in Nativitate, Epiphania, & Ascensione Domini, necnon Assumptione, & Purificatione Beatæ Mariæ, & in Festivitate omnium Sanctorum; atque etiam in infirmitate, cum licentia tamèn sui Ministri.

C. 17. Possint emere ad suum victum, quidquid fuerit necessarium, ex his, quibus vesci licet.

C. 18. Vinum sumendum à Fratribus, talitèr temperetur, ut sobriè sumi valeat.

C. 19. In Civitatibus, in Villis, sivè Castellis, in quibus proprias Domos habuerint, nihil omninò extrà Domos illas, nisi fortè in Domo Religionis, etiamsi à quovis rogentur, comedant, vel bibant, nisi fortè aquam in Domibus honestis: nec pernoctare præsumant extrà hujusmodi Domos.

C. 20. Numquám in Tabernis, vel in hujusmodi locis inhonestis habitent, comedant, vel bibant: qui antèm hoc præsumpserit, juxtà arbitrium Ministri, gravi vindictæ subjaceat.

C. 21. Talis sit Charitas intèr Fratres, Clericos, & Laicos, ut eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio, & eadem mensa utantur.

C. 22. Infirmi seorsùm dormiant, & comedant ad quorum curam habendam, Conversus aliquis Laicus, sivè Clericus deputetur, qui ea, quæ necessaria fuerint, inquirat, & ministret, sicùt fuerit ministrandum. Moneantur tamèn infirmi, ut lauta, sivè nimium sumptuosa cibaria non requirant, commoda potiùs, & salubri moderatione contenti.

C. 23. Si qui Religiosi ad hospitandum advenerint, benignè suscipiantur, & charitas juxtà posse Domus illis subministretur. Et ideò cura eorum uni de discretioribus, & benignioribus Fratribus injungatur, qui audiat eos, & ut expedire viderit, charitatis solatium administret. Ad lauta, & sumptuosa cibaria non opportet quemquam admitti. Quæcumque tamèn præstanda sunt, cum hilaritate præstentur.

C. 24. Nullus Frater Laicus, sivè Clericus sit, si fieri possit, sine proprio officio. Si quis verò laborare noluerit, & potuerit, locum ipsum deserere compellatur, cùm Apostolus dicat: *Qui non laborat, non manducet.*

C. 25. Silentium observent semper in Ecclesia sua, semper in refectorio, semper in dormitorio. De necessariis tamèn liceat loqui in aliis locis, temporibus aptis, submissa voce, humilitèr, & honestè. Et extrà prædicta loca ubique sermo eorum sit honestus, & sine scandalo: similitèr, & eorum omnis status, gestus, vita, actio, & omnia alia honesta in eis reperiantur.

C. 26. Juramenta non faciant, nisi magna necessitate, cum licentia Ministri, vèl jussi ab aliquo vices Apostolicas gerente: & hoc pro honesta, & justa causa.

C. 27. Pignora non accipiant. Depositum auri, vèl argenti, vèl pecuniæ non liceat eis suscipere.

C. 28. Si quod vitium in re, quæ venditur, notum fuerit, indicetur emptori.

C. 29. Capitulum, si fieri possit singulis Dominicis diebus, in singulis Domibus Minister cum Fratribus suis teneat, & de negotiis Domus, & Domui, sivè Fratribus datis, ut ad Redemptionem Captivorum tertia pars deputetur, Fratres Ministro, & Minister Fratribus, rationem fidelitèr reddant.

C. 30. Non solùm Fratribus, sed & Familiæ Domus, pro capacitate sua, similitèr singulis Dominicis diebus, si fieri possit, exhortatio fiat, & quod credere, aut agere debeant, simplicitèr moneantur.

C. 31. De omnibus rebus, & clamoribus Fratres in Capitulo judicentur.

C. 32. Nullus Fratrum Fratrem suum in publico accuset, nisi benè possit probare. Qui autem hoc fecerit, pœnam subeat, quam Reus subiret, si convinci potuisset, nisi Minister ex causa cum eo dispensare voluerit.

C. 33. Si qui scandalum, vel aliquid hujusmodi fecerint, vel (quod absit) se invicèm percusserint, juxtà arbitrium Ministri, majori, vel minori vindictæ subjaceant.

C. 34. Si quis Frater in Fratrem peccaverit (ideSt contrà Fratrem) idem eo solo sciente; qui injuriam passus est, sustineat patienter, licèt sit innocens, & cùm quieverit commotio animorum, benignè, & fraternè commoneat, ac corripiat eum usque ter, inter se, & ipsum solum, & pœnitentiam agere de commisso, & à similibus inposterùm abs-

stinere : quod si non audierit, dicat Ministro, & ille corripiat eum secretò, secundùm quod viderit saluti ejus expedire. Qui verò scandalum movit, si per se emendare voluerit, totum ante pedes scandalizati, petens veniam se extendat, & si semèl non sufficit, usque ter illud idem faciat. Si verò hoc in publicum venerit, quæcumque secutura fuerit pœnitentia, hæc sit prior, scilicèt ante pedes Ministri, petendo veniam, totius corporis extensio, & posteà secundùm ejus arbitrium emendetur.

C. 35. Si pro necessitate Domus debitum aliquod fuerit contrahendum, priùs in Capitulo Fratribus proponatur, & cum eorum fiat consilio, & assensu, ut sic suspiciones, & murmurationes evitentur.

C. 36. Si quisquam de substantia Domus violentiam fecerit, & ad Judicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quam charitativè ille à Fratribus primò, post ab aliis vicinis similiter moneatur.

C. 37. Sollicitè verò Minister provideat, ut præcepta Regulæ, sicut cæteri Fratres, per omnia teneat.

C. 38. Non liceat Superioribus confessiones Subditorum audire, nisi quandò peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet Subditi spontè, & proprio motu id ab ipsis petierint. Superiores in singulis Domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro Subditorum numero majori, vel minori; iique sint docti, prudentes, & charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis Confessarius judicaverit.

C. 39. Generale Capitulum de triennio in triennium celebretur, Sabbatho (si fieri possit) antè quartam Dominicam post Pascha.

C. 40. Electio majoris, ac Generalis Ministri de sexennio in sexennium in Capitulo Generali per secreta suffragia, juxtà Concilium, fiat. Electiones verò Diffinitorum Generalium, Ministrorum Provincialium, & Conventualium, de triennio in triennium in Capitulo Generali similiter canonice fiant: & eligantur, non secundùm dignitatem generis, sed secundùm vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Minister verò, sivè major Generalis, sive Provincialis, sive Conventualis, Sacerdos sit.

C. 41. Postquàm verò Diffinitores Generales, & Ministri Provinciales, & Conventuales, electi fuerint, si ex culpa deponi meruerint, per Diffinitorium Generale deponantur, & alii, qui digni sint, ab eodem Diffinitorio, loco eorum subrogentur. Quod similiter fiat, si extrà Capitulum aliqua istorum electio facienda occurrat, mortis, renuntiationis, aut alia quavis causa. Major verò, ac Generalis Minister, si pro excessibus corrigendus, vel deponendus sit, per Diffinitores Generales, & quatuor, vel quinque Ministros ejusdem Ordinis magis Religiosos hoc fiat: qui tamen auctoritate Capituli Generalis ad hoc eligi debent.

C. 42. Si quis hujus Ordinis Frater esse voluerit; si bonum, & conveniens videatur Ministro Domus, & Fratribus, & illi locus vacaverit, recipiatur. Nihil tamen pro receptione sua exigatur. Si quid tamen gratis dederit, recipiatur, dum tamen tale sit, de quo non videatur Ecclesiæ litigium imminere. Si durante anno probationis, ipsum ad Regularis disciplinæ observantiam minùs idoneum reperiri, aut alias vitæ, morumque probitatem ei non suffragari contingat, inde modeste dimittatur, & amoveatur, restitutis omnibus, quæ secum forsan attulerat.

C. 43. Ad professionem verò aliquis non recipiatur ante decimum sextum annum expletum, & peracto integro probationis anno. Si verò ex aliqua legitima causa prolixior probatio requiri videatur, liceat Superiori annum probationis ad aliquod breve tempus prorogare.

Cæterùm volumus, & mandamus, Regulam sic per præsentes, ut suprà, novissimè reformatam, & stabilitam, atque ad perfectiorem formam redactam, prout eisdem præsentibus inseritur, de cætero perpetuis futuris temporibus, ab omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis, prædictis, tamquàm primitivam eorum Regulam profiteri, ac inviolabiliter observari, ac irritum decernimus, & inane, quidquid se-

secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus prædictis Innocentii, & Clementis, ac Pauli, & nostris, ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, litterisque præmissis, per præsentes nostras litteras, ut suprà, stabilitis, quomodolibet obstent, seu obstare videantur, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dicti Ordinis, etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis illi, illiusque Superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel specie, etiam motu, & scientia similibus, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium forsan, quomodolibet concessis, & approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum huic inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè, hac vice specialiter, & expresse, motu, & scientia paribus, earumdem tenore præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium exemplis, seu transumptis etiam impressis, & alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo, & Notarii publici manu obsignatis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, reductionis, stabilitionis, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo trigesimo primo, septimo Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno IX.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter Religiosorum Ordinum Instituta in Militantis Ecclesiæ procuratione à Pastorum Principe JEsu Christo infirmitati nostræ demandata magno cum Christianæ Reipublicæ commodo, Divini cultus incremento, & Animarum salute per assidua pietatis, charitatisque officia in opus Apostolici ministerii nostri alia aliis temporibus altissimo Divinæ providentiæ consilio adscita, salutaribus Apostolici monitis memores vinctorum, tanquam simul vincti, & laborantium, tanquam in eodem corpore morantes Ordinem Dilectorum Filiorum Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum, qui pro luctandis, redimendisque Fratribus suis sub catenis Barbarorum in aperto, aut Catholicæ Fidei ejurandæ, aut vitam miserè finiendi discrimine versantibus animas ponere alacres non verentur, præcipuis paternæ, Pontificiæque benevolentiæ studiis semper complexi sumus. Ea propter illa, quæ pro felici, prosperoque eorumdem regimine, debitaque tam arctioris disciplinæ observantia, alias disposita, & ordinata non nullis evidentissima utilitate correctionibus, & emendationibus indigentia, piè, prudenterque emendanda, & corrigenda esse dignoscuntur, cum emendata, & correcta, atque maturo examine in melius digesta, & comproba-

ta, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis præsidio corroborari à Nobis petitur, libentèr confirmare, & perpetua stabilita communire satagimus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis præfati Ordinis, quod ipse aliàs de mandato nostro ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam supplicem obtulit libellum tenoris qui sequitur; videlicet - - Eminentissimi, & Reverendissimi Domini. Religio Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, ut constat ex decretis Capitulorum Generalium, necnon Diffinitorii Generalis, vehementer desiderat, sub uno diplomate à Sancta Sede confirmari, & ad vitandam confusionem sub uno Codice imprimendas, uniendasque esse suas Constitutiones: Quarum nonnullæ dio observantur, & confirmatæ sunt à fel. rec. Clemente X. Cæteræ autem, quas Diffinitorium Generale crebro studio, & quotidiana meditatione præmissis, integroque quotidianis sessionibus anno statuit, vi Brevis piæ mem. Benedicti XIII. qui die XXVI. Februarij anni MDCCXXVIII. per suas litteras concessit Capitulo Generali proximè celebrando, & deindè Diffinitorio Generali facultatem condendi Leges, seu Constitutiones ad uniforme gubernium Generale Ordinis, & Provinciarum expectantes. Istarum autem aliæ sunt pro gubernio Provinciarum confirmatæ die XI. Septembris anni MDCCXXX. à Sanctissimo Domino Nostro Clemente XII. feliciter regnante, & aliæ ad gubernium totius Religionis ab eodem Sanctissimo Domino Nostro sub die X. Decembris anni MDCCXXXIII. Cæterum quia ex determinatis ab illo Diffinitorio paucæ remanent, quæ adhuc non sunt propositæ ad confirmationem illarum consequendam, quas Capitulum Generale celebratum Compluti anno MDCCXXXIV. approbavit, & ex decreto illius, novum Diffinitorium subsequens revidit, & approbavit etiam, & utrumque per sua decreta curavit, & confirmationem petendam esse à Sancta Sede præcepit Procuratori Generali. Quare ipse Procurator Generalis humilitèr supplicat EE. VV. quatenùs dignentur deputare Eminentissimum Ponentem hujus Causæ ad hoc, ut referat huic Sac. Congregationi justitiam hujus Causæ, & de gratia quam Deus &c. Constitutiones de quibus agitur sunt, quæ sequuntur, videlicet.

Constitutiones Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniæ.

REGULÆ CAPUT I.

Fratres Discalceati Ordinis Sanctissimæ Trinitatis &c.

CAPUT I.

De tribus Votis essentialibus, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis, ac de quarto non ambiendi.

§. I.

De Voto Obedientiæ.

1. Sine obedientia nulla Gubernatio, nullumque Regimen potest stare, quià integra potestas, & authoritas Superiorum à Subditorum submissa voluntate dependet. Sed nostræ Congregationis Fratres intelligant, quod obedientia tunc erit Hominibus dulcis, Deoque acceptabilis, si non trepidè, non tarde, neque tepidè, aut cum murmore, vel cum responsione nolentis efficiatur, quia obedientia cum Majoribus præbetur, ipsi exhibetur Deo, dicenti, *qui vos audit, me audit.*

2. Cæterum volumus, & declaramus, ut Constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam læthalem, aùt venialem, sed ad pœnam, nisi propter Præceptum, vel contemptum.

3. Præceptum autem nullum intelligi volumus, nisi quod spectat ad tria vota essentialia, & quartum non ambiendi in Clericis, & non transeundi ad statum Clericalem, & Sacros Ordines in Laicis, vel quod in his Constitutionibus, vel à Superioribus præcipitur, sub pœna Excommunicationis, vel in virtute Sanctæ Obedientiæ. Transgressionem verò, vel omissionem aliorum, secluso contemptu, nolumus obligare nisi ad pœnam impositam, vel à Superioribus pro eorum prudenti arbitrio imponendam.

4. Quod

4. Quod si aliquis (quod DEUS avertat) quoad reverentiam Superiori debitam in re gravi deliquerit, cæteri Religiosi diligentèr, sub pœna gravis culpæ, curent, ut Reus severè puniatur: nullaque culpa irreverentiæ ergà Superiorem, quantumvis levis, impunita maneat.

5. Si aliquis Religiosus coram Superiore alicui præcepto, quantumvis simplici (præcepta enim simplicia pertinent ad vitam Monasticam, cujus gubernium impossibile est solum per præcepta formalia) non obedierit, & suam inobedientiam mordicus, & pertinacitèr defenderit, continuo incarceretur, tamquam contumax, & rebellis, & voce activa, ac loco privatus sit pro tempore culpæ proportionato ad arbitrium Ministri. Et eadem pœna mulctentur, qui contrà Superiores insurrexerint, istorum officia usurpantes, vel eorum executionem impedientes.

6. Ille verò, qui murmurando, vel dissentiendo, gestu, voce, aut scripto Prælatorum ordinationes cum spretu non adimpleverit, pro prima vice jejunet in pane, & aqua tantum; pro secunda eadem pœna duplicetur; pro tertia, in qua jam aliqua consuetudo, vel illius suboritur aliqua suspicio, incarceretur, usque dum resipiscens coram Communitate reum agat, & ad Prælati pedes, petendo veniam emendationem Deo, ac ipsi Communitati promittat.

7. Religiosi nil omninò agant sine licentia Superioris; præsertim, absque illa, cum Extraneis non loquantur, nec scribant, nec recipiant litteras, quin priùs illas manifestent Superiori, qui eas legat, & curet, ne scribantur, nec recipiantur, quæ convenientes non fuerint. Poterunt tamen sine licentia ad suos Prælatos Superiores, & ad quoscumque Diffinitores scribere, atque illorum litteras accipere.

8. Si Subditus aliquis aperuerit, vel non tradiderit litteras Superioris Generalis, cujuscumque Diffinitoris Generalis, vel Provincialis, vel suorum Ministrorum Provincialium, vel Conventualium, vel illas, quæ ad ipsos mittuntur, sit in carceratus, & voce, ac loco privatus pro tempore culpæ proportionato. Si verò delinquens Prælatus fuerit, sit suspensus à suo officio per quatuor menses. Quod si aliquis inferiior aperuerit, vel non tradiderit litteras, quas quilibet Religiosus alteri mittit, pœna culpæ gravis puniatur, & eadem pœna mulctetur etiàm quilibet Prælatus, qui litteras sibi non Subditorum aperuerit.

§. II.

De Voto Castitatis.

1. CAstitatis virtus Angelorum est æmula, & Religiosorum propriissima quoque, ad quam perfectissimè custodiendam, præ oculis habere debent illud monitum Regulæ præcipientis, quod omnis status, gestus, vita, actio, & omnia alia honesta in eis reperiantur. Cæterùm, si (quod Deus avertat) aliquis Religiosus contra Castitatem deliquerit, & de eo convictus fuerit, incarceretur per sex menses, jejunet, & flagelletur arbitrio Superioris, attenta gravitate delicti, & per spatium unius anni privatus sit Officio, voce, & loco. Quod si delictum publicum fuerit apud Sæculares, disciplina conventuali flagelletur, ac per integrum annum in carcere sit, & voce, ac loco per triennium careat. Si autem in simile peccatum relabatur, prædicta pœna duplicetur.

2. Quoniam autem de hujusmodi delictis plena probatio rarò fieri valeat, præcipimus Prælatis, ut Religioso de prædictis diffamato, nisi famam suam priùs ita purgaverit, ut nullum sinistræ de se opinioni locum reliquisse videatur (quod quidem pro timorata eorum conscientia, atque prudentia judicabunt) honores denegent, & gratias, quæ aliis concedi solent, videlicet officia, studia, Ordines, lecturas, facultates concionandi, & confessiones audiendi, & à Conventu exeundi &c. Patrumque Provincialium, ac Ministrorum conscientias oneramus, ut specialem curam similium Religiosorum habeant.

§. III.

De Voto Paupertatis.

1. AD Paupertatis Votum spectat, nil tamquàm proprium, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere. Quare, qui secus fecerit vel aliquid custodiendo intrà, vel extrà Domum Prælato celaverit, tamquàm gravissimè delinquens, pœna proprietarii, ac aliis ad arbitrium Superiorum puniatur. Poterunt tamen Religiosi, uti rebus necessariis sibi à Religione medio Superiore impertitis. De his autem, sive eorum usu renunciationem, ante receptionem Sacræ Eucharistiæ, pro casu infirmitatis coram suo Prælato faciant infirmi; alioquin si aliter malitiosè fecerint, tamquam Proprietarii reputentur post mortem. Nullus prætereà, quamvis sit Prælatus extrà Conventum reservet aliquid

quid sub eadem Proprietarii pœna. Quod si aliquis inventus fuerit habere pecunias sine licentia, etiamsi illas habeat ad emendum aliquid sibi commissum, vel ad faciendam aliquam restitutionem, vel per modum depositi, sive alio quovis prætextu, pœna gravi afficiatur. Religiosus verò, qui sine licentia Prælati, aut expressa permissione utentis, sibi sumpserit rem aliquam ex illis, quas sibi ad usum habuerit alter, severe puniatur à Prælato. Sciant enim Religiosi, quod cuncta nostra sunt, sed non semper, & quandocumque, & cum quisque voluerit, sed tunc nostra, cum à Prælato conceduntur ad usum.

2. Quilibet Religiosus poterit in cella habere mensam parvam, & scabellum ex pino, ac Imaginem Crucifixi, & Beatæ Virginis Mariæ in pariete depictam, seu in papyro, absque aliqua tamen illuminatione. Nec auro, nec argento, bombice, & similibus aliquis utatur, etiamsi sit in parva quantitate, & in ornatum Reliquiarum, seu Imaginum. Dum autem ex rebus sibi ad usum concessis aliqua non utatur, eam reponat in officina communi, ad quam pertinet; & nullus umquàm utatur verbis istis: *meum; tuum &c.*

3. Omnia, quæ, & quocumque titulo obvenerint Religioso, sive in communi, sive in particulari tradantur statim Prælato, ut de illis disponat, tamquàm de bonis propriis communitatis, & in Officina communi reponentur.

4. Pecunia semper sit in Arca, quæ tres habeat distinctas claves. Nec Superior illam habere, nec expendere, nec licentiam alicui Religioso dare poterit, ut illam habeat, vel expendat, quin prius in dictam Arcam fuerit intromissa, ab illa autem educetur, ut ab Officialibus Conventus expendatur cum expressa Prælati licentia.

5. Quandò Definitorium Generale, cui solum competit, concesserit alicui facultatem accipiendi pecuniam aliquam, sive à Parentibus, vel Propinquis specialiter relictam pro Religiosis suis usibus, & necessitatibus, intelligatur hujusmodi licentia cum expressa conditione de eo, quod singulis annis tempore actualis visitationis, rationem reddat suo Provinciali de expensis à se factis, & quantitate pecuniæ extractæ, & sibi redditæ ex Arca trium clavium, in qua custodiri debet, sub pœna privationis ab officio in perpetuum, casu quo à Ministro aliter expendatur, quàm in usus, pro quibus Religiosus præfatam licentiam reportavit.

6. Nullus Religiosus habeat clavem cellæ, Arcæ, Capsulæ, vel alterius similis rei, exceptis Superioribus Generalibus, & eorum Secretariis: Patres verò Difinitores Generales, & Provinciales, atque Ministri Provinciales, Procuratores Generales, Redemptores, atque Provinciæ Procuratores ad custodienda scripta, & suorum Officiorum sigilla poterunt habere clavem alicujus capsulæ, seu scrinii. Patres quoque Ministri Conventuales clavem habere poterunt capsulæ sub mensa cellæ, cujus altitudo digitorum quatuor, longitudo verò duorum sit palmorum: Ac etiam habeant claves magistras pro clausura. Religiosi item Officiales habebunt claves suarum Officinarum. Hujusmodi capsulam habere poterunt Chronistæ, Scriptores Generales, & alii omnes, quibus Difinitorium concesserit facultatem, juxtà num. 7. al. 6. Arquitecti, Fabri-Lignarii, Cæmentariique habere poterunt clavem alicujus dictæ Officinæ, vel Arcæ ad custodienda instrumenta suorum officiorum. Officinæ tamen sint extrà Dormitorium, neque in eis habitent, neque dormiant Officiales, aliive Religiosi. Claves omnium Officinarum sint duplicatæ, & alteram ex eis habeat Minister, qui aliquoties Officinas visitabit, & ab eis amovebit, quæ vel ad munera prædictorum Officialium, vel usum Religiosorum necessaria non fuerint.

7. Diffinitorium Generale in casu necessario concedere poterit alicui Religioso clavem alicujus Arcæ, vel capsulæ; necnon prævia informatione PP. Ministrorum, poterit Difinitorium Provinciale concedere Lectoribus, & Prædicatoribus manticas cum serulis, in quibus conciones, & alia scripta custodiant.

8. Et ne Sæculares ultrò possint ingredi Religiosorum cellas, sit communis, & uniformis clausura omnium illarum, dummodò hujusmodi clausura non sit clavium, nec per instrumentum simile clavibus, juxtà Decretum, & normam Capituli Generalis Compluti celebrati anno 1734.

9. Patres Ministri de trimestri in trimestre visitent Manticas Lectorum, & Prædicatorum, necnon Arcas, Capsulas, Scrinia, & omnia alia, quæ quomodolibet fuerint clausa, & cuncta visitent in suorum Subditorum præsentia sub pœna suspensionis pro tempore ad arbitrium PP. Provincialium. Ab hac tamen visitatione excipiuntur quicumque habuerint mandatum procuræ à Superiore, vel Diffinitorio Generali concessum.

Si-

Similitèr sub pœna suspensionis per quindecim dies, bis saltem in anno visitabunt cellas, Scripta, Habitus, cæteraque alia, quæ Religiosi ad suum habuerint usum, superfluaque, & inutilia auferent, quamvis illa habeant cum Prælati Superioris licentia, ac de necessariis absque mora providebunt Fratribus Indigentibus. Ad hanc autem visitationem exequendam, præcepto imposito, Subditos obligabunt, ut omnia absque aliqua exceptione patefaciant.

10. In Conventibus, & Collegiis nostris permittimus in solemnioribus Festis, & Funeribus Personarum gravium usum Dalmaticarum pro Diaconis, & Subdiaconis, necnon Collarium pro Acolitis, neutiquam verò Manicarum in Crucibus Processionalibus, nec in inferioribus partibus Albarum, & Rochetorum ornatum, qui apud Hispanos dicitur: *Faldon*.

§. IV.

De Voto non ambiendi.

1. OMnes nostri Religiosi ad Chorum deputati tempore suæ Professionis immediatè post tria Vota essentialia, quartum emittant, non prætendendi in nostra Religione Officia, vel Prælaturas, videlicèt Ministri, nec Vicarii Generalis, Commissarii, Vice-Commissarii, vel Diffinitoris Generalis, item nec Ministri, Vicarii, Provincialis, aut Diffinitoris Provinciæ: præterea nec Ministri Conventualis, Visitatoris, ac Præsidentis, necnon Socii ad Capitulum, Procuratoris Generalis Curiæ Romanæ, vel Regiæ Ordinis, vel Familæ, sivè Procuratoris Provinciæ. Similitèr non prætendendi, nec admittendi aliquam Prælationem extra nostram Religionem, juxta formam dispositam à felic. record. Paulo Papa V. Si quis autem inventus fuerit prætendisse aliquam Prælationem, seu Officium ex prædictis, incarceretur per mensem, & Officio, voce, & loco per triennium privatus sit.

2. Præterea omnes Fratres Laici in sua Professione, post tria Vota essentialia, quartum etiam emittant, de non transeundo ad Statum Clericalem, & Ordines Sacros, & de non prætendendo, dirrectè, vel indirectè dictum transitum, juxtà Breve felic: record: Alexandri Papæ VIII. Qui verò secus fecerit, loco sit privatus per triennium, & ad arbitrium P. Provincialis mulctetur graviter. Ad formam quarti Voti non ambiendi formula invenitur. *Cap.* 43. §. 1. *Num.* 1.

REGULÆ CAP. II.

Omnes res undecumque licitè veniant &c.

CAPUT II.

De Redemptione Captivorum.

§. I.

De Ratione, & Cura, qua separandum, & custodiendum est, quod pertinet ad Redemptionem Captivorum.

1. DE rebus omnibus, quæ ad nos licitè veniant quid faciendum præcipit Regula dicens: quod in quantùm duæ partes sufficient; idèst non plùs, nec minùs, sed intantùm exequantur opera misericordiæ cum sui ipsorum, & eis necessariò famulantium, moderata sustentatione, ut unica, & tota tertia pars reservetur ad Redemptionem Captivorum. Vi autèm prædictæ dispositionis præcipimus strictè omnibus Prælatis nostræ Religionis, ut omni cura adimpleant obligationem, quam habent, separandi pro Redemptione Captivorum tertiam partem omnium rerum, quæ juxtà Sanctam Regulam nostram separari debet. Et oneramus conscientias Patrum Visitatorum, ut invigilent hujus legis Observantiæ.

2. Separatio ista in quolibet Conventu, & Collegio per Ministrum, seù Præsidentem, & Consiliarios fiat, statim, ac receptum fuerit quodlibet genus fructuum, aliarumve rerum, & separatim conservetur in propria specie, quod ad Redemptionem pertinnerit, & in libro Redemptionis scribatur. Et post quamlibet Visitationem dictus Minister, seù Præses mittat Redemptori suæ Provinciæ declarationem ab ipso, & Consiliariis subscriptam omnium rerum, quæ secundùm hanc Constitutionem pertinent ad Redemptionem.

3. Quotiescumque determinatè pro Redemptione Captivorum recepta fuerit aliqua considerabilis, seù magni momenti quantitas, cujuscumque generis sit, similis fiat declaratio à prætatis tribus subscripta, & Redemptori quam primùm mittatur. De parvis autem quantitatibus pro Redemptione determinatè receptis, hæc fiet declaratio post quamlibet Visitationem, & tunc Redemptori mittetur. Patres verò Redemptores librum habeant, in quo distinctè scribant omnia, quæ ex prædictis declarationibus constiterit spectare ad Redemptionem in om-

omnibus Conventibus, & Collegiis, unusquisque videlicèt pro sua Provincia.

4. Nullus Minister, seù Præses, etiàm cum Consiliariis, neque adhùc consentiente Communitate audeat titulo aliquo, sivè prætextu vendere, emere, vel alienare dictas species, sivè ex separatis pro tertia parte juxtà tenorem Regulæ, sivè ex datis determinatè ad Redemptionem, sine licentia sui Provincialis. Quem tamèn tàm ipse, quam Consiliarii monere teneantur, tempore apto, de periculo, quod potest esse in conservatione rerum, vel fructuum in propria specie, ut de illis disponat in majorem Redemptionis utilitatem.

5. Insupèr integra pars tertia separetur pro Redemptione Captivorum ex mobilibus hæreditatis, & bonorum à Parentibus relictorum. Similitèr etiàm separabitur, medietate deducta, juxtà Regulam, pro expensis in cultura ex fructibus, & proventibus Possessionum provenientibus ex bonis, sivè ratione legitimæ, sivè hæreditatis, sivè donationis acquisitis. Quandò autem Diffinitorium, vel Conventus aliquis, seù Collegium cessionem fecerit alicujus legitimæ, ad quam jus habet, numquàm cedat partem legitimæ illius ad Redemptionem spectantem.

6. Præcipimus omnibus Superioribus, quod in Conventibus, sivè Collegiis, in quibus non fuerit designata particularis Arca pro custodienda pecunia pertinente ad Redemptionem Captivorum, illa reponatur, & custodiatur in Arca trium clavium communi Conventus, vel Collegii, in loco tamen ejus separato.

7. In qualibet Provincia unus sit Conventus, seù Collegium per Capitulum Generale assignatus, in quo erit particularis Arca trium clavium deserviens dumtaxàt pro custodiendis pecuniis pertinentibus ad Redemptionem, quæ & erit communis pro pecuniis totius Provinciæ. Ex dictis autèm clavibus altera sit apud Ministrum, altera apud Redemptorem illius Provinciæ, vel ad ejus defectum, apud Procuratorem illius Conventus, seu Collegii, & altera apud Consiliarium antiquiorem. Quod si in aliquo alio Conventu, vel Collegio evenerit, quod sit Arca particularis pro custodiendis tantùm pecuniis ad Redemptionem pertinentibus, illius Claves habeant prædicti Minister, Consiliarius antiquior, & Procurator Conventus, vel Collegii. Numquàm autèm præfatæ Arcæ aperiantur sine assistentia trium Clavariorum, qui distinctè, ac perspicuè scribant omnia, quæ recipiuntur, & in negotiis Redemptionis expenduntur.

8. Redemptores Captivorum bis quotannis Patri Provinciali rationem reddant in scriptis omnium ingressuum, expensarum, Causarum, Litium &c. pertinentium ad bona Redemptionis. Finito autèm triennio præcedentium rationum; atque (si fortè fuerint) Debitorum alicujus Conventus, vel Collegii tùm Pater Provincialis, tùm etiàm, & aliunde ex loco, ubi deget Pater Redemptor ad suum Superiorem Generalem transumpta mittat, ante celebrationem sui Capituli Provincialis.

9. Superior, & Consiliarii cujuscumque Conventus, & Collegii ad finem singulorum mensium conferant, & summam conficiant omnium quantitatum ad Redemptionem pertinentium, tàm ex separatis pro tertia parte, quàm ex donatis determinatè ad ipsam Redemptionem: Et in libro ejusdem Redemptionis illa scribant, ac propriis nominibus subscribant.

10. Ad hoc, ut pecunia Captivorum integra, & in fideli, ac secura custodia perseveret, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto omnibus Religiosis tàm Prælatis, quàm Subditis, & unicuique in singulari, ne extrahant, nèc expendant (quamvis sit ratione mutui, vel commodati, aliovè titulo non spectante ad Redemptionem) aliquid pertinens ad ipsam Redemptionem Captivorum sine licentia in scriptis sui Diffinitorii Generalis. Diffinitorium autèm eam concedere non poterit, nisi omnibus consentientibus Suffragiis, & ad tempus determinatum pro solutione. Superior autèm, qui Constitutioni isti contravenerit, suo Officio sit privatus, & inhabilis ad ulteriora Ordinis Officia Prælati; ac similiter quilibet alius Religiosus voce, & loco sit privatus per triennium, & ad Officia Prælati maneat inhabilis.

11. Insupèr præcipimus, quod quilibet Prælatus expendens vel in toto, vel in parte res in specie propria vini, tritici, hordei, ac similes jàm destinatas, & separatas pro Captivis, suspensus sit à suo Officio per mensem unum, vel ampliùs, juxtà qualitatem culpæ. Et Visitator curet, ut absque mora reintegretur, & restituatur, quod expensum, vel alienatum fuisse constiterit.

12. Patres Provinciales, seù Visitatores in suis Visitationibus colligant

ex Arcis Captivorum, quod pro ipsorum Redemptione invenerint separatum juxtà rationem in libro Conventus, seù Collegii factam, & schedulam extractæ, & receptæ pecuniæ suis nominibus subscriptam relinquant, quod idem fiat; quando Redemptor, vel alius Religiosus de consensu, & dispositione dicti Redemptoris, vel Diffinitorii extraxerit ex Arcis aliquid ad Redemptionem spectans. Quilibet autèm Visitator librum habeat, in quo scribat, quod colligit, & recipit in uno quoque Conventu, seù Collegio ex pertinentibus ad Redemptionem, in quo, & subscribant Minister, & Consiliarii, vel Clavarii Arcæ Redemptionis respectivè.

13. Præfati autèm Provinciales, seù Visitatores, prædictas pecunias pro Captivis, ut dictum est, ab ipsis collectas reponant in. Arca generali suæ Provinciæ, antequàm discedant à Conventu, ubi talis est Arca, sub pœna suspensionis ab Officio per tres menses.

14. Præcipimus Patribus Redemptoribus Captivorum, nè pro Redemptionibus æs alienum sine licentia sui Diffinitorii Generalis contrahant, sed observent instructionem ab ipso Diffinitorio illius injunctam, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per triennium.

15. Patres Provinciales ad Capitulum Generale deferant Testimonium subscriptum à Clavariis Arcæ generalis Redemptionis Captivorum, in quo scripta sint omnia tunc temporis existentia pro Captivis in omnibus Conventibus, & Collegiis suarum Provinciarum respectivè. Superiores autèm Generales etiàm deferre debent ad Capitulum Generale transumpta ad ipsos missa toto illo sexennio antecedenti, ut ex his omnibus justum, & rigorosum fiat examen tùm observantiæ, tùm fidelitatis, circa ea, quæ ad institutum pertinent Religionis.

§. II.

De modo petendi Eleemosynas pro Captivis.

1. PRo majori cura, & diligentia colligendi Eleemosynas, & omnia ad Captivos spectantia, in qualibet Provincia sint duo, vel tres Religiosi Procuratores Redemptionis ad arbitrium Patris Provincialis, qui designabit eis terminos ad petendas, & colligendas dictas Eleemosynas; Id tamèn totum fiat, consulto Redemptore Provinciæ, qui eos tenetur dirigere, itàut numquàm sint extrà Conventum, seù suum Collegium, per majorem partem anni. Insupèr præcipimus Patribus Redemptoribus Captivorum, quod designent in Civitatibus, & Oppidis, Sindicos, & Collectores sæculares cum facultate sufficienti ad exigenda, recipienda, & custodienda Legata testamentorum, Operum Piorum, Monstrencorum, (ut vocant) & omnium aliarum rerum pertinentium ad Redemptionem, quæ omnia, tempore apto, Redemptores ipsi colligent, vel per se, vel per Religiosos Procuratores. Et quando in proximo sint pro Redemptione exequenda, postulent pro illa Eleemosynas à Principibus Ecclesiasticis, & Sæcularibus, Capitulis, Communitatibus, aliisque Personis gravibus.

2. Prætereà præcipimus Procuratoribus Redemptionis, imò etiàm Generalibus, & Conventualibus omnibus nostri Ordinis, ut fiot valdè solliciti in procurandis Eleemosynis pro Captivis. Et omnes similitèr Religiosi, tàm Prælati, quàm Subditi in Districtu suarum Domorum diligentèr procurent Eleemosynas pro Redemptione. Et Superiores inquirant ab Inferioribus quid in hac re actum, receptumve sit.

§. III.

De Electione, & Qualitate Redemptorum.

1. CApitulum Provinciale finitis Electionibus Canonicis, albis, nigrisque lapillis eligat Redemptorem Captivorum pro sua Provincia. Redemptores autem erunt Vita, Merito, Doctrina, & Sapientia præditi, & qui Officio Provincialium, vel Diffinitorum saltem Provincialium, vel Ministrorum Conventualium, aliquando potiti, vel saltem capaces, ut talibus muneribus potiantur.

2. Pro singulis Provinciis singuli eligantur Redemptores. Si autem intrà aliquam Provinciam fuerint plurium Principum Curiæ, poterunt eligi plures Redemptores ad arbitrium ipsius Capituli Provincialis; Sed ità subordinati intrà se, ut unus tantùm reputetur Redemptor principalis Provinciæ, ad quem alter, vel alteri omnium rationes ad suum Officium pertinentium mittere tenentur. Si verò plures Provinciæ insimùl Redemptionem fecerint, mutua Redemptorum subordinatio à suo Diffinitorio Generali designabitur. In qualibet Domo nostra, & suæ Provinciæ, in qua fuerint, vel per quam transierint Redemptores, etsi fuerint ad Redemp-

demptionem, etiàm extrà suam Provinc am, Conventualitatem habeant, & præcedant omnes non Prælatos, (excepto Procuratore Generali Ordinis Romæ, aut Curiæ Regiæ) etiàm Vicarios. In Regimine verò, & Administratione Domus, non se intromittant. Ad egrediendum tamèn è Domo, Socium postulabunt à Vicario in absentia Ministri, sine deosculatione tamèn Scapularii, nisi fortè præses fuerit, propter absentiam Ministri, ultrà viginti quatuor horas.

5. Strictè præcipimus Redemptoribus Captivorum, ac aliis eorum Sociis proficiscentibus ad Redemptionem, ne comportent aliquas res non conducentes ad illius effectum, nèc sibi, nèc aliis ex Infidelium Regionibus in reditu similia trahant, aliàs gravissimæ, & irremissibili punitioni, ad arbitrium sui Diffinitorii Generalis, subjacebunt.

6. Redemptores Captivorum intrà tres menses post reditum ab executione Redemptionis, expensarum istius, & aliarum rerum, ad munùs istud aptiùs in futurum perficiendum, rationem reddant suo Diffinitorio Generali. Quod si omiserint, gravitèr puniantur juxtà culpæ qualitatem.

REGULÆ CAP. III.

Omnes Ecclesiæ istius Ordinis &c.

CAPUT III.

De divisione Familiarum Provinciarum, & earum nominibus, ac de Conventuum differentia, & eorum ædificiis.

§. I.

De nomine Ecclesiarum, Familiarum, Provinciarum, & Domorum differentia.

1. UT constat ex Brevi, & dispositione Sanctissimi Domini Nostri Clementis XII. ad melius regimen, in duas Familias venit universus Ordo divisus, quarum una nominabitur intrà Hispana, & extrà Hispana altera, & utraque erit sub titulari sibi electo. Quapropter titulus Familiæ intrà Hispaneæ erit Jesus Redemptoris; & alterius Familiæ erit Matris Redemptoris, ex decreto ultimi Capituli Generalis. Similitèr Provinciæ debent intitulari nominibus jam electis, quibus uti consuevit utraque Familia, usque adhùc. Omnes tàmen Ecclesiæ istius Ordinis intitulentur nomine Sanctissimæ Trinitatis, quamvis habeant secundum Titularem in Patronum.

2. In Ordine nostro quatuor sint differentiæ Conventuum, Prima Novitiorum, & Professorum, ubi à Magistris in cæremoniis, mortificatione, vitaque spirituali instruantur. Secunda Collegiorum, ubi jam Professi Philosophiam, sacramque Theologiam edoceantur, & ubi posteà conferendo perficiantur in eisdem. Tertia Conventuum, in quibus Religiosi spirituali profectui tàm proprio, quàm Proximorum incumbant. Quarta demùm domorum in Desertis, ubi soli Deo vacent.

3. Statuimus, ne fiat nova Conventus fundatio, nisi in eo numerus Religiosorum à Regula nostra stabilitus, commode cum observantia, & sine distractione sustentari queat.

4. Situs Conventus, (si fieri possit) eligatur intrà Civitatem, vel Oppidum, in loco tamèn ad Religiosorum quietem opportuno, & in quo permansurus sit. Nec in eo assistant ultrà tres, vel quatuor Relig osos, qui de fabrica curent, donèc Ecclesia, & habitatio cum sufficienti clausura constructa sit.

V. Pro nova Conventus, seu Collegii fundatione Minister eligi non possit, quin tresdecim sint Fratres, quos Regula exposcit. Interim tamèn gubernetur per Præsidem à Superiore Generali, seù Provinciali nominatum.

§. II.

De Constructione, & fabrica Conventuum.

1. STatuimus, ne alicujus Conventus, seù Collegii fabrica incipiatur, quin præcedat illius descriptio, seù exemplar delineatum ab Architecto aliquo nostri Ordinis, examinatum à Superiori Generali, qui reformabit excessus, si qui contrà Constitutiones infrà ponendas, inventi fuerint. Semèl autèm à Superiore Generali examinato, nihil, sine illius licentia, contrà illud fiat sivè per additionem, sivè per diminutionem. Qui verò in toto, vèl in parte huic Constitutioni contravenerit, vèl contravenire permiserit, suspensus sit ab Officio suo, juxtà gravitatem culpæ.

2. Ecclesiæ latitudo sit saltèm viginti quatuor pedum, & ad summum viginti septem, cui latitudini correspondeat longitudo, & altitudo, juxtà regulas

gulas Architecturæ. Pinnaculum itèm, sivè extremitas Capellæ majoris humilis sit. Nèc extrà Ecclesiam opera afabrè elaborata, & curiosis crustis ornata fiant. In sactario verò aliquam permittimus fasciam, ut vocant.

3. De pariete ad parietem Claustri in longitudine sit saltèm spatium quinquaginta, & quinque pedum, non tamen ultrà sexaginta. Transitus autèm pro latitudine novem, vel decem pedes capiet.

4. Cellæ habeant undecim pedes in quadrato: illarum fenestræ ad summum altitudinis tres pedes, & digitos quatuor, latitudinis pedes duos, & quinque digitos. Transitus autèm Dormitorii sex pedes latitudinis ne excedat. Cellæ verò Infirmariæ poterunt habere sexdecim pedes in quadro.

5. Officinæ, quæ sunt in terra, duodecim tantùm pedes altitudinis habeant, itaut parietes Conventus à pavimento Claustri, usque ad tectum, non excedant altitudinem viginti & sex pedum, nisi id exigat angustia situs, vel ne Religiosi de foris videantur. Solaria autèm, & prospectus plani sint operis, & parvis expensis fabricentur.

6. Observata supraścripta ædificiorum proportione, interiores Officinæ, & mansiones disponantur, juxtà arbitrium prudentis Architecti. In prædictis autem mensuris, per pedem intelligimus tertiam partem ulnæ castellanæ. Præcipimusque dictas mensuras immutari non posse, nisi per Capitulum Generale.

7. In Civitatibus, magnisque Oppidis, Ecclesiæ, & Claustra excedere poterunt longitudinem, latitudinemque, modestia tamèn in omnibus servata. In minoribus verò Oppidis numquàm excedant minorem mensuram designatam, nèc sint infrà illam. Idemque volumus proportione servata de curiositate Ecclesiarum, quæ semper juxtà Regulam nostram debent esse plani operis. Major autem Cellarum, & Officinarum numerus in unoquoque Conventu disponatur, juxtà majorem, vel minorem Religiosorum numerum, qui ibidèm sustentari valeat.

REGULÆ CAP. IV.

Fratres debent esse in una cohabitatione.

CAPUT IV.

De numero Religiosorum; qui debet esse in quolibet Conventu.

IN nostris Conventibus, & Collegiis sit competens numerus Fratrum, juxtà prudentem P. Provincialis dispositionem. Numquàm tamèn sint infrà tresdecim continuò habitantium intrà Claustra, sicut præcipit Regula; præterquàm in aliqua nova Fundatione, ut suprà dictum est.

REGULÆ CAP. V.

Omnibus Fratribus suis sicùt sibimet &c.

CAPUT V.

De cura, quam Prælati tenentur habere ergà Subditos suos.

IN omnibus nostris Conventibus, & Collegiis sint Officinæ communes, ex quibus omnia necessaria tàm de victu, quàm de vestitu, tàm pro salute, quàm pro infirmitate, æqualiter ministrentur Religiosis omnibus tàm Prælatis, quàm Subditis, sub pœna suspensionis ab officio, Superiori ergà hoc negligenti. Careat tamèn quod res, quæ Religiosis conceduntur ad usum, sint prout decet Discalceatos.

REGULÆ CAP. VI.

Vestimenta sint lanea, & alba &c.

CAPUT VI.

De Vestitu nostrorum Religiosorum.

1. EXterior Vestis, seu Habitus Fratrum nostrorum sit ex sago albo, nèc per tres digitos ad terram perveniat, nec latitudo infima in circuitu tres ulnas excedat, ejusque manicæ strictæ sint, & versùs manum unius palmi latitudinem pertingant, sed non excedant: interior vestis etiàm erit ex sago albo, brevior tamèn exteriori tribus digitis. Scapularium similitèr sit ex sago albo latum ad palmum, & dimidium palmi, altum verò à terra per palmum; & duos

os digitos. Capitium interius fit etiàm ex eodem fago albo, & ftrictum, nec illius acuta extremitas ad cinctorium per quatuor digitos accedat.

2. Cappa fit ex rudi fago fufci coloris ftricta fine plicaturis, alta à terra per dimidiam ulnam, & quatuor digitos. Capitium exterius fit etiàm fufci coloris, & æquale interiori. Menfuræ autèm præfatæ accipiendæ funt de ulna Caftellana.

3. Corrigiæ fint nigræ, & abfque aliqua curiofitate, & tribus digitis longiores Scapulario. Scandalia fint ex canabe, feù fparto, unius foiæ, & ex omni parte aperta. Zocholi ex ligno, & cum corrigiis anguftis.

4. Tunicæ immediatæ corpori fint ex ftamenia alba, & rudi. Femoralia verò ex lino rudi, & communi. Nullusque Religiofus tàm illas, quàm ifta mundandas tradat externæ Perfonæ privatæ, & diftinctæ ab ea, quæ fimilia veftimenta Communitatis totius abftergit.

5. Linteola pro emungendis naribus minimè fint alba, fivè ferica, fed honefta prorsùs, & rudia; Et galeri pro itineribus faciendis, nigri, vel fufci coloris.

6. Novitii eifdem veftibus utantur, excepto quod quatuor extremitates Scapularii erunt circumcifæ, vèl retortæ. Oblati, feù Donati eisdem veftibus utantur, ac Profeffi; Cæterum non habebunt Capitium ullom, & illorum fcapularia ad genua non pertingent, nec longiora poterunt effe à tergo.

7. Quicumque contrà ftatuta in hoc capitulo in toto, vel in parte fecerit, puniatur pœna gravi per unum, aut plures dies, juxtà qualitatem culpæ.

REGULÆ CAP. VII.

Jaceant in laneis &c.

CAPUT VII.

De lectulis pro cubitu Fratrum noftrorum.

1. Lectulus fit ex tabulis, ejus latitudo trium palmorum cum dimidio; altitudo verò tertiæ partis ulnæ Caftellanæ, cum duobus tantum ftragulis, fivè lodicibus laneis, & cervicali uno etiàm ex lana.

2. Ne autèm Religiofum aliquem fine Habitu mori contingat, præcipimus, quod omnes dormiunt cum Scapulario parvo laneo, quod quidèm infirmi, in lecto cubantes numquàm dimittant.

REGULÆ CAP. VIII.

In Cappis, & Scapulariis Fratrum &c.

CAPUT VIII.

De Cruce portanda in Cappa, & Scapulario.

Crux rubei, & cærulei coloris, quam juxtà regulam portare debent Religiofi noftri in Cappa, & Scapulario, fit abfque curiofa futura, longitudinis unius palmi, & latitudinis unius pollicis.

REGULÆ CAP. IX.

In Rafura Ordinem Sancti Victoris fequantur Clerici &c.

CAPUT IX.

De Rafura noftrorum Religioforum.

1. Fratres deputati ad Chorum tonfuras Clericales amplas habeant ita ut circulus capillorum trium digitorum latitudinem non excedat, neque ad radices aurium per duos digiros pertingat. Ad uniformitatem autèm fervandam in qualibet domo fit menfura, qua in die rafuræ dicti circuli latitudo menfuretur.

2. Laici barbas crefcere modeftè permittant ad præfcriptum Regulæ, itaut temporum capilli uniantur cum barba. Nec illis umquàm clericalis corona concedatur.

REGULÆ CAP. X.

Afinos, fivè mulos liceat eis afcendere &c.

CAPUT X.

De his, quæ Fratres debent obfervare, quando iter faciunt; & de modo petendi eleemofynas.

§. I.

De Itinerantibus.

1. Muli, fivè mulæ, quas Fratres noftros afcendere Regula permittit, mediocris fint ftaturæ. Exhortamurque Religiofos, ut curent obfervare laudabilem Ordinis confuetudinem Afinos afcendendi.

2. Quando Religiofi Iter faciunt in Mulis propriis Religionis non utantur ephippiis, fivè fellis, fed clitellis, non fra-

fræno cum habenis corrigiatis, sed ex canabi, nèc stapedibus ferreis, sed ligneis. Qui secùs fecerit, subjaceat pœnæ ad arbitrium Superioris.

3. Nullus iter faciat absque licentia in scriptis Superioris, cui competit illam concedere, in qua iste designabit tempus pro itinere, statione, & reversione: Et Superior, ac Consiliarii Conventus, à quo egredietur, dictam facultatem subscribant, notando diem, mensem, & annum per verba, & non per numeros. Qui autèm ultrà tempus determinatum, remoratus fuerit, à Superiore Conventus puniatur attenta mora.

4. Itinerans ad locum dumtaxat, & Oppidum in licentia designatum, & via recta pergat. Curiam Regiam adhuc intra suam familiam nullus ingrediatur, nèc illius ambitum per spatium unius leucæ, sine sui Superioris Generalis facultate, neque prætextu Conventualitatis, sine illius consensu præstito Provinciali illius Provinciæ, sub pœna privationis vocis, & loci per unum annum, tùm ingredienti, tùm eum mittenti statim applicanda. Cæterorum autèm Principum Curias intrà suas Provincias existentes ex licentia sui Provincialis ingredi poterunt. At verò ut unius Provinciæ Religiosi ingrediantur Curiam intrà ambitum alterius, à suo Superiore Generali erit expectanda facultas, quo verò ad accessum ad Curiam Pontificiam, serventur exactè Constitutiones, & Decreta Summorum Pontificum, & signanter fel. rec. Clem. VIII.

5. In locis, in quibus sunt Conventus nostri nullus Religiosus iter faciens, sivè pergat, sivè veniat, Sæcularium Domos ingrediatur absque licentia Prælati, sub pœna gravis culpæ per tres dies.

6. Ad quemlibet Ordinis Conventum Religiosus pervenerit licentiam patentem faciat, alioquin Superior illam postulet absque exceptione alicujus personæ. Quæ licentia, si Frater pro Conventuali venerit, custodiatur in Arca trium clavium Conventus subscripta à Ministro, & Consiliariis post adnotationem diei, in quo prædictus Frater pervenit. Qui verò litteras patentes non ostenderit, ipso facto careat voce, & loco.

7. Nullus Religiosus de una Familia egrediatur in aliam sine licentia in scriptis Ministri Generalis, sub pœna apostasiæ, & privationis Officii, vocis, & loci in perpetuum. Quod si Laicus fuerit, portet habitum fusci coloris per triennium. Prælatus verò, qui sine prædictis requisitis, & facultatibus miserit aliquem Religiosum extra suam Familiam, privatus sit à suo Officio, & inhabilis in perpetuum existat ad ulteriora Ordinis Officia.

8. Pater Minister Generalis mittere poterit quemlibet Religiosum (etiám Diffinitorem Generalem) quocumque expedire viderit, Commissarius verò Generalis intrà ambitum familiæ suæ, Provincialis intra ambitum Provinciæ suæ, Ministri verò Conventuales per spatium leucarum duodecim à suis Conventibus, non ultrà.

9. Provinciales autem à Conventibus sub sua jurisdictione existentibus poterunt sibi Subditos amovere. Cæterùm ad negotia, aut lites non mittant ad Curias Principum, sine consilio, & assensu sui Superioris Generalis. Neque similiter Ministri Conventuum, aut Collegiorum adhùc existentium intra ambitum duodecim leucarum ingredi, aut sibi Subditos mittere poterunt ad hujusmodi Curias sine prædicta facultate. Si autem sine ea aliquis Religiosus ingredi præsumat, à Ministro Domus consistentis in Curia statim recludatur, & Superior Generalis, juxtà gravitatem culpæ eum puniat; ipseque, & Superior, qui eum misit, pœnam privationis incurrant, ut dictum est n. 4.

10. Attento spiritu paupertatis, & clausuræ Religionis nostræ, statuimus, ut sine gravi, & urgente necessitate, non detur Religiosis facultas itinerandi: nèc mutandi Conventualitatem. Neque ad hoc, ut sint extrà Conventus à Paschate usque ad Festum Sanctissimæ Trinitatis, eo anno, quo celebratur Capitulum Generale, vel suæ Provinciæ, nisi occurrat negotium speciale Ordinis, quod differri non valeat.

11. Ad Patriam suam nullus pergat absque Provincialis licentia, nèc sine Socio absque Superioris Generalis concessione, vel nisi in Oppido illo sit Cœnobium nostrum. Prælatus autèm, qui secum quemquam miserit, pœnæ suspensionis ab Officio per mensem unum subjaceat.

12. Iter facientibus permittimus usum caligarum, sivè tibialium ex sago albo, vel simili materia, absque aliqua curiositate, & in urgenti necessitate usum pedalium ex eadem materia. Et Superiores omnia itineri necessaria eis præstent. Itinerantes autèm tenues, & moderatos sumptus faciant, & in omnibus se ipsos exemplar virtutum præbeant. Quod si excessus commiserint, à Prælato vicinioris Conventus mulctentur, juxtà gravitatem culpæ.

§. II.

De modo postulandi eleemosynas.

1. Religiosi nostri per areas non postulent, nec quærant eleemosynas, nec pro illis petendis ultrà duodecim leucas à Conventibus se extendant, absque Superioris Generalis, seù Provincialis licentia. Néc itèm Frater aliquis cujuslibet Conventus, vel Collegii quærat, sivè postulet eleemosynam aliquam, (cujuscumque rationis hæc sint) in Oppido, Villa, seù Districtu, vel termino designato à Provinciali pro altero Conventu, seù Collegio, etiàm intra prædictum spatium duodecim leucarum. Quod si nihilominùs itá quærens aliquam receperit eleemosynam, Provincialis eam conferri faciat domui illi, in cujus districtu quæsita fuit, & prætereà tam Subditum, quam Superiorem in toto, vel in parte contravenientes contentis in ista Constitutione arbitratu suo puniat juxta qualitatem culpæ ipsorum. Limitatio autèm præfata duodecim leucarum, non comprehendit Procuratores Redemptionis. Exhortamurque Prælatos, ut ad postulandam ostiatim eleemosynam non alios mittant, quàm Fratres laicos, & sempèr cum sociis.

2. Nullus Religiosus postulet, aút recipiat eleemosynam aliquam pro suis Parentibus, cognatis, aut aliis Personis extra Religionem, absque Superioris Generalis licentia, sub pœna reclusionis juxta gravitatem culpæ. Si autèm aliquis Parentes pauperes, & egenos habeat, moneat Provincialem, qui, cognita necessitate, sine interventu dicti Religiosi, ac consideratis circumstantiis, opem ferat juxtà possibilitatem, & paupertatem Ordinis.

Regulæ Cap. XI.

In Regularibus horis morem S. Romanæ Ecclesiæ observent.

Caput XI.

De Officio Divino, Missa, & Communione Fratrum, & de his, qui sacris initiandi sunt.

§. I.

De Diligentia, & sedulitate, qua convenire debent Religiosi ad recitandum, & concinendum Officium Divinum.

1. Omnes Religiosi audito primo signo ad Chorum expediantur, & se præparent, considerantes se pergere ad Angelorum Officium exercendum; & antequàm secundum cymbali signum finiatur, sint in Choro, sub pœna culpæ levis, vel gravis, si de more habuerint.

2. In omnibus Conventibus nostris Matutinum inviolabiliter dicatur media nocte, nisi urgens obstet necessitas, vel rationabilis Causa verè excusans, de qua Provincialis in visitatione rigorosè inquirat, vel in Ordinis instructione fuerit statuta recreatio, idque præcipimus PP. Ministris, & Præsidentibus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali. At verò Matutinum feriæ quintæ in Cœna Domini, Parasceves, & Sabbati Sancti, necnon Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, Festi Corporis Christi, si venerationi expositum fuerit, per totam ejus octavam, ac in Festivitatibus Sanctorum Patriarcharum nostrorum Joannis, & Felicis, dicatur hora quinta post meridiem. Matutinum primæ diei Paschæ, & per ejus Octavam usque ad Sabbathum in Albis dicatur ad Auroram, sivè circa horam quartam diei. Omnes aliæ horæ canonicæ, atque Defunctorum officia, recitentur tempore constituto in Cæremoniali Ordinis.

3. Integrum Matutinum cum Laudibus cantetur in die Nativitatis Domini, in prima die Paschæ, & primo Pentecostes, in Festo Sanctissimæ Trinitatis, & Sanctissimi Sacramenti, ac feria quinta, sexta, & Sabbatho majoris hebdomadæ, necnon Festivitatibus Sanctorum Patriarcharum nostrorum Joannis, & Felicis. In aliis verò festivitatibus primæ, & secundæ Classis. in quibus primæ, & secundæ Vesperæ cani debeant, ac in die octava Sanctissimæ Trinitatis, & Corporis Christi, & (si istud venerationi patenter expositum fuerit) per totam ejus octavam in Matutino cantetur Invitatorium cum Hymno sequenti, & Hymnus quoque *Te Deum Laudamus*, & in laudibus à Capitulo usque ad ℣. *Benedicamus Domino*, & ejus ℟. *Deo gratias* inclusivè. In die verò Epiphaniæ (cum non sit Invitatorium) in tertio Nocturno cantabitur psalmus: *Venite exultemus* cum sua Antiphona. In reliquis verò duplicibus, & semiduplicibus solus hymnus *Te Deum laudamus*.

4. In cantando integrè Matutino cum Laudibus expendantur saltem duæ horæ. Hora verò cum dimidia, quando solum canitur Invitatorium, hymnus, & *Te Deum laudamus*, & in Laudibus à Capitulo, & quando Officium est de Dominica; & quandò licet sit aliud, cum eo

tamen

tamen recitatur Officium parvum Beatæ Virginis Mariæ, vel Defunctorum. In reliquis verò Matutinis, & Laudibus hora una cum quadrante.

5. Prima canatur tantùm in Vigilia Nativitatis Domini, Tertia, in festis, in quibus vel integrum Matutinum, vel saltèm cani debet Invitatorium modo dicto num 3., excepto die Ascensionis, in quo cantabitur nona. In cantando autem qualibet minori hora canonica consumatur dimidia hora; quartum vero horæ istius in illa recitanda, & aliquid ampliùs, quandò conjungitur cum Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis.

6. Missa Conventualis canatur omnibus diebus, quibus Tertia, & omnibus Dominicis, & diebus feriatis, & in omnibus Festivitatibus Ordinis, & Beatæ Virginis Mariæ, atque in feria quarta Cinerum, feria quinta in Cœna Domini, feria sexta in Parasceve, Sabbatho Sancto, Vigilia Pentecostes, & in die commemorationis Defunctorum, necnon quando fit Offitium de aliquo Sancto Martyre in Conventu illo, ubi Corpus, vel insignis Reliquia asservatur. Insupèr in die una infrà octavam omnium Sanctorum cantabitur Vigilia, Missa, & solemne Responsorium pro Captivis Defunctis, & in die immediato post Festum omnium Sanctorum Ordinis, & similitèr canatur Vigilia, Missa, solemneque Responsorium pro nostris Religiosis Defunctis. In cantanda autem qualibet Missa tres partes horæ consumantur, in recitanda verò, dimidia hora. Quod si quis celerior fuerit à Superiore puniatur pœna culpæ mediæ imò & gravis, si de more habuerit.

7. Primæ, & secundæ Vesperæ cantantur in omnibus Festivitatibus primæ, & secundæ Classis, quæ ad colendum pronuntiantur, & ejusdem ritus, quamvis non colantur in his, quæ fuerint Christi Domini, ejusque SSmæ Matris, Sanctorum Patriarcharum nostrorum, Titularis alicujus Familiæ, Provinciæ, Conventus, vel Collegi, atque S. Agnetis secundo; in reliquis vero festivitatibus Ordinis primæ tantùm Vesperæ canantur. Vesperæ autèm secundæ Sanctorum omnium dicantur sinè cantu, & eis finitis canantur Vesperæ Defunctorum. Si tamèn Festum omnium Sanctorum celebretur in Sabbatho, eorum secundæ Vesperæ tunc cantentur, & in die Dominica sequenti Vesperæ Defunctorum. In omnibus autèm Vesperis cantandis tres quadrantes horæ consumentur: in recitandis verò ferè dimidia hora. Superior, qui supradicta celeriùs cantari, vel recitati permiserit, severè puniatur.

8. Prædicta, quæ in Festivitatibus cani debent, non concionantur, quandò dictæ Festivitates transferuntur, sed tantum, quando in propriis diebus ab Ecclesia designatis celebrentur, non tamen propterea omittenda, sed cantanda est Missa in quocumque die feriato, quamvis de festo illius diei Officium non fiat. Nèc cantanda sunt supradicta, quandò in Choro non sint saltèm sex Religiosi, qui canere possint. Missa verò, & alia, quæ ratione dotationis, vel eleemosynæ essent canenda cum paucioribus, & etiàm si sint solemnitates translatæ cani debent.

9. Totum quod in Officio Divino, & Missa cantatur, fit in tono plano, æquali, gravi, & devoto, absque modulatione, & harmonia sub pœna culpæ gravis contravenienti, & suspensionis ab officio Superiori permittenti. Quæ autem recitantur, cum devotione dicantur, & pausatione competenti pro insumendo spatio temporis designato.

10. Officium parvum Beatæ Virginis Mariæ in omnibus Conventibus recitetur, diebus in Breviario assignatis, & quamvis non tanta pausatione, quanta majus, non tamèn minori devotione.

11. Fratres Laici assistant Officiis Divinis, juxta prudentem Superioris dispositionem, attento uniuscujusque labore, & occupatione, & loco Officii Divini singuli recitent quinquagies orationem Dominicam, & totidem vicibus Salutationem Angelicam, nempè pro Matutino quindeciès, pro Laudibus quinquiès, & pro unaquaque horà, etiàm quinquies.

12. Religiosus, qui Matutino abfuerit sinè licentia, vescatur in terra sinè capitio id quod cæteris ministratur, præter piscem, vel quod ejus loco præstatur. Si verò alteri cuicumque horæ canonicæ non astiterit, arbitrio Superioris puniatur.

13. Tempore Divinorum Officiorum nullus, sinè urgenti necessitate Præsidenti exprimenda, & cum illius licentia à Choro exeat, nisi ad rem ipsi Choro, & Officio pertinentem. Eademque causa, & licentia præcedat, quotiescumque aliquis Religiosus à quolibet actu communi egressurus fuerit.

§. II.

De Missa, & Communione Religiosorum.

1. Omnes nostri Sacerdotes singulis diebus Sacra faciant, exceptis feria quinta, sexta, & Sabbatho majoris hebdomadæ, & quando urgenti causa impediti fuerint: In hoc tamèn casu cum licentia omittent Superioris. Qui autem absque istis circumstantiis rem Sacram facere omiserit, pane tantum, & aqua die una vescatur.

2. Sacrificium Missæ peragere debent in propriis Conventibus, nisi Superior, urgenti causa, & rarò licentiam concedat, ut nonnullus extrà propriam Ecclesiam sacrificet.

3. Feria quinta in Cœna Dominî omnes Religiosi recipiant Sacram Eucharistiam de manu sui Prælati. Qui Sacerdotes non sunt, cœlesti se pane reficiant omnibus Dominicis diebus, & feriis quintis totius anni. Potest tamèn functio ista anteponi, vel postponi propter aliquod solemne festum. Præcipimus insupèr præfatis omnibus Fratribus non Sacerdotibus, quod quotidiè Missæ Sacrificio intersint sub pœna jejunii in pane tantum, & aqua.

4. Magistri Novitiorum, & recenter Professorum in diebus feriatis Sacra faciant in Ecclesia, in aliis verò diebus in Oratorio suo celebrare poterunt.

5. Societates, Congregationes, & Confraternitates Sæcularium, absque Diffinitorii licentia, non admittantur in nostris Conventibus, & Collegiis. Qui secùs fecerit, ad arbitrium dicti Diffinitorii puniatur.

§. III.

De Eleemosyna Missarum.

1. Nullus Religiosus recipiat eleemosynam Missarum, nisi tantum pro suo Conventu. Quod si itinerans pro mutatione Conventualitatis aliquam acceperit, pro illo sit Conventu, in quem tendit Conventualis futurus. Superiores verò etiam Generales, & alii, qui Ministro non subsunt, eam, quam acceperint eleemosynam ad arbitrium sui immediati, cui illico exactam rationem reddere teneantur, in promptu habeant: Nulli enim libera eleemosyna relinquitur, nec intentio ulla, nisi rarò ex concessione sui Prælati pro una, aliave celebranda Missa.

2. Pro una Missa, etsi cantata unicum dumtaxàt stipendium accipiatur sub pœna suspensionis ab officio per tres menses Prælato contravenienti.

3. In nostris Conventibus, & Collegiis non recipiantur eleemosynæ pro Cappellaniis, & Missis perpetuis, sine Superioris Generalis licentia in scriptis; nec pro Patronatu Conventus, Ecclesiæ, vel Capellæ majoris, vel minoris, vel pro oratione, disciplina, aliove Communitatis exercitio, absque sui Diffinitorii Generalis licentia in scriptis, quam concedet consulto Provinciali Provinciæ illius, cujus est Conventus, vel Collegium, cui conceditur.

4. Eleemosynæ receptæ pro Missis perpetuis, Memoriis, Cappellaniis, Patronatibus dictis, & Sepulturis perpetuis nullatenùs in totum, vel in partem (etiàm consentiente Convento) expendantur, sed ad censum, annuosque redditus imponantur. Ex licentia tamèn sui Diffinitorii Generalis (omnibus consentientibus suffragiis) dictæ eleemosynæ jam investitæ converti poterunt in redditus iodemniores, & utiliores Conventui, numquam tamèn pro eis subrogari bona aliàs anteà Monasterio acquisita. Ad hoc autèm, ut sedulò custodiatur pecunia impertita pro Missis, & reliquis in hac Constitutione enumeratis, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub præcepto omnibus Religiosis tàm Prælatis, quam Subditis, & cuilibet in particulari, quod dum dicta pecunia non investitur, nihil ex ea expendant, etiàm titulo mutui, alioque quocumque. Superior autem contraveniens privatus sit officio suo, aliusque verò quicumque Frater voce, & loco per triennium.

5. Pecuniæ receptæ pro supradictis rebus, dùm non investiuntur, seù in annuos redditus conferuntur, in propria conserveotur specie: Si incrementum habuerit, cedat in favorem Memoriæ, si verò decrementum (absque culpa tamen Conventus, vel Collegii) cedat contrà Memoriam.

6. Ut constet de Memoriis, ac Missis perpetuis, quæ sunt in quolibet Coovento, & Collegio, justèque adimpleantur, præterquamqnod annotatæ erunt in libro magno, cui titulus Protocollo, scribantur in tabula publico in loco.

§. IV.

De his, qui ordinandi sunt.

1. Fratres nostri Sacris initiandi examinentur priùs de sufficientia sua à Mi-

nistro Conventus, & aliis duobus Religiosis à Provinciali designatis; & postea de vita, & moribus per secreta suffragia Capituli Conventualis approbentur. Nec Prælati Superiores suas litteras concedant, donec illis constet de sufficientia, vita, moribus, & ætate. Nullus Diaconatus, aút Subdiaconatus gradum recipiat, quin duos annos integros professionis habeat, nèc Presbyteratum ante elapsum integrum triennium à Professione.

2. In Diœcesi propria, ubi est Conventus, recipiant Ordines Religiosi nostri, quod si ibi nos conferantur, poterint aliam adire Diœcesim, non distantem tamen à Monasterio ultrà viginti quatuor leucas. Qui secús fecerit, vel permiserit pœna gravi per tres dies puniatur.

3. Sacerdos primam Missam non celebret, quin priùs Prælato constet tùm de Ordine recepto per litteras Testimoniales ei patefactas, tùm etiam de sufficienti novi Sacerdotis scientia Sacrarum Cæremoniarum, ad judicium ipsius Prælati, & aliorum duorum Religiosorum ab eodem designatorum, & quin ulteriús per decem dies in exercitiis spiritualibus sese præparaverit dictus novus Sacerdos; qui neutiquam primum Sacrum extrà proprium Cœnobium faciat, sub pœna gravis culpæ per tres dies.

REGULÆ CAP. XII.

Omnibus secundis Feriis &c.

CAPUT XII.

De Suffragiis faciendis pro Defunctis.

§. I.

De Suffragiis Defunctorum in communi.

1. Omnibus secundis feriis ad præscriptum Regulæ nostræ dicatur Missa Defunctorum; In Conventibus quidem eum cantu, nullumque pro ea stipendium recipiatur. Missa autèm finita, fiat per Claustrum Processio, proùt in Manuali: Ubi verò Claustrum non fuerit, Absolutio canatur in Choro.

2. In omnibus Conventibus, temporibus à nostro Manuali designatis, quatuor fiant Anniversaria pro Defunctis Religiosis, pro Captivis, Benefactoribus, Parentibus, Cognatis, Confratribus, Amicis, pro Sepultis in nostris Cœnobiis, ac denique pro omnibus Fidelibus Defunctis. In quolibet Anniversario dicatur integrum Officium Defunctorum, & canatur solemniter Missa de Requiem, fiatque Processio per Claustrum, & ubi non fuerit, cantetur Absolutio in Ecclesia. Idemque prorsùs fiat in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

§. II.

De Suffragiis pro nostris Religiosis defunctis, & pro aliis.

1. Quandò aliquis Religiosus è vita decesserit, devotè, ac solemnitèr sepeliatur, servato Officio Sepulturæ in nostro Manuali assignato; Et Superior Conventus, seù Collegii, in quo Frater obiit, scribat suo Superiori Generali, Provincialibus, & Ministris totius suæ Familiæ, atque Chronistis, Generali, atque Provinciali Provinciæ suæ, referens domum, in qua mortuus fuit, tempus, & causam mortis, nomen, patriam, ætatem, professionis tempus, & exercitia, seù officia, quæ defunctus habuerit, & virtutes, in quibus specialitèr resplenduerit. Et de Defunctis, qui professi fuerant antè confirmationem Constitutionum factam die 10. Decembris annimillesimi septingentesimi trigesimi tertii, Superior Generalis statim illius mortem denunciet Superiori Generali alterius Familiæ, ut iste cæteris Provincialibus notam faciat, ut & illi intrà suam Familiam, & unusquisque intra Provinciam suam omnibus Conventibus, & Collegiis idem renuntient, ut justa sine mora persolvant, & Ministri de receptione istarum litterarum Provinciales suos moneant. Et in Archivio nostrorum Matritensis, Romanique S. Caroli Conventuum una ex dictis litteris cujuslibet defuncti servetur, ut si fortè dignus sit, de illo in Chronicis commemoratio fiat.

2. In Collegio, seu Conventu, in quo obiit Religiosus, præter vigiliam, quæ cantatur in Officio sepulturæ, integrum Officium Defunctorum recitetur, & tres Missæ de Requiem cum suis Responsoriis in Ecclesia canantur, & præterea novem sine cantu dicantur. Cum illæ tres cantantur, in medio Capellæ Majoris sit Tumulus altitudinis palmorum quinque, panno nigro coopertus, & suprà ipsum habitus Ordinis.

3. Singuli Sacerdotes Conventus, seu Collegii pro Religioso ibidem defuncto, tres Missas privatas celebrent, & post quamlibet recitent Responsorium in Tu-

Tumulo. Singuli quoque Fratres ad Chorum deputati tria integra defunctorum Officia, & Laici tria integra Rosaria recitent, & in ipsa die mortis, vel sequenti Eucharistiam Sacram recipiant pro Defuncti Anima, ac insuper pro illa duas alias offerant Communiones.

4. Et quia futuris temporibus suffragia pro nostris Religiosis defunctis solùm fieri debent intrà Familiam eorum, & non in toto Ordine, nisi pro illis, qui antè Constitutionum confirmationem professi fuerant, ut suprà dictum est; quilibet Conventus, & Collegium illius Familiæ pro Anima cujuslibet Religiosi defuncti integrum Officium Defunctorum recitet, & Missam unam cantet, ac Responsorium circa Tumulum, ut dictum est. Præterea singuli Sacerdotes duas Missas privatas dicant cum Responsoriis. Fratres ad Chorum deputati duo integra Officia Defunctorum, & Laici duo integra Rosaria; & in die, quo notitia mortis pervenerit, vel in sequenti, omnes prædicti Fratres simul Sacram Communionem pro Defuncti Anima recipiant, illamque pro illa offerant.

5. Si vita functus fuerit Minister Generalis, vel Vicarius Generalis Ordinis in toto Ordine: Si verò Commissarius Generalis: vel Vice-Commissarius Generalis, solùm intrà Familiam suam: Si Provincialis, vel Vicarius Provincialis, solum in sua Provincia: Si Minister in suo Conventu, vel Collegio duplicentur Missarum Sacrificia, Officia Choristarum, & Rosaria Laicorum; Si autem fuerit Diffinitor Generalis actualis Ordinis, vel qui antea munus Ministri Generalis, vel Vicarii Generalis expleverat in toto Ordine: Si Diffinitor Generalis actualis Familiæ, vel qui munus Commissarii Generalis, vel Vice-Commissarii Generalis antè expleverat, solum intra suam Familiam: Si verò fuerit Diffinitor Provincialis actualis, vel munus Ministri Provincialis, vel Vicarii Provincialis expleverat anteà, solùm intrà suam Provinciam omnes Sacerdotes Missam unam, Fratres ad Chorum deputati unum Officium, & Laici unum Rosarium recitent, ultrà id, quod pro particulari Religioso recitare tenentur; Præterea si defunctus fuerat aliquando Diffinitor Generalis Ordinis, vel Familiæ, vel actualis Procurator Generalis Ordinis, vel Familiæ in curia Romana, sivè Hispaniæ in Curia Regia, vel Redemptor Captivorum, vel Procurator Provinciæ; tunc respectivè, vel in toto Ordine, si pro eo, si pro ea in sua tantum Familia, vel solùm in Provincia sua, quando pro illa ultimò Officium exercuit, pro his omnibus, & animabus eorum, quilibet Conventus, seu Collegium in communi recitet integrum Officium Defunctorum, & unam Missam de Requiem cantet, atque qui non fuerint Sacerdotes unam Communionem offerant, ultra præfata pro aliis.

6. Si Defunctus fuerit Novitius, vel Donatus, recitetur pro eo integrum Officium Defunctorum, & cantetur una Missa in Conventu, in quo obiit, & quilibet illius Sacerdos unam Missam privatam: Choristæ unum integrum Officium, & Laici unum Rosarium integrum pro ejus Anima recitent.

7. Ad hoc ut de istarum Constitutionum adimplemento constet, sit ante Chorum Tabula, in qua scribantur Religiosi, qui decesserunt, & decedunt in quolibet triennio, & notetur in illa dies, in quo justa illis soluta sunt.

8. Religiosi nostri semper sepeliantur in Claustro, vel alio in loco illis dumtaxat deputato, ac segregato à Sæcularium Sepulturis, & scribantur, & signentur Fratrum prædictorum sepulturæ, maxime illorum, qui Sanctitatis fama decesserunt.

9. Insuper statuimus, quod in omnibus Conventibus, & Collegiis nostris cum notitia sit de obitu Summi Pontificis, & Domini Cardinalis Protectoris Ordinis nostri, solemnes fiant Exequiæ pro illis. Similiter fiant Exequiæ solemnes pro Principe Dominanti, & ejus Consorte in Conventibus, & Collegiis ditionis suæ.

10. Præterea dum fuerit notitia de morte Parentum, vel Fratrum alicujus Religiosi in eo Conventu, vel Collegio, ubi iste Conventualis fuerit, una Missa dicatur pro Defuncto. Idemque fiat pro habente Epistolam nostram Confraternitatis in eo Conventu, vel Collegio, cujus Religiosos frequentius Hospitio excipiebat.

Re-

REGULÆ CAP. XIII.

Singulis diebus, si fieri possit &c.

CAPUT XIII.

De oratione mentali, lectione, examine conscientiæ, communi flagellatione, & exercitiis spiritualibus.

1. Singulis diebus in qualibet Domo communis fiat ad Deum mentalis oratio per duas horas: Una diluculò, in Conventibus quidem à die prima Martii usque ad ultimam Septembris ab hora quinta usque ad horam sextam: & à die prima Octobris, usque ad ultimam Februarii, ab hora sexta usque ad septimam. Altera verò tempore vespertino, semper à quinta usque ad sextam horam. Insuper post finitum Matutinum, & coronam Virg. Mariæ, quæ post illud immediatè recitatur, reliquum temporis, usque ad secundam noctis horam, in orationem impendatur. Quod si quis absque licentia ab oratione mentali abfuerit, comedat in terra sine capitio, idem, quod cæteri, excepto pisce, vel quod ejus vice ministratur.

2. Ne autem fervor spiritus tepescat, imò exercitium orationis augeatur, præcipimus nostros Religiosos singulis diebus, saltem per dimidiam horam immediatam ante Orationem Vespertinam, librorum spiritualium incumbere lectioni.

3. Omnes in communi bis in die, nempe immediate ante prandium, & post Antiphonam *Benedicta*, Conscientiæ faciant examen per spatium fere octavæ partis horæ. Qui autem Communitati tunc adesse nequivit, ubicumque fuerit eadem hora faciat examen.

4. Omnibus feriis secundis, quartis, & sextis totius anni post Completorium, vel post examen nocturnum communis fiat flagellatio; & tandiù duret, quandiù cantetur psalmus: *Miserere* cum Antiphona, Versibus, & Orationibus in nostro Cæremoniali assignatis. Excipiuntur Vigilia, & dies Nativitatis Domini cum tribus immediatè sequentibus; dies etiam vespertinus, & dies ipse Circumcisionis: necnon vigilia, & dies ipsa Epiphaniæ; dies vespertini, & dies ipsi Sanctorum Patriarcharum nostrorum Joannis, & Felicis; ac denique feria secunda Paschæ, feria secunda Pentecostes, & utraque feria quarta antè Ascensionem, scilicèt, & festum Corporis Christi. Si autem in supradictis feriis venerit solemne festum, poterit in antecedenti, vel sequenti die, vel in ipso festo post Matutinum fieri flagellatio. Quæ quidem fiat in omnibus feriis majoris Hebdomadæ, itaut feria quarta, quinta, & sexta Psalmus *Miserere* ter cantetur in qualibet disciplina cum ℣. *Christus factus est pro nobis &c.* & oratione: *Respice*, ut in officio illorum dierum, fiatque post Matutinum.

5. Præcipimus in virtute S. Obedientiæ, & sub præcepto formali omnibus Religiosis tam Prælatis, quàm Subditis, quod singulis annis faciant per decem dies Exercitia spiritualia in cellis suis, vel in alio loco separato, ad id destinato, modo, & forma in Ordinis instructione præscriptis. Quo tempore cum Communitate solùm intersint Matutino, Primæ, Completorio, Orationi mentali, examini Conscientiæ, Disciplinæ, & Refectorio juxtà prudentem instructionis dispositionem. Hujusmodi autem exercitia ità fieri debent, ut medietas totius Communitatis insimul, & primò faciat, & posteà immediatè altera medietas, nisi attento Religiosorum numero, Minister in tres partes suam Communitatem judicet dividendam; Tempus verò, in quo fieri debent exercitia, erit ab instructione præscriptum.

REGULÆ CAP. XIV.

Singulis quòque noctibus pro statu, & pace S. Romanæ Ecclesiæ &c.

CAPUT XIV.

De Sacrificiis, & Orationibus faciendis pro exaltatione S. Catholicæ Fidei, pace inter Principes Christianos, Captivis, Benefactoribus, & reliquis Ecclesiæ necessitatibus.

1. Strictè præcipimus omnibus nostris Religiosis, quod in suis Sacrificiis, Orationibus, Communionibus, & aliis bonis operibus, tam in communi, quàm in particulari exercendis, Deum orent pro exaltatione Sanctæ Catholicæ Fidei, & pace Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro Summo Pontifice, nostris Regibus, & Principibus, pro Domino Cardinali Protecto-

tectore nostri Ordinis, pro ejusdem Ordinis conservatione, & augmento spirituali, pro Benefactoribus, & Captivis Christianis, & his, pro quibus Universalis Ecclesia consuevit orare. Specialiter autem pro fine isto sequentia fiant.

2. Singulis noctibus antequam ad somnum capiendum Religiosi se conferant, omnes simul in Ecclesia, vel in Choro, magna devotione recitent Antiphonam Sanctissimæ Trinitatis: *Benedicta sit Sancta &c.* cum ℣., & Oratione, proût in nostro Manuali; & finito Conscientiæ examine, recitent similiter Litaniam Lauretanam Sanctissimæ Dei Parentis, proût in eodem Manuali; & qui legitima impeditus causa interesse ei non potuerit, illam privatim recitet.

3. In omnibus Domibus, non Collegiis, Sabbathis totius anni cantetur Missa B. V. Mariæ, illis exceptis, in quibus occurrerit alia Missa canenda ex designatis cap. XI. §. I. num. 6., necnon Vigilia Nativitatis Domini, Octavis privilegiatis, Sabbatho infrà Octavam Corporis Christi, & Sabbatho, in quo celebrari incipit Capitulum nostrum Generale, vel Provinciale. Si autem in alio aliquo Sabbatho occurrerit obligatio canendi alias Missas pro dotatione, aliove Titulo, sivè gratuito, sivè oneroso, non ideò omittenda est prædicta Missa Sanctissimæ Virginis. Pro qua (n si fuerit dotata) stipendium non recipiatur. Prætereà in omnibus Conventibus, & Collegiis cantetur solemniter Antiphona *Salve Regina* Sabbathis totius anni, & diebus Vespertinis Festivitatum Beatæ Mariæ Virginis, & Ordinis simul. Qui verò sine licentia dictæ Missæ, vel Antiphonæ non interfuerit, semel in terra comedat sine Capitio.

REGULÆ CAP. XV.

Jejunent ab Idibus Septembris &c.

CAPUT XV.

De Jejuniis.

1. PRæter jejunia in Regula nostra præcepta, jejunent etiam Religiosi nostri omnibus feriis sextis totius anni, necnon in diebus Vespertinis Sanctissimi Sacramenti, B. Mariæ Virginis, & Sanctorum Patriarcharum nostrorum Joannis, & Felicis, ac in die S. Marci Evangelistæ, & feria secunda, tertia, & quarta immediata ad festum Ascensionis Domini, nisi solemnis Festivitas intervenerit. Per solemnes autem intelligimus festivitates nostri Ordinis (inter quæ festum Titularis Familiæ in Familia, Provinciæ in Pruvincia, & Domus in Domo) Festa B. V. Mariæ, &, quæ ad culendum pronuntiantur. Jejunium verò feriæ sextæ majoris hebdomadæ erit in pane, & aqua tantum.

2. In jejuniis Ecclesiæ pro serotina refectiuncula ministretur frustulum panis, & pomum aliquod, vel quid simile. In jejuniis verò Ordinis cum pane nonnulla præbeantur, ut moris est, ita ut forma jejunii non excedatur.

REGULÆ CAP. XVI.

Carnibus vesci liceat tantum in Dominicis diebus &c.

CAPUT XVI.

De abstinentia à carnibus.

1. SI quis Religiosus absque licentia, & causa, in diebus per Regulam nostram prohibitis id ediderit, quod Ecclesia in die Veneris manducari prohibet, pro prima vice jejunet semel in pane, & aqua tantum, pro secunda verò circularem recipiat flagellationem. Quod si fuerit Prælatus, severè puniatur ad arbitrium sui Superioris; & si comederit coram Sæcularibus, per decem dies exercitia faciat spiritualia. Superior item, qui sine necessitate præbuerit, darive permiserit carnes, toti, magnæve parti Communitatis, suspendatur ab Officio per duos menses.

2. Ad Majorem verò observantiam Sanctæ nostræ Regulæ, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & singulis nostris Religiosis, ne comedant extrà Domos nostræ Religionis in locis prohibitis per Regulam, nec carnes comedant extrà Domos nostræ Religionis in diebus prohibitis per illam, absque licentia Prælati sui, juxtà tenorem Regulæ ipsius; Quod autem dicitur in Regula cap. 19. incipiente; *In Civitatibus, in Villis, sivè Castellis*: Intelligatur Domus in Oppido, Villave, aut Civitate, quando per mille passus non distat ab eis; Si autem sit extrà prædefinitum spatium non erit contra præceptum, nec adhuc vesci carnibus in diebus prohibitis per Regulam, præhabita licentia Prælati. Si aliquis in morbum inciderit sufficientem, ut carnibus vesci liceat ei in die Veneris, distansque fuerit à Conventu, ita ut non possit facilè

ciliè obtinere licentiam à Prælato, eis vesci poterit, virtute hujus Constitutionis.

3. Nullus Religiosus quamvis imbecillem habeat valetudinem, & frequentes indispositiones, carnem comedat, vel linteo utatur, absque licentia sui Ministri, qui eam concedet mature, perpensa necessitate, & pro tempore durationis illius.

4. Ministri curent, & charitate hortentur Religiosos, qui pro infirma valetudine carnibus vescuntur, ut ab his pro aliquo tempore se abstineant: Experientia namque compertum est, quamplures ferè à salute desperatos, recuperasse illam vitæ communi se conformantes, & in Domino fiducialiter sperantes.

REGULÆ CAP. XVII.

Possit emere ad suum victum &c.

CAPUT XVII.

De cibo, & honesta Fratrum recreatione.

§. I.

De cibo nostrorum Religiosorum.

1. SUperiores suppeditent necessaria de victu Religiosis, juxtà indigentiam ipsorum; Quod si propter negligentiam, vel Domus paupertatem, non providerent, Fratres tamquàm veri Christi Discipuli, patienter ferant. Attamen si necessitas postulaverit, humiliter illos moneant, quod si adhuc non subvenerit, liceat eis Provinciali denunciare, qui Prælatos convictos puniat.

2. Omnes in Refectorium ad primam Mensam conveniant. In illo mantilia non sint, sed pro singulis Fratribus, singulæ parvæ mappæ. Patinæ, scutellæ, pateræ, & similia alba non sint, nisi tantùm pro infirmis.

3. Omni tempore in quantitate cibi servetur uniformitas, nec Superior umqum variationem quo ad hoc permittat, exceptis magnis festivitatibus, in quibus extraordinaria, prout moris est, ministrabantur. Mos enim, & consuetudo in instructione reperitur expressa.

4. In Refectorio semper meridie, & serò lectio habeatur spiritualis, servata Cæremonialis nostri dispositione.

5. In omnibus Conventibus, & Collegiis prandium fiat post undecimam horam; quando verò jejunatur ex Ecclesiæ præcepto, post undecimàm, & dimidiam fiat. Cœna sivè refectiuncula numquàm fit antè Completorium.

6. Extrà Communitatem nemo comedat, vel bibat, absque expressa Superioris licentia.

7. In Refectoriis nostris non admittantur Sæculares, nisi raro Benefactores, vel Personæ graves. idque præsertim vitari debet in festis solemnibus, Professionibus, & Primis Sacris.

§. II.

De honesta Fratrum recreatione.

1. IN Conventibus nostris omnes Fratres simùl in loco uno, semper post prandium per unam horam recreationem habeant; exceptis feriis majoris hebdomadæ, & insuper aliam horam post cœnam, seu vespertinam refectionem à Paschate, usque ad ultimam diem Septembris, ac in Festivitatibus solemnibus totius anni, & à Vigilia Nativitatis, usque ad Epiphaniam, atque in feria secunda, & tertia post Dominicam Quinquagesimæ; necnon quandò ex instructione fuerit statuta recreatio. Attamen Novitii, & recens professi, qua die Sacra Communione refecti fuerint, post prandium non recreentur. Et tam ipsi, quàm Philosophiæ Scholastici cum suis Magistris semper habeant recreationem disjunctim à Conventualibus.

2. In recreationibus omnes cum modestia, & honesta gravitate se gerant. Legatur ibi res aliqua spiritualis, vel de illa agatur, & saltem de rebus indifferentibus; non verò de Genealogiis, Stirpibus, Nationibus, Patriis, Nuntiis, & rumoribus inutilibus ad ædificationem, & profectum Animarum; verbaque jocosa, faceta, detractoria non dicant, nec contentiones habeant. Ut autem supradicta observentur, Superior recreationibus adesse, curet, & huic Constitutioni contravenientem, flagellatione puniat.

3. Quando recreationis gratia Religiosi è Conventu exierint, maneant intrà illum, qui ejus obligationibus sa-

satisfacere valeant. Si recreationes extraordinariæ extrà Conventum fuerint, in aliqua Villa, seù suburbana Domo, vel Prædio, Prælatus designet terminum ad quem Religiosi accedere possint, & quem non transgrediantur, absque expressa ibidem Præsidentis licentia.

4. Nullo tempore Religiosi nostri comœdias, aliosve actus, tametsi spirituales agant, nec Prælati ab eis agi permittant. Nec pro quovis alio ludo, & oblectatione vestes sæcularium de foris portent, nec propriis nudentur. Qui autem contravenerit, vel contravenire permiserit, à Provinciali severè puniatur. A Vigilia verò Nativitatis usque ad Epiphaniam duntaxat poterunt nostri musicis uti instrumentis.

5. Nullus umquàm procuret, nec permittat, quod in nostris Ecclesiis Repræsentationes etiam omnino spirituales, fiant; Qui secus fecerit, gravi pœna ad arbitrium Provincialis puniatur.

REGULÆ CAP. XVIII.

Vinum sumendum à Fratribus &c.

CAPUT XVIII.

De Sobrietate servanda.

A Religiosis, præsertim Discalceatis, valdè aliena est intemperantia, & ebrietas: proptareaque, quilibet in hac materia defectus magnopere reprehendi, & puniri debet. Quare, si quis (quod Deus avertat) ebrius aliquandò deprehensus fuerit, si acciderit sine scandalo, pœna culpæ gravis puniatur per sex dies; si cum scandalo, sit incarceratus per tres menses, & privatus loco, & voce per annum unum. Quod si fuerit Laicus, habitu fusci coloris induatur; si cum scandalo, per annum unum; si absque illo per quatuor menses.

REGULÆ CAP. XIX.

In Civitatibis, in Villis, sivè Castellis &c.

CAPUT XIX.

De abstinentia à cibo, & potu servanda à Religiosis extrà Conventum, in Oppidis, ubi illum habemus.

QUI in loco, ubi est Cœnobium nostri Ordinis, extrà illud comederit, vel hospitatus fuerit, incarceretur per quindecim dies: Si pernoctaverit, suspensus sit ab Officio, voce, & loco per sex menses; si biduò pernoctaverit, ultrà dictam pœnam incarceratus existat per dies viginti, quod si ampliùs perduraverit, augeatur pœna, attenta gravitate culpæ, & transgressione Regulæ.

REGULÆ CAP. XX.

Nunquam in Tabernis &c.

CAPUT XX.

De locis, in quibus Religiosi hospites non esse tenentur.

REgula dirigit omnes nostras actiones ad, honestatem, majoremque perfectionem; ideò maximo jure præcipit, ne habitemus, comedamus, vel bibamus In Tabernis, Cauponibus, & hujusmodi locis minùs honestis, & Contravenientes subjicit pœnæ culpæ gravis ad arbitrium Ministri. Quod præcipimus strictè observari.

REGULÆ CAP XXI.

Talis sit Charitas inter Fratres, Clericos & Laicos &c.

CAUPT XXI.

De Vita æquali, & communi, ac de consessu Fratrum.

§. I.

De Vita communi, & æquali.

1. ÆQualitas est parium, & imparium ordo: Ordo enim horum est æqualitas, nec contrarium præcipit Regula: quippè solum prascribit æqualitatem inter Clericos, & Laicos, & hanc circà victum, mensam, & vestitum. Scire enim debent Religiosi, quod non erit ordo, sed confusio, quando Inferiores eriguntur animo, ut fiat sicùt Superiores, & Juvenes, sicùt Senes, quia hoc est superbæ vitium, loco virtutis Humilitatis, qua Superiores deprimi debent, ut & ipsi videantùr inferiores. Observent enim omnes æqualitatem præceptam à nostra Regula, & non illa abutantur. Qui verò absque Superioris licentia dederit, aut receperit cibum alium, & diversum in quantitate, qualitate, & condimento ab

ab eo, qui in communi cæteris ministratur, puniatur, juxtà qualitatem culpæ.

2. Nullus Religiosus alium ex nostris, etiam Ministrum Generalem titulo appellet Reverendissimæ, aut Paternitatis, sed Sacerdotes omnes nominentur Patres, & Reverentiæ, & non Sacerdotes Fratres, & Charitates. Ratione tamen submissionis, & Reverentiæ debitæ Superioribus, omnes Religiosi in toto Ordine, cum sermone agunt de Patre Ministro Generali, Vicarioque Generali Ordinis; necnon de Prædecessoribus in eodem munere, aut de Diffinitoribus actualibus Generalibus Ordinis, dicant: Noster Pater. Eodemque pronomine Noster decorentur intrà suam Familiam Commissarius, aut Vice Commissarius actualis, eorum Prædecessores, atque etiam Diffinitores Generales actuales ejusdem. Similitèr Provincialis actualis, & actuales Diffinitores Provinciales ab omnibus suæ Provinciæ, & Minister à Subditis sui Conventus, seu Collegii. Nec ideò aliquis eo pronomine utatur, si loquatur de tertio cum Superiore utriusque.

3. Titulus Doctoris, Magistri, & hujusmodi nulli nostrorum prætetur, tametsi ante ingressum in Religionem illo gradu, & titulo frueretur, nec illius intuitu, aliquis immunitate, libertateque in Ordine nostro gaudeat.

4. Nullus intet nostros conservet aliquod cognomen, aut eo utatur sui generis, quod habebat in sæculo, ne à loco suæ Nativitatis accipiat pronomen. Omnes enim à sua Professione eligere debent Mysterium, aut Sancti alicujus cognomen, sub cujus tutela, & patrocinio recipiantur in Ordine, & posteà sub eo cognomine dignoscantur.

§. II.

De consessu inter Fratres servando.

1. DEcernimus, quod Pater Minister Generalis, vel Vicarius Generalis habeat primum locum, & sedem in tota Religione: Superior Generalis Familiæ, absente Superiore Generali Ordinis, in tota sua Familia: Pater Minister, vel Vicarius Provincialis in sua Provincia, absentibus his duobus Superioribus Generalibus: & his tribus absentibus Minister in suo Conventu, vel Collegio. Deinde volumus, quod observetur hic ordo: Pater Commissarius, vel Vice-Commissarius Generalis, intrà suam Familiam, post Ministrum, vel Vicarium Generalem; & extrà illam post Diffinitores Generales Ordinis; Posteà Diffinitores Generales Ordinis in toto Ordine, post Ministrum Domus extrà suum Diffinitorium, & sicut intrà illud, quamvis aliud Diffinitorium, sivè Generale Familiæ, sivè Provinciale actu celebretur in Domo; Diffinitores Generales Familiæ extrà actualem Diffinitorii celebrationem intrà suam Familiam sedeant post Ministrum, sicut Diffinitores Generales Ordinis; Et extra suam Familiam omnes alios Hospites tam Ministros, quam Provinciales præcedant. Diffinitores Provinciales in sua Provincia: deindè Diffinitores Generales Familiæ hospites: Provinciales hospites intrà suam Familiam: & similitèr Diffinitores Provinciales hospites, juxtà antiquitatem suarum Provinciarum, præcedant Provinciales, & Diffinitores Provinciales alterius Familiæ, qui extrà propriam Familiam antiquitatem suarum Provinciarum servabunt. Ministri hospites intrà, & extrà suam Provinciam juxtà antiquitatem suarum Domorum: Procurator Generalis Ordinis in Romana Curia, & Hispaniæ in Regia; Redemptor Provinciæ: Procurator Generalis Familiæ: Redemptores hospites, juxtà antiquitatem suarum Provinciarum, nisi intèr illos fuerit statuta subordinatio: Procurator Provinciæ: Procurator Generalis Familiæ hospes: Patres Vicarii in Domibus suis: Patres Vicarii hospites, juxtà antiquitatem suarum Domorum: Patres Procuratores Provinciæ hospites, juxtà antiquitatem suarum Provinciarum; & qui fuerit plurimum Provinciarum præcedat alios: Patres Sacerdotes Professi, qui fuerint Confessarii, sivè Conventuales, sivè hospites sint, præcedere debent intrà, & extrà Familiam, Provinciam, aut Domum suam, omnes alios non Confessores, si Professi fuerint à die 31. Maji anni 1734. ut decretum fuit post Constitutionem anno præcedenti confirmatam à Capitulo Generali: Post prædictos Confessarios sequuntur Sacerdotes simplices Professi, juxtà antiquitatem suarum Professionum: Fratres Diaconi Professi, juxtà antiquitatem Professionis: Fratres Subdiaconi Professi, juxtà antiquitatem Professionis: Fratres Professi Choristæ, juxtà antiquitatem Professionis: Novitii Sacerdotes, juxtà antiquitatem Habitus: Fratres Laici Professi, juxtà antiquitatem Professionis: Novitii Choristæ, juxtà antiquitatem Habitus: Novitii Laici, juxtà antiquitatem Habitus.

2. Tempore Capituli, vel Diffinitorii, Patres Diffinitores, & Capitulares, locum habebunt, & sedem infrà designatam cap. 39. §. 3. n. 3. Ac similiter in Domibus, in quibus adfuerit Superior immediatus illorum. Patres Visitatores, dum tali munere funguntur, præsideant, & præcedant omnes alios ab ipsis visitandos.

3. Nullus præsidentiam, vel loci præcedentiam habeat, eò quod in Religione functus fuerit aliquo Officio, etiam Generalatu.

4. Quando in itinere fuerint, præsidentiam, & graduationem num. 1. assignatam observent, nisi justa de causa Prælatus aliquem minùs antiquum in Præsidentem designet.

REGULÆ CAP. XXII.

Infirmi seorsùm dormiant, & comedant &c.

CAPUT XXII.

De charitate ergà Infirmos.

1. SUperior Conventus præsto sit Infirmis; provideatque de omnibus necessariis pro ipsorum medela, & curatione, quin paupertate Conventus excusetur: Qui autem paupertate Conventus excusari velit, quamvis vera sit paupertas, renuntiare debeat Officium; alioquin facto à Provinciali processu, privatus sit à Diffinitorio Generali suo, ut sollicitior alius, loco illius subrogetur. Superior verò non permittat, quod extrà Conventum cibus condiatur, nisi in aliqua gravi infirmitate, & aliquo condimento à nostris ignoto. Quod si defectus in aliqua re acciderit, hortamur ægrotos, ut tamquàm pauperes patienter ferant.

2. Quotidie Superior visitet Infirmos, & curet tempore apto illis Sacramenta ministrari. Quod si sua negligentia absque Pœnitentia, Viatico, vel Extrema Unctione aliquis decesserit, suspensus sit ab Officio per unum annum, vel augeatur pœna arbitrio Provincialis, juxtà culpam; & Infirmarii, si quam culpam habuerint, juxtà illius gravitatem mulctentur. Curet insuper Prælatus, quod ægroti semel, saltem in hebdomada (dum infirmitatis accidentia non impedientia) cælesti reficiantur Pane; & quod in Paschate pro adimpletione Præcepti Ecclesiastici Sacra Eucharistia solemniter ministretur, non valentibus surgere è lecto, prout in nostro Manuali.

3. In quocumque Conventu, vel Collegio, quis ægrotaverit, quamvis sit hospes, curetur donec salutem recuperet, nisi justa de causa Provincialis illum mittat in aliam Domum, & Conventuales illum cum Charitate recipiant, ac de necessariis provideant, sicut cæteris Conventualibus.

4. Si propter Infirmorum frequentiam Conventus aliquis in egestatem devenerit, Provincialis illi subveniat, facta, cum licentia Superioris Generalis, aliqua per Conventus contributione.

5. Nullus ægrotus ex nostris curetur extrà Conventum, etiam in Domo Parentum suorum, nisi casu, quo morbus ità sit gravis, quod ab illo aliter non posse evadere prudenter judicetur, & tunc quidem fiat cum licentia in scriptis Patris Provincialis, & in Oppido, in quibus Cœnobium nostrum non est.

6. Balnea medicinalia nullus intret ægrotus, absque Patris Provincialis licentia in scriptis, sub pœna privationis vocis, & loci.

7. Sine expressa licentia sui Prælati, nemo Medicum consulat, nec medicinis utatur sub pœna gravis culpæ.

8. Liceat Infirmis, cum Prælati benedictione, uti Tibialibus, & Pedulibus, vel aliqua alia re, ex sago albo, vel simili materia, ut se protegant, & foveant, dummodo nisi in Agrum de Domo non exeant, nec Sæcularium Domos anteà, vel posteà ingredi præsumant, sub pœna reclusionis intrà Conventum per integrum annum.

REGULÆ CAP. XXIII.

Si qui Religiosi ad hospitandum advenerint &c.

CAPUT XXIII.

De charitate exercenda cum Hospitibus Religiosis, ac Sæcularibus.

§. I.

De Hospitibus Religiosis.

1. SUperiores benevole recipiant hospites Nostri Ordinis, & necessaria illis suppeditent, sub pœna culpæ gravis. Cæteri Religiosi familiariter cum illis agant, primaque nocte ipsorum pedes

des laventur, ac simili charitate, & benevolentia recipiatur quilibet alterius Ordinis Religiosus, qui ad hospitandum in Domos nostras advenerit.

2. Hospites nostri Ordinis, transfacta prima die, Choro, & aliis Functionibus Communitatis assistant, nisi forte propter prolixitatem itineris, Superior longiorem illis requiem concedat.

3. Si ultrà quatuor dies in Conventu remorentur, pecunias, si quas habent, Superiori tradant, ut in trium clavium arca custodiantur; alioquin pœnæ culpæ gravis per tres dies subjaceant; & Superior illas integre restituat, sub pœna suspensionis ab Officio per mensem unum.

4. Statim, ac hospites ad Conventum accesserint, Ministro declarent quid curæ, & negocii habeant, & absque illius licentia (quamvis Conventuales, vel Provinciales, vel Diffinitores alicujus Provinciæ sint) non egrediantur è Conventu, obediantque sicùt Conventuales, ordinationibus, & præceptis ipsius Prælati, nisi hospes sit Superior Generalis, vel Diffinitor Generalis alterius Familiæ, qui tamquam Diffinitores Generales Ordinis habendi sunt circà hæc.

5. Translactis duobus diebus, Hospites Missas celebrent pro intentione, & obligatione Conventus, vel Collegii illius, in quo hospitantur. Si tamen venerint ut Conventuales, à primo die pro illo Sacra faciant.

§. II.

De Hospitibus Sæcularibus.

1. **E**Tiam Sæculares benevolè, & charitativè recipiantur; non tamen in communi Dormitorio, sed in loco separato hospitentur.

2. Non permittantur Sæculares intrare Cellas, & Officinas Conventus, quamvis illius Famuli sint. Bene tamen aliqua persona gravis, sed rarò, & cum Superioris licentia, & Religioso comitante. Delinquentes autem, qui ad nos confugerit, solùm permittantur per tres dies.

REGULÆ CAP. XXIV.

Nullus Frater Laicus, sive Clericus &c.

CAPUT XXIV.

De otiositate à Nostris fugienda.

1. **N**Ullus Religiosus (sicùt præcipit Regula) sit sine proprio officio, juxtà prudentem Prælati dispositionem.

2. Officia in communi tabula singulis hebdomadis æqualiter distribuantur, & imponantur omnibus Religiosis tam Prælatis, quàm subditis; & juxtà vires, & occupationes uniuscujusque, prout in nostro Cæremoniali disponitur. Et Sacerdotibus, qui jam triginta, & octo annos ab habitu recepto expleverint, solum imponatur humilitatis officium. Nec insuper Fratres laici, qui eosdem 38. annos habitus compleverunt, vel si Coquinæ, vel Pulsatoris ad Matutinum, & manè ad orationem Auroræ Officia laudabiliter exercuerint, unumquodque per duodecim annos integros, & continuos, aut saltem per breve tempus discontinuatos, immediatos tamen post Professionem, cogantur pulsare media nocte ad Matutinum, nec manè ad orationem Auroræ, nec ad Coquinam destinentur. Et præcipimus PP. Ministris, quod solis his, hoc modo exemptis, & alias aptis, onus committant postulandi eleemosynas ostiatim: Et similiter præcipimus PP. Provincialibus, quod tantùm hos jam sic exemptos, & non alios, licèt aptiores, ad Procurationem Redemptionis, Sacristiæ Officium, Administrationem laborum agri, vel alia hujusmodi eligant, aut designent, nec eligere permittant. Præterea Fratres laici, qui per sex annos, post illos duodecim, officiorum Administratoris, Procuratoris Redemptionis, Eleemosynarii, aut Sacristæ exercitium laudabiliter compleverint, præter humilitatis officium, aliud illis in communi Tabula non imponatur ultetiùs.

3. Prædictæ Tabulæ officia cum magna cura Fratres adimpleant. Quod si quis urgenti causa adimplere quandoque non valuerit, Superiorem tempore apto moneat, ut alium substituat, sub pœna disciplinæ non monenti.

REGULÆ CAP. XXV.

Silentium observent semper in Ecclesia sua &c.

CAPUT XXV.

De silentio, clausura, & modo servando in exitu à Conventu.

§. I.

De Silentio.

1. PRæter loca, in quibus Regula nostra præcipit semper observare silentium, etiam inviolabiliter servetur in Sacristia, & Claustro; & insuper in omni loco servetur, facto signo post prandium, ut Religiosi ad Cellas se conferant, usque ad Vesperas, vel aliud simile signum; nec non ab examine conscientiæ nocturno, usque ad primam diei sequentis. Licebit tamen eis cum Superiore his temporibus loqui super aliquo, quod differri non possit.

2. Præcipimus singulis Religiosis nostris, quod nec inter se, nec cum Sæcularibus umquàm deambulent, nec confabulentur in Claustro. Si cui opus fuerit alterum alloqui, id faciat in Aula, sive loco ad destinato à Superiore cum illius licentia.

3. Omnes Religiosi mutuò se honore afficiant: non tamen hoc fiat urbanitatibus alienis ab humilitate Discalceatorum.

§. II.

De Clausura.

1. SInguli Religiosi in singulis seorsim habitent Cellis, à quibus non exeant sine urgenti necessitate, vel ad Chorum. Idque præsertim observetur temporibus silentii.

2. Nullus alterius Cellam (etiam Superioris, absente ipso) ingrediatur, sub pœna comedendi semel super terram. Quod si privatim Cellam de nocte intraverit, privatus sit voce, & loco per mensem. Si autem in aliquo Conventu defectus erga hoc reperiatur, Superior ad illum vitandum, præceptum imponat, & majorem pœnam.

3. Nullus ab alterius Cella extrahat codices, libros, vel rem aliam, sine licentia Superioris, qui contravenientem severè puniat.

4. Laudabilis nostri Ordinis consuetudo observetur, nempè in nocte post Litaniam Lauretanam pulsentur Tabellæ in Dormitoriis, & dicatur Sententia Spiritualis, cujus meditatione Religiosi, in Cellas, lectulosque se conferant, ac intrà quadrantem horæ lucem extinguant; qui intra illud spatium non extinxerit, pronus in terram die sequenti comedat.

5. Superiores per se, vel per suum Vicarium, quando expedire viderint, Cellas nocturno tempore visitent: Clausuram verò singulis noctibus, portas iterum observando magistra clavi, quam semper apud se retineant. Qui autem negligens in debita clausura observanda fuerit, suspensus sit ab Officio per tres menses.

6. Quando solitæ Processiones per nostra fiunt Claustra, non permittatur ingressus mulierum in illa. Qui secus fecerit, graviter ad arbitrium Provincialis puniatur.

§. III.

De egressu Fratrum à Conventu.

1. SUperiores, Redemptores Captivorum, Procuratores, eleemosynarum Quæstores, vel loco Procuratoris Conventus alius Religiosus, cum suis Sociis poterunt dumtaxat ad Oppidum exire. Et Prædicatores similiter ad concionandum, & Confessarii ad audiendas Confessiones. Quod si in aliquo Conventu fuerint plures hospites, & negotia, poterunt alii egredi cum licentia Diffinitorii. Superior autem hujusmodi Constitutioni contraveniens, pœna culpæ gravis puniatur. Ipseque ita sit assiduus in Domo, quod subditi ejus exemplo libenter ferant inclusionem suam. Nec uno, eodemque tempore Minister, & ejus Vicarius extrà Cænobium umquam sint.

2. Nullus Superior in locis, in quibus sunt Conventus nostri, Religiosum aliquem, etiam eleemosynæ Quæstorem, sine Socio ad Oppidum mittat, sub pœna culpæ gravis, prudenterque se gerat in assignatione Sociorum. Quos autem designaverit, recipiant Subditi, absque excusatione, sub pœna etiam culpæ gravis. Qua etiam pœna afficiantur Socii, qui extrà Monasterium ita separantur, ut mutuo se non videant, præsertim dictæ eleemosynæ quæstores.

3. Ante horam orationis matutinæ, è Domo nullus exeat, absque urgenti necessitate, redeantque omnes ante noctem,

ctem: Contraveniens autem pronus in terram panem, & aquam die sequenti comedat. Nec exeant in diebus feriatis, & in illis in quibus sæculares habent ludos, & publicas lætitias, spectacula, & similia, excepta causa gravis, & ita urgentis negotii, quod differri non valeat. Qui verò, absque illa, licentiam diebus prædictis petierit, vel concesserit pœnæ culpæ gravis subjaceat.

4. Quandò Religiosi nostri ad Oppidum exeunt, in illas tantummodò ingrediantur domos, ad quas expressam licentiam habent, nec negocia suscipiant, nisi à Superiore commissa, quod si aliquod occurrerit, in regressu ad Conventum Prælato exponant. Qui verò parti alicui hujus Constitutionis contravenerit, pœnæ culpæ gravis afficiatur, vel majori, si ratione alicujus circumstantiæ culpa augeatur.

5. Egressurus à Conventu, obtenta licentia, indutus Cappa, simul cum Socio, Benedictionem accipiat à Prælato, & à Sanctissimo Sacramento breviter orans; idemque faciat in regressu. Tempore autem visitationis actualis, à Visitatore benedictionem accipient. Semperque eamdem accipient Prælati ab aliis sibi Superioribus, in eadem Domo existentibus.

6. Numquam Religiosi nostri simul in communi egrediantur ad Funera, vel cantanda Responsoria, nisi in eis locis, in quibus unicus fuerit Conventus, vel Collegium nostri Ordinis, vel ad Funera, & Exequias Regum, Episcoporum, Prælatorum, & similium gravium Personarum, quando aliæ Religiones concurrant. In his autem, & quibusvis aliis Functionibus singulari modestia nostri resplendeant; nec à Communitate aliquis umquam separetur, sub pœna culpæ gravis per tres dies.

7. Hortamur PP. Ministros, ne permittant, ut Religiosi, qui pro sua infirma valetudine carnibus vescuntur, lino, sive alia re, nostræ austeritati opposita utuntur, iter faciant, vel à Conventu exeant, nisi raro, & justa de causa, vel in agrum, juxtà dicta de charitate erga infirmos num. 8.

8. Nullus Religiosus sub pœna gravis culpæ è Domo egrediatur ad agenda negotia Sæcularium, etiam suorum Parentum; si tamen commodè excusari non possit, id liceat ei, obtenta prjùs alicujus Prælati Superioris licentia.

REGULÆ CAP. XXVI.

Juramenta non faciant, nisi magna necessitate &c.

CAPUT XXVI.

De circumstantiis, quæ concurrere debent, pro juramentis à nostris Religiosis faciendis.

JUramenta non faciant, nisi magna occurrerit necessitas in Causis justis, & honestis, cum licentia sui Prælati, vel jussi ab aliquo, qui id præcipere eis possit. Qui autem absque istis circumstantiis juraverint, disciplina Conventuali plectantur.

REGULÆ CAP. XXVII.

Pignora non accipiant; depositum auri &c.

CAPUT XXVII.

Prohibetur nostris Religiosis acceptio Pignorum, & Depositorum.

PRæcipit nostra Regula capite isto, ne Pignora, vel Deposita auri, argenti, vel pecuniæ à nostris suscipiantur. Quare qui contravenerit, tamquam violator Regulæ puniatur.

REGULÆ CAP. XXVIII.

Si quod vitium in re, quæ venditur &c.

CAPUT XXVIII.

Præcipitur, quod defectus rei vendendæ, manifestetur Emptori.

REligiosi nostri veritatis, & justitiæ amatores esse debent; ideò manifestent Emptori vitium, si aliquod notum ipsis fuerit in re, quam vendere volunt, sub pœna gravis culpæ infligendæ non indicanti.

REGULÆ CAP. XXIX.

Capitulum, si fieri possit, singulis Dominicis diebus &c.

CAPUT XXIX.

De Capitulo Conventuali, & Consiliariis Conventus.

§. I.

De Capitulo Conventuali.

1. NUllus nisi Sacerdos, & post tres annos à Professione, votum habeat in Capitulo Conventuali.

2. Quando juxtà nostram Regulam, & Constitutiones, res aliqua à Capitulo Conventuali decerni debet, Superior illam proponat Communitati die antecedenti, & in sequenti definiatur per secrèta suffragia à Prælato, & Consiliariis regulanda.

3. Ut semper constet quænam res definitæ, & determinatæ sunt à Capitulo Conventuali, in quolibet Conventu, & Collegio sit Secretarius electus de corpore ipsius Capituli, & ab eodem Capitulo cum consilio, & assensu Provincialis. Qui quidem Secretarius in libro ad id destinato scribat omnia decreta prædicti Capituli, approbationes Ordinandorum, & similia; & postquàm ea legerit ipsi Capitulo, Minister, & Consiliarii subscribant, & ipse quoque Secretarius tamquàm attestans.

4. De omnibus actis, ac determinatis in Capitulo, semper custodiatur secretum. Si quid verò aliquis revelaverit aliis Religiosis non Capitularibus, vel Sæcularibus, maximè quandò Prælatus secretum commendavit, ad arbitrium Provincialis, privetur voce activa in Capitulo Conventuali, juxtà inconvenientia ex revelatione subsecuta.

§. II.

De Consiliariis Conventuum, & eorum Officio.

1. IN quolibet Conventu, seu Collegio Pater Provincialis designet quatuor Consiliarios, ex quibus duo primi officium exerceant, & in eorum absentia alii duo. Et cum actu exercentibus consulat Prælatus omnes res ad Conventus administrationem pertinentes, exceptis gravioribus, majorisque ponderis: Istæ enim per majorem partem Capituli Conventualis decerni debent.

2. In singulis Conventibus, & Collegiis singulæ sint pro custodiendis pecuniis Arcæ trium clavium, quarum alteram Superior, duas alias Consiliarii Officium exercentes habeant. Et sine assistentia cunctorum trium, neutiquàm Arca ista aperiatur.

3. In dicta Arca sit liber, in quo scribatur omnis pecunia, quæ recipitur, & expenditur, & ex quo procedit. Sit etiam alter liber, in quo clarè, & distinctè scribatur, quomodò satisfactum est oneribus Missarum, suffragiorum, cæterarumque obligationum perpetuarum, & temporalium, quæ Conventus habet, & qualiter etiam sit satisfactum Missis, & suffragiis pro nostris Religiosis defunctis. Sit quoque liber alter, in quo scribantur quantitates Tritici, Hordei, Vini, Olei, & similium, quæ quocumque titulo recipiuntur, & in Conventu expenduntur. Ac denique sit liber alius pro Redemptione Captivorum, ut dictum est cap. 2. §. 1. n. 9. in quo scribantur non solum, quæ Conventus separat pro dicta Redemptione, sed etiam omnia, quæ quoquo modo, & titulo pro illa recipiuntur. Et de omnibus in hoc numero dictis Superior, & Consiliarii in fine cujusvis mensis rationem conficiant, & in prædictis libris scribant & subscribant. Quod si in hoc fuerint negligentes, severe puniantur ad arbitrium Provincialis.

4. Etiam in quolibet Conventu, & Collegio sit in Arca trium clavium, seu in Archivio liber magnus nomine Protocollo, in quo clarè, & cum distinctione scripta sint, & scribantur fundatio, & status Conventus, obligationes perpetuæ Missarum, & suffragiorum, Bona stabilia, & immobilia, & Census tam in favorem, quàm contra. Et in eodem Protocollo sit quoque Index, & Inventarium omnium scripturarum in favorem Conventus cum notatione loci, temporis, & Scribæ, à quo signatæ sunt. Ac denique in dicta Arca, vel Archivio custodiantur omnes, & quæcumque scripturæ, Instrumenta, & Inventaria pertinentia ad Conventus, vel Collegii bona.

RE-

REGULÆ CAP. XXX.

Non solum Fratribus, sed & Familiæ Domus &c.

CAPUT XXX.

De Capitulo, Collatione Spirituali, ac Exhortatione in diebus Dominicis.

1. Singulis Dominicis diebus, antè Primam in omnibus Conventibus, & Collegiis Capitulum juxta tenorem Regulæ in Aula Capitulari fiat, in quo Prælatus hortetur Religiosos ad observantiam, majoremque perfectionem illorum culpas corrigat; agatque de receptis, ac separatis, & separandis pro Redemptione Captivorum, de statu Domus, & ejus substantia; audiatque Subditos Capitulares, quæ ad perfectius ipsius Conventus, vel Collegii regimen in ipso Capitulo proposuerint, & quod expediens videatur, exequi curet. Quibus finitis, si adhuc non sit hora recitandi Primam, reliquo tempore usque ad illam, omnes in communi mentaliter orent.

2. Prima cujuslibet mensis Dominica, antè correctionem culparum, & antè omnia prædicta num. 1. habeant Fratres per spatium dimidiæ horæ collationem spiritualem de aliquo vitio extirpando, seu virtute adipiscenda, vel de puncto aliquo orationis; & omnes suam sententiam, & judicium pronuntient; ac deniquè Superior brevem ergà eamdem rem concionem agat. Minister verò, qui per integrum annum prædictam collationem omiserit, inhabilis declaretur; imò vi hujus Constitutionis tamquàm declaratus habeatur, & à Provinciali privetur.

3. Insuper præter Dominicos dies, bis etiam in hebdomada advertentiæ, culparumque correctio in eadem Aula Capitulari fiat; à Paschate quidem, usque ad primam diem Octobris, immediatè post Vesperas; reliquo verò tempore anni post Completorium.

4. Omnia prædicta tam videlicèt collationes, & exhortationes, quàm culparum correctiones solum fieri possunt à Superioribus Generalibus, Provinciali, Ministro, Præsidenti, vel Vicario.

REGULÆ CAP. XXXI.

De omnibus rebus, & clamoribus &c.

CAPUT XXXI.

De correctione culparum, de earum gravitate, & pœnis.

§. I.

De modo animadvertendi culpas in Capitulo.

1. Singulis hebdomadis designetur Sacerdos, cujus officium sit zelarè observantiam, & charitativè, ac simplicitèr proponere in Capitulo culpas Religiosorum, infra hebdomadam quidem leviores; die verò Dominica, quæ majoris sint ponderis; Idemque faciat Capituli Præses. Hortamurque Zelatorem, quod fidelitèr, & sine Personarum acceptione suum adimpleat Officium. Ne autem ausui alicui imputetur, sine prævià consultatione sui Ministri, gravium, seniumque Religiosorum culpas, quantumvis leves, non proponat in publico.

2. Ut sanctæ nostri Ordinis consuetudines observentur, Superiores pro culpis levibus flagris cædant Religiosos, imponantque mortificationes ordinarias, & extraordinarias, per Refectorium in publica Mensa faciendas, in quarum exercitio, ipsi voluntarie præcedant, ut eorum vestigia Subditi libenter sequantur.

3. Hortamur Religiosos, quibus in Capitulo nulla fuit adscripta culpa, quod ipsimet se accusent, pro humilitatis exercitio.

4. Animadversus æquo animo ferat, & humiliter pœnitentiam accipiat, absque satisfactione, nisi de aliquo fueric à Præside interrogatus, & tunc submisse, & breviter satisfaciat. Sit tamen semper justitia, & lenitas in corrigente, & in correcto submissio.

5. Si quis in Capitulo suas, vel alienas culpas, absque licentia excusare, & defendere voluerit, statim severè puniatur ad arbitrium Præsidis Capituli, nisi prudentia dictante, melius videatur punitionem in commodius tempus differre. Nemoque de culpis animadversis conqueratur, sub pœna jejunii in pane, & aqua tantum.

§. II.

De gravitate culparum, & earum pœnis.

1. NOn solùm generalibus gratiæ Dei auxiliis, verùm, & specialibus Religiosi muniuntur: Attamen talis est humana fragilitas, ut timeri possint lapsus etiam graves, cùm in Cœlo, Paradiso, & Collegio Apostolico nonnulli defecerint. Quare prudenter prævientes designamus omni genere culparum, (nempe levi, mediæ, gravi, graviori, & gravissimæ) sequentes pœnas.

2. Culpa levis est errantem in Choro in recitatione, vel cantu, non statim terram osculari; præsto item non esse actibus Communitaris, manducare, & bibere absque licentia, & his similia. Pro culpis istis infligatur pœna non nihil recitandi, vel faciendi in Refectorio aliquam mortificationem ordinariam.

3. Culpa media est minùs decenter Divinis Officiis interesse; frangere aliquod Capitulum præceptivum Regulæ; de more habere negligenter, & rardè interesse actibus, & functionibus Communitatis, negligentem quoque esse in adimplendo officio de communi tabula; vel in exequendis simplicibus mandatis Superiorum; contendere immoderatè cum Sæcularibus; vagari per Conventum; res ad Ecclesiam pertinentes irreverenter tractare; libros, & alia hujusmodi communia negligentèr curare. His culpis arbitrio Superioris pœnæ correspondeant.

4. Culpa gravis est committere, quodcumque peccatum mortale absque scandalo. Si alicui ex istis non fuerit in Constitutionibus nostris peculiaris pœna designata, Minister (cui comperit gravem culpam judicare) delinquentem poterit in Carcerem conjicere, vel aliam pœnam ad arbitrium imponere, attentis qualitatibus culpæ.

5. Etiam reducitur ad culpam gravem, ludere absque scandalo cartis pictis, taxillis, & similibus; sumere absque licentia aliquas res communes ab Officinis, vel eas, quas Fratres habent ad usum; Dicere, aut scribere alteri aliquod opprobrium, aút maliticsum verbum; Verba quoque inhonesta proferre, aut cum mulieribus immodeste, & inverecunde colloqui. Pro his, & similibus plectantur Rei flagellis in Capitulo, & jejunio in pane, & aqua tantum, vel reclúdantur in cellis per aliquot dies, post asperam repræhensionem.

6. Culpa gravior est committere quodcumque peccatum mortale com scandalo; vel quodcumque peccatum incontinentiæ, contumaciæ, inobedientiæ, vel apostasiæ etiam sine scandalo. Pro his culpis, & unaquaque illarum reus incarcerabitur per tres menses, & privabitur voce, & loco per annum; vel in Capitulo flagellabitur à Præside, & à tota Commonitate, & semèl jejunabit in pane, & aqua tantùm, ac in Cella recludetur pro tempore culpæ proportionato. Qua pœnitentia durante, nullus reus exerceat officium. Quod si Sacerdos fuerit, Missam non celebret: Si Frater ad Chorum deputatus, poterit circulus coronæ pro tempore carceris, ei radi: Si verò Laicus indui poterit vestimento fusci coloris. Quas, & similes pœnas adhibere valebit Provincialis pro arbitratu suo, semper tamen proportionatas cum qualitatibus culpæ.

7. Culpa gravissima est committere delictum, cui in jure pœna mortis, vel triremium inflicta est v. g. ponere libellos infamatorios; fingere, & adulterare subscriptiones, vel sigilla Superiorum; patrare facinus aliquod, proptèr quod delinquens expelli debeat: Propter hæc à Diffinitorio Generali suo, gravissimè puniantur rei, attenta delicti qualitate, vel deponantur, ut si Judicibus visum fuerit ex meritis causæ, expellantur à Religione, servata forma infrascripta cap. 33. §. 2. Gravissimas enim culpas judicare Diffinitorio competit.

§. III.

De nonnullis animadvertendis ergà dictas pœnas.

1. QUando in nostris Constitutionibus ponitur pœna suspensionis, vel privationis (etiamsi inibi dicatur Ipso facto) non intelligatur ante, sed post sententiam Judicis super facto. Et quando absolutè dicitur, quod aliquis careat voce, intelligatur de utraque, activa nimirùm, & passiva.

2. Si in Capitulo Dominicali præsens fuerit aliquis Sacerdos, privatus voce, postquàm egressi sint ab illo omnes Fratres Laici, & Choristæ, Præses corrigat eum, si vel ipse, vel zelator aliquam notavit culpam, & statim præfatus è Capitulo exeat. Privatus Sede, seu Loco, si Sacerdos sit, sedeat post omnes alios Sacerdotes, nisi Judex alium inferiorem locum illi designaverit. Et proportione servata, similitèr fiat cum non Sacerdotibus.

3. Quan-

3. Quando in nostris Constitutionibus designatur pœna privationis officii, & vocis; si delinquens officium, & vocem non habeat, infligatur illi alia proportionata pœnitentia.

4. Suspensi ab Officio remaneant in suis propriis Domibus, nisi suspendens, vel Superior Generalis alios Conventus illis assignet pro tempore suspensionis.

5. Quandò pro pœnitentia imponitur jejunium in pane, & aqua, Pœnitens adimpleat in refectorio ad primam mensam pronus in terram, absque mapula, & capitio.

6. Volumus, quod illi, qui de more habuerint committere culpas leves, puniantur augendo pœnam proportionatam culpæ; juxtà continuationem in ea, ità ut, dum non resipiscant, semper pœna augeatur: E contrà vero Superior, qui pœnitentiam imposuit, poterit prudentèr, & attentis circumstantiis, minuere illam eis, qui humilitèr adimplent, & signa emendationis ostendunt.

7. Culpis illis, quibus Constitutiones nostræ pœnas non statuunt, Superiores pro suo arbitrio imponant proportionata semper cum delictis, & circumstantiis, & ad similitudinem hic designatarum.

8. Ad puniendum delicta semper attendantur Personæ, & circumstantiæ, ut sic, vel augeatur, vel minuatur pœna.

9. Prælatus inferior obligatus sit fidem facere Superiori, qualitèr pœnitentia ab ipso imposita executioni mandetur.

§. IV.

De Carcere nostrorum Conventuum.

1. IN omnibus nostris Conventibus, & Collegiis sit locus securus, ac deputatus ad custodiam reorum, non tamen adeo rigorosus, ut in discrimen veniat salus Religiosorum inibi inclusorum, & sint in eo compedes, vincula, aliaque necessaria ad pœnam, & majorem custodiam delinquentium.

2. Si aliquis proptèr sufficientem alicujus gravis delicti probationem jussus fuerit à Judice incarcerari, exuatur in ipso carcere habitu albo, & induatur vestimento fusci coloris; poteritque si reus fuerit ad Chorum deputatus, in eodem carcere coronæ circulus ei radi.

3. Si propter negligentiam, vel malitiam Custodis Carceris reus aufugerit, Custos in Carcere conjiciatur, & juxtà gravitatem culpæ puniatur.

4. Si quis quoquo modo opem tulerit Incarcerato, ut aufugiat, si effectus non fuerit secutus, incarceretur per viginti dies: Si effectus secutus, sit in Carcere toto tempore, quo Delinquens debebat esse. Carcerem autèm contringentibus, tempus incarcerationis duplicetur.

5. Siquis sine licentia Superioris visitaverit, vel allocutus fuerit incarceratos pœnæ culpæ gravis per unum diem subjaceat.

6. Prælatus per se, vel per alium curet de solatio incarceratorum, & de exhortatione ad tolerantiam. Libros Spirituales illis concedat; sed non atramentum, nec alia ad scribendum requisita, nisi rarò, pensatis circumstantiis, & cum scientia eorum, quæ scribunt.

REGULÆ CAP. XXXII.

Nullus Fratrum Fratrem suum in publico accuset &c.

CAPUT XXXII.

De pœna contra lædentes famam aliorum.

1. SI quis alterius famam apud Religiosos nostri Ordinis læserit, & convictus fuerit, pœna talionis puniatur, sicut præcipit Regula, & antè omnia famam restituat. Si verò nostræ Religionis decorem, & suorum Religiosorum existimationem infamiæ labe denigraverit apud Sæculares, vel Religiosos alterius Ordinis, prætèr pœnam supradictam, careat voce activa per triennium, & inhabilis sit ad omnia Ordinis Officia.

2. Si quis falsum testimonium in re gravi contra alium dixerit, & convictus fuerit, prætèr pœnam talionis, numquàm in testem produci valeat.

REGULÆ CAP. XXXIII.

Si qui scandalum, vel aliquid hujusmodi fecerint &c.

CAPUT XXXIII.

De Apostatis, & Fugitivis, Incorrigibilibus, & manus violentas in alios injicientibus.

§. I.

De Apostatis, & Fugitivis.

1. Ille reputandus, habendusque est, ut Apostata, (quantum ad pœnam), qui absque licentia Superiorum vagatur extrà Conventum, sine habitu, habeat, vel non intentionem redeundi ad Claustra, aut etiàm cum habitu, si peracto dies extrà Claustra permanserit. Iste ergò ipso facto sit excommunicatus, & pro tali promulgetur à Superiore coram Communitate. Item, qui de nocte sine licèntia è Conventu exierit, eodem modo sit excommunicatus, & velut Apostata puniatur.

2. Si quis absque licentia exierit à suo Conventu, vel à Confinio, & Jurisdictione sui Prælati immediati, statim ac Domum redeat, incarceretur, etsi constiterit confugisse ad Superiorem Prælatum, non habeatur pro Excommunicato; Poterit tamen arbitrio Superioris puniri, si justam causam recursus non reddiderit. Si verò aliorsùm divertit, & via recta Superiorem non adivit, severè puniatur.

3. Statim ac fit notitia de alicujus Religiosi exitu à Conventu sine licentia, quamvis recurrat ad Superiores, Prælatus illius Processum formet de fuga, & certiores faciat Superiores, Generalem, & Provincialem de illa, & de die, ac causa ipsius fugæ. Superior verò Generalis fugam denuntiet Procuratori Generali pro sua Familia existenti in Curia Romana.

4. Et quia fel: rec: Urbanus VIII. per suas Litteras in forma Brevis sub die 4. Aprilis 1637. incipien. *Alias à Nobis* (post alteras quoque ab eodem, & à fel: rec: Paulo Papa V. emanatas) præcipit, ut nullus nostri Ordinis Religiosus ad alium quemquam Ordinem, Religionem, sive Congregationem (excepto Ordine Cartusianorum petita, & obtenta licentia à Superioribus nostri Ordinis) sub Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, atque Excommunicationis latæ Sententiæ pœna, etiàm emissionis quarti Voti, seu perfectioris, & humilioris Vitæ præsumptione, aut strictioris Regulæ, seu observantiæ prætexto, vel contemplatione, vel quavis justa, probabili, aut legitima causa, se transferre audeat. Ideò Litteræ præfatæ inviolabilitèr serventur.

5. Apostatæ, & Fugitivi pro prima vice, & fuga puniantur juxtà qualitatem culpæ, & ipso facto amittant antiquitatem Sedis, & Loci, & in futurum illorum antiquitas incipiat à die regressus ad Ordinem, post dictam primam fugam, nisi Capitulum Generale illis antiquitatem restituat. Qui secundam fecerit, eadem pœna afficiatur: & insupèr per annum incarceretur. Pro tertia verò fuga (vel per unam, si per annum duraverit) si tales non expelluntur pœnis impositis pro prima, & secunda fuga plectantur; & prætereà inhabiles sint ad Prælaturas Ordinis, & voce activa careant, nisi à Capitulo Generali restituatur eis. Si quis verò Apostasiæ ratione excommunicatus celebraverit, gravioribus pœnis, severiùsque mulctetur.

6. Deniquè non solùm Patribus Ministris, verùm etiàm omnibus Religiosis facultatem, & authoritatem concedimus, ut in casu necessitatis possint capere, & comprehendere Apostatas, & Fugitivos, cujuscumque Provinciæ, aut Domus sint. Hortamurque in Domino Superiores, & eorum conscientias oneramus, ut curent diligentèr, & cautè compellere, & revocare Fugitivos, sub pœna gravis culpæ per tres dies.

§. II.

De Incorrigibilibus, & eorum expulsione.

1. Ille Religiosus judicandus est Incorrigibilis, qui audens committere, & repetere graves culpas, admittere non vult pœnitentiam legitimè à Superiore pro illis impositam. Similitèr ille, qui tribus diversis vicibus punitus pro culpis gravibus, ad meliorem Vitæ rationem non redit. Etiam ille, cujus emendatio desperatur propter ipsius obstinationem, & pravos mores.

2. Incorrigibiles, vel perpetuo ergastulo sunt mancipandi, vel à Religione expellendi, observando in omnibus Decreta Sacræ Congregationis Concilii publicata de Mandato felic: record: Urbani

bani VIII. anno 1624., die 21. Septembris, & Innocentii XII. die 24. Junii anno 1694., quando autem expulsio alicujus fuerit executioni mandanda, prius in Capitulo Conventuali Sententia legatur, & flagris cæsus à Communitate, coràm ipsa expolietur habitu.

3. Nullus Superior, nec Pater Minister Generalis expulsis Litteras Testimoniales concedat, illos ad Sedem Apostolicam reiiciens, vel jubens aliam ingredi Religionem; sed tantùm tradat litteras fidem facientes de expulsione facta, juxta dicta Decreta Sacræ Congregationis, & in quibus etiàm exprimantur pœnæ expulsio imposita à Judicibus in Sententia expulsionis.

4. Sententiæ in Causis Criminalibus prolatæ, & reis intimatæ non statim executioni mandentur, quin priùs revideantur, & iterum examinentur Causæ, si rei ipsi ergà hoc supplicationem fecerint, & humiliter id postulaverint.

5. Appellare à correctione, & Pœnitentia regulari ad externum Judicem, prohibitum est per felic: recor: Sixtum V., Gregorium XIII., & Clementem VIII.; Quare si quis ab illa appellaverit, severe puniatur ad arbitrium Diffinitoris sui.

§. III.

De injicientibus manus violentas in alios.

1. SI quis minatus fuerit, vel manus violentas in aliquem injecerit, vel eum percusserit arbitrio Ministri puniatur, attenta gravitate culpæ. Quod si ea commiserit contra aliquem Prælatum inferiorem Provinciali incarceretur, & aliis pœnis afficiatur ab ipso Provinciali considerata prudenter qualitate delicti: Si verò contra Provincialem, vel Diffinitorem Generalem, à suo Superiore Generali delinquens puniatur, attenta semper qualitate culpæ. Si autem contrà Superiorem Generalem à suo Diffinitorio Generali. At si ira ductus aliquis Prælatus in Subditum suum violenter manus injecerit, prædictis pœnis afficiatur à suo immediato Superiore.

REGULÆ CAP. XXXIV.

Si quis Frater in Fratrem peccaverit &c.

CAPUT XXXIV.

De inferentibus injuriam aliis, ac de correctione fraterna.

1. RElígiosus, qui alteri injuriam fecerit, sive præsenti, sive absenti, juxta arbitrium Ministri puniatur, attenta culpæ gravitate.

2. Si quis scit alium commisisse aliquod peccatum, si occultum est, & speratur emendatio, corripiat eum secreto, juxtà Evangelium; & nulli, neque Superiori per præceptum, adhùc intrà visitationem inquirenti, id revelet, sub pœna Carceris per tres menses, si ex tali revelatione scandalum sequatur: Si verò non sequatur, afficiatur pœna culpæ gravis per sex dies, & semper antè omnia honorem restituat: Mens enim Religionis non est scrutari occulta, ante correctionem fraternam. Si vero correctio facta non prodesset, vel si antequam illam faciat, prudenter judicet, quod nihil proderit, revelet Superiori pio, & cordato, ut suo consilio, & efficaciori documento, vel aliis convenientibus mediis, reus ad meliorem se frugem recipiat.

3. Si quis contra bonum commune, & honorem nostræ Religionis aliquod delictum patraverit, qui de illo notitiam habuerit, denuntiet Superiori, ut Patri; etsi culpæ qualitas, & circumstantiæ exigunt, etiàm ut Judici deferat, qui lapsi salutem procuret, & decorem Religionis recuperet.

REGULÆ CAP. XXXV.

Si pro necessitate Domus debitum aliquod fuerit contrahendum &c.

CAPUT XXXV.

De modo contrahendi debita, & de cura in eis solvendis.

1. NUllus sive Minister, sive Præses, sive Procurator, sive particularis quilibet Religiosus audeat, imò nec valeat debitum aliquod contrahere, sine consilio, & assensu Capituli Conventualis, ut præcipit Regula.

2. Nullus Minister in fine sui officii relinquat Domum suam oneratam debitis excedentibus quantitatem centum ducatorum; absque licentia sui Provincialis, sub pœna inhabilitatis perpetuæ ad ulteriora Ordinis officia. Diffinitorium autem Provinciale, attentis rationibus Statuum, Conventuum, & Collegiorum, quæ antè suum Capitulum mitti debent ad ipsum prædictam inhabilitatem declarare tenebitur, eamdemque declarationem, & merita ipsius tradere Præsidi Capituli, ante primam ejus Sessionem, ut Præses ipse curet, quod in

in Archivio Generali custodiatur in futurum. Si autem aliqua via nobis authentica constiterit, Ministrum, & Consiliarios subscripsisse hujusmodi rationem status suæ Domus, subticendo debita, Consiliarii priventur officio, & voce careant deinceps in Capitulo Conventuali: Minister vero renunciare debeat officium, tamquàm qui antea fuerat inhabilis, nisi attento rerum statu per Ministrum Generalem dispensetur. Et præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali Ministro Successori, ut curet solvere confestim debita sui Antecessoris, & ante illorum solutionem nullas expensas faciat, nisi præcise pro victu, & vestitu Religiosorum, sub pœna suspensionis ab officio, & infligenda à Diffinitorio post puram informationem de non solutione debitorum, & expensis factis in Fabrica, aliisve præter dicta.

3. Inhibemus Conventibus omnibus, & Collegiis nostris, ne accipiant pecuniam ad censum sine requisitis solemnitatibus, ac licentia in scriptis sui Diffinitorii Provincialis.

Regulæ Cap. XXXVI.

Si quisquam de substantia Domus violentiam fecerit &c.

Caput XXXVI.

De modo servando in Litibus, & Negotiis.

1. Nullus sivè Prælatus, sive Procurator incipiat Causam, & Litem, quin observet circumstantias, quas Regula nostra disponit. Et prætereà à suo Provinciali, vel immediato Superiore priùs obtineant licentiam. Quod si hoc facile haberi non possit, & causa urgeat, Lis inchoari poterit de consensu Capituli Conventualis; & statim Provincialis, vel Superior certior fiat.

2. Strictè præcipimus omnibus Religiosis, ne ipsimet, ne quidem extrajudicialiter adeant Tribunalia Sæcularia pro Negociis mere temporalibus agendis, nisi urgente causa nostræ Religionis; neque inconsulto suo immediato Superiore Judices alloquantur, intercedendo, vel instando, sub pœna reclusionis intrà Claustra, vel suspensionis à suo officio per annum.

3. Nullus ex nostris, sine sui Prælati Superioris facultate officium exerceat Testamentarii, sub pœna suspensionis à suo officio, voce, & loco per tres menses. Si vero aliquis Executor testamenti fuerit nominatus, & commode, absque mora, prædicta licentia haberi non possit, & judicio Ministri, & Consiliariorum expediens videatur statim exercere dictum officium, illud exerceat, ità tamen, ut ad prosecutionem, & perfectionem illius obtineat intrà duos primos menses præfatam facultatem. Copia item Testamenti subscripta à Ministro, & Consiliariis mittatur suo Superiori immediato, ut judicet, an expediat, vel non, & pro quo tempore, ac quibus circumstantiis concedere facultatem.

4. Nulli Superiori liceat Judicis Conservatoris munus exercere absque speciali Summi Pontificis licentia.

5. Nullus itèm Religiosus sit Patronus piæ alicujus memoriæ, vel Administrator bonorum, quæ non sint nostræ Religionis, sine expressa licentia sui Diffinitorii Generalis, nisi casu, quo Patronatus, & Administratio annexa sint officio, quo quis fungitur in Religione.

Regulæ Cap. XXXVII.

Sollicite vero Minister provideat &c.

Caput XXXVII.

De Diligentia adhibenda à Prælatis ergà Observantiam Regulæ.

1. Hortamur in Domino omnes Prælatos, sint valdè solliciti in observantia Sanctæ nostræ Regulæ, sicut ipsa disponit, ut ipsorum exemplo Subditi perfectiùs adimpleant illius præcepta. Ipsosque Prælatos de docendo monemus, ne se judicent legum arbitros, quando pœnæ non reservantur arbitrio illorum; & ut pænitus sublato prætextu pietatis, in Matrem Religionem exutiles, ipsi Vigiles, & Pastores pro viribus tueantur observantiam, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali, omnibus, & singulis, quantumvis Superioribus nostræ Religionis Prælatis, quibus per has Constitutiones nulla fuerit commissa facultas, quod minimè dispensare præsumant, nec audeant dissimulare, quando culpis in eisdem statuitur pœna suspensionis, privationis, aut inhabilitatis. Quod quidem præcipimus sub eadem pœna, reo non applicata, quàm solùm Minister Generalis poterit dispensare, attentis circumstantiis, quæ occurrant.

2. Nul-

2. Nullus Prælatus ità se occupet in negotiis, etiàm causarum piarum, quod à gubernio Domus, & vita communi sequenda impediatur. Nec Subditis id ipsum ullo modo permittat.

3. Ministri à suis Conventibus, seu Collegiis absentiam ultrà octo dies non faciant sine licentia sui Provincialis.

REGULÆ CAP. XXXVIII.

Non liceat Superioribus Subditorum Confessiones audire &c.

CAPUT XXXVIII.

De Confessariis, Prædicatoribus, Lectoribus, Studentibus, Collegiis, & Bibliothecis.

§. I.

De Confessariis Religiosorum.

1. Visitatores in qualibet visitatione deputent in scriptis Confessarios pro Religiosis. Illorumque facultas durabit, usque ad sequentem visitationem, in qua facta designatione, cesset præterita, etiamsi concessa fuerit à Prælato Superiori illi, qui tùnc visitat. Et nullus, sive Hospes, sive Conventualis, nisi antea fuerit Prælatus Superior illius Domus, vel Diffinitor Generalis, vèl Minister illius, audeat Confessiones Religiosorum audire, sine prædicta designatione pro illo Conventu, vel Collegio in quo existit, quamvis ad munus istud deputatus sit pro alio Conventu, vel Collegio, etiam ejusdem Provinciæ.

2. Patres tamen Diffinitores Generales actuales Ordinis in toto Ordine, Familiæ in sua Familia, & Diffinitores Provinciales actuales intrà suam Provinciam poterunt absque limitatione audire Confessiones cujuslibet Religiosi nostri Ordinis; & similiter cuicumque Sacerdoti idoneo peccata sua confiteri. Eodem modo Patres Ministri absque limitatione excipere possunt Confessiones suorum Subditorum, in casibus à Regula dispositis, & ipsemet confiteri peccata sua quilibet subdito suo idoneo.

3. Magister Novitiorum Confessiones eorum audiat: semel tamen in quolibet mense (die à Patre Ministro assignanda) permittatur illis confiteri alteri Confessario approbato pro Religiosis, designando etiàm ab eodem Ministro. Recentèr Professi semper confiteantur suo Magistro, & alteri Confessario ex approbatis, deputando etiàm à Ministro. Idemque intelligatur de Collegis artibus studentibus.

4. Si in aliquo Conventu, vèl Collegio deficiant Sacerdotes approbati à Superioribus pro excipiendis Confessionibus Religiosorum, Minister deputet idoneos, & ad id necessarios; donèc sit copia approbatorum. Poteritque tàm istis, quam illis (quandò expedire judicaverit) impedire, ne audiant Confessiones. Et cuilibet ex sibi Subditis poterit dare facultatem, confitendi cuicumque Sacerdoti idoneo sui Conventus etiam non deputatu à Superiori Prælato, tametsi sit copia Approbatorum; Id tamen raro fiat.

5. Quandò Religiosi nostri iter faciunt, vel sunt in aliquo oppido, ubi Monasterium nostrum non est, nec habent Confessarium nostri Ordinis approbatum, poterunt confiteri peccata sua Sacerdoti simplici idoneo nostræ Religionis, vel cuilibet Confessario approbato Religioso, vel Sæculari.

6. Decernimus, quod Sacerdotes nostri non habentes facultatem audiendi Confessiones Religiosorum nostrorum concessam, vel per Constitutiones nostras, vel per Superiores, qui illas concedere possunt, non valeant excipere Confessiones, etiàm Sacerdotum nostrorum.

§. II.

De Confessariis Sæcularium.

1. Nulli ex nostris liceat audire Confessiones Virorum sæcularium, sine eo, quod habeat tres annos completos sui Sacerdotii, & sine facultate Ordinarii, ac sui Provincialis. Qui quidem priùs simul cum Ministro Conventus, & alio Religioso docto, ac virtute prædito ab ipso Provinciali designato, illum examinet de scientia morali, & per secreta suffragia approbent, vel reprobent. Si autem Provincialis non potuerit interesse examini, alium pro illo deputet Religiosum; loco ipsius.

2. Ad audiendas Confessiones Fœminarum, quilibet ex nostris debet habere licentiam sui Diffinitorii Generalis, petitam à Patre Provinciali, consulto Ministro Domus; ac insuper debet priùs audisse Confessiones Virorum sæcularium laudabilitèr, & per duos integros annos.

3. Qui sine requisitis, & facultatibus expressis in duobus numeris antece-

dentibus, ausus fuerit Confessiones audire, vel examini Ordinarii, fine licentia Ordinis se exponere, privatus sit ministerio excipiendi Confessiones, neque ad illud ei umquam licentia concedatur, nisi per Capitulum Generale.

4. Ad hoc autem, ut Confessarii post obtentam facultatem, excipiendi Confessiones, negligentes nôn sint in studio, nec doctrinam moralem pro derelicta habeant, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali Patribus Ministris, quod inviolabiliter curent, & ad id obligent omnes Confessarios tam Virorum, quam Fæminarum (exceptis, qui sint, vel fuerint Prælati Superiores, vel Ministri, vel Sacræ Theologiæ Lectores) ut semèl in hebdomada habeant inter se conferentiam moralem, nullo eorum deficiente, nisi propter infirmitatem: dies autem, tempusque designabitur à Ministro. Præbereà omnes, qui interesse debent conferentiæ, examinentur indispensabilitèr in secunda visitatione, cujuslibet triennii à Visitatore, & duobus Religiosis designatis n. 1. hujus §. qui per secreta suffragia approbent, vel reprobent, & à reprobato licentiam auferat Visitator. Hoc autem examen semper fiat, donec Confessarii expleverint viginti annos laudabilis exercitii audiendi Confessiones, & post viginti annos, non ampliùs examinentur.

5. In Ecclesiis nostris sint Confessionaria amobilia ex decente ligno fabricata. Nullus autem Confessarius Fœminarum audiat Confessiones, nisi in aliquo ex prædictis Confessionariis, neque earum Confessiones excipiat; nisi qui actualiter sit, vel aliquando fuerit Prælatus, vel qui ætatis annos quinquaginta habeat, vel licentiam à suo Prælato pro casu raro, & expressam pro qualibet vice. Ad Confessiones autem Virorum poterunt esse Confessionaria in claustri parietibus elaborata; dummodò cum Ecclesia nec parvam communicationem habeant.

6. In nullo ex dictis Confessionariis Religiosus aliquis sedeat, qui Fæminarum Confessarius non sit, nisi tunc Ecclesia sit clausa. Qui secus fecerit pœna culpæ gravis puniatur; quod si iteraverit, inhabilis maneat ad obtinendam facultatem, audiendi Mulierum Confessiones, vel alia æquivalenti pœna afficiatur, juxta statum suum.

7. Licentiæ excipiendi Confessiones Virorum, sive Fœminarum, non intelligantur absolutæ, & in perpetuum concessæ, sed dependenter à voluntate Religionis, quæ illas poterit limitare, abolere, & tollere, sine obligatione reddendi causam. Quod non intelligatur cum illis Religiosis, qui sunt, vel fuerint Prælati, vel qui habeant quinquaginta ætatis annos: aliorum autèm licentiæ, tantum judicentur continuari, & permanere, quas subscriptas relinquat Visitator in sua visitatione, vel Superior Generalis, quando Conventus perambulet; & ità non subscriptæ eo ipso cessent.

8. In Oppidis, in quibus sunt Conventus nostri non concedatur licentia ad exitum de Domo pro audiendis continuo in diebus determinatis Confessionibus Sæcularium, nisi raró, & cum licentia in scriptis Superioris Generalis.

9. Nullus Religiosus in loco aliquo officium Parochi exerceat, etiam pro parte sub pœna culpæ gravis per tres dies, nisi Domui nostræ sit annexa cura Animarum, aliàs nec Diffinitorium Generale valeat dispensare in Constitutione ista. Nec Fratres, qui Fæminarum Confessarii non sunt, mittant Prælati pro audiendis Virorum Confessionibus ad oppida illa, in quibus non est Conventus noster.

§. III.

De Prædicatoribus.

1. Nullus Religiosus audeat concionari, quin priùs per triennium Philosophiæ, & per aliud triennium Theologiæ Scholasticæ vacaverit, & obtenta in scriptis licentia Patris Provincialis, qui cum Examinatoribus *sup.* §. 2. *num.* 1. assignatis experietur, quid scientiæ, & virtutis habeat; & præsertim eum sedulo examinabit de præcipuis Sanctæ nostræ Fidei mysteriis, & de sensibus Sacræ Scripturæ, & per secreta suffragia approbatio, vel reprobatio fiat. Et insuper ut de ejus genio, ac ingenio constet, disponet intra tempus illi assignandum, & habebit concionem coràm Communitate, & si fieri possit, coram Patre Provinciali.

2. Nullus publicè concionetur, quin prius præsentetur Ordinario, sub pœna privationis vocis, & loci per sex menses.

3. Prædicatores in suis concionibus solum intendant morum reformationem, ac Virtutum augmentum. Qui vero in hoc defectuosus fuerit, & à Superiore aliquoties admonitus, non se emendaverit, officio Concionatoris privetur.

4. In

4. In Civitatibus, vel locis, in quibus non est Conventus noster, non admittantur Sermones Quadragesimæ, haut tota, vel majori parte illius, Religiosus sit extrà Claustra, absque licentia Superioris Generalis. Prædicatores autem Conventuales designentur à Provinciali pro qualibet Domo; iique teneantur prædicare quidquid, vel ex obligatione Conventus, vel ex dispositione Ministri prædicandum fuerit pro ea Domo; & gaudeant privilegiis Lectorum Philosophiæ, excepto examine. Capitulum vero Provinciale, attentis circumstantiis Domorum nostrarum, facere debet earum graduationem, quam Provincialis immutare non poterit, nisi consentiente Capitulo, ut juxtà eam assignentur Prædicatores, & mutentur de Domo in Domum, postquàm in qualibet exerceantur per triennium, ut sic ad Civitates, & Curias seligantur dextriores.

5. Prædicatores solo titulo concionandi (etiam si pro tota Quadragesima sermones habeant) carnibus non vescantur. Qui vero, nisi illis vescatur Quadragesimæ tempore, concionari non valet, cesset à Concionibus, excepto casu, quo aliquis, independenter à prædicatione, pro sua infirma, & ægra valetudine carnibus vescatur: Talis enim prædicando in Quadragesima illas edere poterit cum licentia Provincialis, caute tamen, frugaliter, & exemplariter.

6. Si Superiori expediens visum fuerit, disponat, quod in loco, in quo est Conventus Ordinis, Religiosus aliquis Dominicis diebus exeat, ad docendum populum Doctrinam Christianam.

7. Liceat Prædicatori non interesse Choro (excepto tempore Orationis mentalis) tribus, aut quatuor diebus ante concionem. Disponentibus verò sermones pro Quadragesima plùs temporis indulgeat Superior.

8. Pater Provincialis in secunda visitatione cujuslibet Trienii examinet Prædicatores, (his exceptis, qui sunt, vel fuerunt Prælati, aut Lectores, vel qui per duodecim annos laudabiliter munus concionandi exercuerunt) & auferat facultatem ab illis, qui in virtute, & scientia fuerint defectuosi, vel inutiles ad animarum profectum, & ab illis, qui titulo prædicationis, à Choro, & vita communi se eximunt, & faveat, foveatque eos, qui in Concionibus suis doctrinam, zelum, & spiritum ostendunt.

§. IV.

De Lectoribus.

1. Superior Generalis, prævia informatione Ministri, & Lectorum biennii, deputet duo, vel tres Studentes, seu Collegas, qui ad Capitulum Provinciale, finitis electionibus concurrant, ut coram Communitate, ipsoque Capitulo per conclusiones, & argumenta invicem examinentur, & posteà per secreta suffragia à Præside Capituli, Provinciali, qui spirat, & duobus prioribus Vocalibus præteritis approbentur, vel reprobentur, ut ex Conlectoribus, vel hujusmodi approbatis, Superior Generalis liberè eligat Lectores Philosophiæ, & Conlectores eorum, prout opus fuerit. Similiter Superior Generalis liberè eligat Lectores Theologiæ Scholasticæ, expositivæ, & Moralis, eorumque Conlectores ex illis, qui Philosophiam docuerit, prævia informatinne ad eum missa per Diffinitorium Provinciale circà mores, applicationem, & intelligentiam: Vel etiàm ex illis, qui in Collegio nostro Romano per triennium studuerint, & à Sacra Propagandæ Fidei Congregatione, Ministroque, & Lectoribus fuerint approbati. Si autem nec hujusmodi Collegæ, neque Philosophiæ Lectores, qui triennium peregerint, fuerint in Provincia, eligat Superior Generalis, quem voluerit in Lectorem Theologiæ ex Conlectoribus, prævia semper informatione prædicta. Ipse Superior Generalis eos, quos elegerit in Lectores præveniat sex mensibus ante cursum, ut se præparent. Semperque deputet Personas doctas, observantes, amantes docere doctrinam S. Thomæ, non quæstiones inutiles, & periculosas, quod si secus fecerint, priventur lectura. Et (si fieri possit) Lectores sint ex Provincia, in qua sunt Collegia. Et omnes semper in scriptis dictabunt, nisi à Superiore Generali aliud disponatur in casu raro. Præterea Provincialis eligere debet Lectores Theologiæ Moralis practicæ pro Domibus, in quibus, vel ex dotatione, vel ex alio titulo hujusmodi facultatem docere tenemur: eosque consulto suo Diffinitorio, & non alitèr eligat. His vero Lectoribus, sub pœna privationis ab Officio prohibetur tractare quæstiones scholasticas, sivè scholastico modo, easque, quas practice tractare debent, in scriptis dictare. Nec hujusmodi Lectores quoad graduationem, & privilegia, intèr cæteros ex jam dictis computandi sunt, sufficiunt enim illis infra dicenda.

2. Assi-

2. Assistant semper Lectores duabus integris horis orationis mentalis, integroque Matutino, & Laudibus Nativitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes, Festi Sanctissimæ Trinitatis, Sanctissimi Sacramenti, & (si fuerit expositum) in diebus infrà Octavam; Necnon Matutino omnium Festivitatum Christi Domini, & ejus Sanctissimæ Matris, quæ fuerint primæ Classis, & nostrorum Sanctorum Patriarcharum. Assistant etiam Choro, & Ecclesiæ omnibus functionibus majoris hebdomadæ: necnon assistant omnibus Vesperis, quæ cantu celebrantur, ac in Festivitatibus, quæ ad colendum pronuntiantur, & Beatæ Mariæ; & Ordinis nostri, etiamsi non canantur, nisi in aliquo, ex istis diebus habeant conclusiones. Et etiam (si non habeant conclusiones in ipso die) assistant Missæ solemni, quæ in prædictis Festivitatibus celebratur: Necnon primæ in Vigilia Nativitatis, nonæ in die Ascensionis Domini, & tertiæ quando canitur. Insuper assistant Processionibus Generalibus, & Ordinis nostri, Antiphonæ *Salve Regina*, Officiis, & Exequiis, & Missis, quæ cantantur, & fiunt pro nostris Religiosis defunctis, sivè pro Papa, Protectore Religionis, vel Principibus Territorii, & in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. Assistant denique examini conscientiæ, flagellationi communi, cæteris actibus, & functionibus communitatis extrà Chorum, Ecclesiamve. Illis tamen in communi tabula tantum imponatur humilitatis Officium.

II. Tempore cursus, seù lectionum suarum, non exeant Lectores ad prædicandum, neque ad audiendas Confessiones extrà locum, in quo est Collegium: Id tamen eis licebit in majori hebdomada.

IV. Religiosus, qui habuerit licentiam in scriptis à Diffinitorio Generali pro scribendo libro, qui Typis mandandus sit, exemptionibus fruatur, quibus gaudent Lectores, dum illum scripserit, vel etiam dum excudatur, si ipse correctioni assistat. Et similes Scriptores teneantur quotannis præsentare ante suum Diffinitorium Elucubrationes suas, ut ab ipso judicetur, an digni sint pro illis præfato privilegio, & exemptione.

5. Nullus Religiosus percipiat redditus ex Cathedra in aliqua Universitate, nec illam petat, aut prætendat, nec pro alio substituatur, neque ut alius eam adipiscatur, suffragium ferat. Poterunt autem nostri docere intrà Claustra, si ex dotationis, aut fundationis gravamine teneamur ad id; dummodò Studentes nostri nihil cum Sæcularibus habeant commune. Conlectores autem (vulgò Passantes) non cognominentur Lectores, sed cognomine respondente Hispano vocabulo: (in sua quisque Provincia distinguatur lingua vernacula) illorum enim Officium est præesse conferentiis in præsentia Lectoris, cujus materia in conferentia est disputanda, legere, explicare lectiones, & Conclusionibus præesse, ob Lectoris infirmitatem, arguere in omnibus Conclusionibus; Item in actibus litterariis ad extrà præsidere Collegiis, ut moris est. Conlectores Theologiæ, qui jam Philosophiam docuerunt, solùm ad humilitatis Officium teneantur, Philosophiæ verò Conlectores hac eadem exceptione potiri debent, quando casus occurrerit, quo lecturam ob Lectoris infirmitatem, ex integro agant, suppleantque, & pro illo tantùm tempore.

§. V.

De Studentibus, & Collegiis.

1. PAtres Provinciales designent Religiosos (unum saltem annum completum post Professionem habentes) qui Philosophiæ, Theologiæ Scholasticæ, Expositivæ, & Moralis studiis vacaturi sunt; illosque eligant virtute, ac genio præditos, viribusque robustos, pro jungendo studio cum austeritate vitæ nostræ. Et antequàm in Collegium pergant, eos inviolabiliter, examinari faciat de sufficientia Grammaticæ à Religiosis ab ipsis assignatis: Nec nisi approbatis studia concedant; alioquin à Superiore Generali privetur studiis, & in Domo Professorum usque ad præfixum tempus mittantur. Collegas autem pro Collegio nostro Romano Propagandæ Fidei, solus Minister Generalis poterit designare, juxtà Breve Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XIII. Eos autem designare tenebitur, consulto Superiore Generali alterius Familiæ, si ex illa fuerint; eligatque semper eos, qui saltem per biennium Theologiæ Scholasticæ studuerint; & in ea judicio Provincialis, Ministri, & Lectorum non mediocriter profecerint. Si autem aliquis sic electus, excusationem sibi simulet, aut prætendat, inhabilis reddatur perpetuo ad Ordinis lecturas, & studia biennii. Sciant præterea omnes nostri Religiosi dissuadentes, & malè consulentes, ne qui designanter in prædictum pergant Collegium, se incurrere pœnam privationis vocis acti-

activæ, & passivæ, ac alias juxtà prædictum Breve.

2. Collegæ nostri per triennium Philosophiæ, & per aliud triennium Theologiæ Scholasticæ; ac denique per biennium Expositivæ, & Morali Theologiæ operam dabunt: Vel saltem per biennium Theologiæ Scholasticæ, per triennium in Collegio nostro de Propaganda Fidei Linguarum, atque dogmatum studiis vacare debent. Omnes autem tempore vacationum in suis Collegiis maneant, nisi Superior, qui illos designaverit, Collegas aliud disposuerit. Dum autem artium, & Theologiæ studio incumbunt, non audiant confessiones, nec concionentur; In ultimo tamen anno hujusmodi Theologiæ Scholasticæ liceat eis in munere concionatorio se instruere, prædicando coram Communitate, in Refectorio, vel Aula Capitulari.

3. Collegæ Philosophi, vel Theoogi Scholastici tempore cursus Ordines iacros non recipiant, nisi isti conferanur in loco, ubi est Collegium, vel in)ppido à Collegio non distante ultrà ex leucas. Nec Collegæ isti, dumtas sunt, in Patriam suam abibunt, nec ia itinera agent, nec à Domo exibunt etiamsi sint in aliquo Conventu extrà ollegium) nisi cum Communitate, l cum suo Ministro, vel cum Patribus ffinitoribus. Ad exercitia tamen litrarum poterunt exire cum suis Lectous. Sed solùm illi, qui à Visitatore ignentur ad hoc. Collegis biennii, eis, qui in Collegio Propagandæ ei actualiter fuerint, æque, & non officia distribuantur in tabula, nisi Conventualibus distribuuntur.

4. Nullus Collega ingrediatur cel- Patrum Lectorum.

5. Omnes Studentes diligenter inentur in singulis visitationibus à atore, Ministro, & Lectoribus, i in facultate, cui vacat, culpabi- aut inculpabiliter non profecerit, rogressum non facturus judicetur, legio excludatur per secreta Exaorum suffragia. Si tamen Collegæ minùs observantes, vel ità fraalecudinis, ut simùl cum studio nem vitam sequi non valeant, isitator solus excludere poterit à io. Exclusus autem vel quia culr non proficiebat, vel propter lpas, non egrediatur à Conven- quem missus fuerit per spatium is arbitrio Superioris; nec concedatur ei facultas, ut Sacris initietur, nisi transactis duobus annis; ultrà permissos à nostris Constitutionibus. Si verò jam fuerit Sacerdos, facultas audiendi Confessiones ei non concedatur, nisi transactis etiam duobus annis ultrà requisitos pro reliquis Sacerdotibus à nostra Constitutione. Semel autem exclusus, ad studia non redeat, quin priùs constet, cessasse causam, propter quam fuit studiis privatus, vel à Collegio ejectus.

6. Strictè præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali omnibus nostris Religiosis, quod nullus petat, nec sibi procuret mediis intercessionibus extrà Ordinem nostrum studia, Ordines, licentias audiendi confessiones, concionandi, pergendi in Patriam suam, Conventualitates, & alia hujusmodi, sub pœna inhabilitatis ad id, quod petit, & per talia media procurat. Superioribusque sub eodem præcepto præcipimus, quod hanc Constitutionem diligenter observent, non solùm negando, quod pro ipsis petitur, sed etiam severe reprehendendo illum, contra quem vehemens inveniatur suspicio de influxu in Sæculares ad id.

§. VI.

De Collegiis.

1. IN singulis Provinciis nostri Ordinis tria ad minùs sint Collegia: Unum pro Philosophia, alterum pro Theologia Scholastica docenda: Tertium verò, in quo Theologiæ expositivæ, & morali vacent per biennium Collegæ, qui jam cursus suos Scholasticæ Theologiæ peregerunt. Ad hoc autem Collegium Biennii Studentium, simùlque Conferentium antè acta studia, selectiores, quorum sit spes in futurum, solùm adire debent, ad arbitrium Provincialis, qui tantùm approbatos à se, & Lectoribus Theologiæ Scholasticæ, poterit designare. Collegium tamen Propagandæ Fidei erit semper pro omnibus Provinciis Religionis, pro omnibus enim concessum est. Omnia autem, & singula Collegia Diffinitorium Generale designet.

2. Ministri Collegiorum docti sint, & observantes, & (si fieri possit) qui aliquando fuerint Lectores, ut sedulò curent, quod Lectores, & Collegæ causa Studiorum non omittant orationis, & mortificationis exercitia, nec observantiam nostrarum Constitutionum tam

tam particularium pro Collegiis, quàm communium, quæ illis non opponuntur.

3. In Collegiis Philosophiæ sint Magistri spirituales, sub quorum disciplina in habitatione separata vivant Studentes, qui Sacerdotes non sint. In Collegiis verò Theologiæ Scholasticæ Magistrorum vices obtineant Vicarii.

4. Conventuales aliquod sint in Collegiis ad officia eorum agenda ad Conciones habendas, & audiendas Confessiones, ut sic satis temporis maneat Collegis ad studium. Et quando tempore vespertino, ut moris est Conclusiones defendantur, si Conventuales tempore Orationis mentalis eis non assistunt, orent in Choro. Monemusque Ministros, ne permittant, quod aliquis Conventualis nec Conclusionibus, nec Choro intersit.

5. Cursus litterarius incipiat à die Sancti Lucæ Evangelistæ, & duret usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive. Hujus temporis decursu singulis diebus non feriatis, singuli Lectores Philosophiæ duas dictent lectiones; Singuli verò Theologiæ, unam; Et qualibet cu,uslibet Lectoris Lectio per unam duret horam. Similiter singulis diebus lectivis, vespere expendatur una hora in conferentia litteraria, cui præsit Conlector, & in ejus defectu Lector, cujus materiæ conferentia habetur, qui semper interesse debet ei conferentiæ, quam docet: Hortamur tamen Lectores, quod intersint conferentiis aliorum Lectorum; & tres horæ expendantur in conclusionibus defendendis singulis Dominicis diebus, ab hora videlicet tertia post meridiem, usque ad sextam. Post cursum verò tempore vacationum, bis in hebdomada conferentiæ per spatium unius horæ sint, & semel singulis mensibus conclusiones per duas horas tantùm. Patres autem Ministri, & Lectores, prout illis meliùs expedire visum fuerit, designabunt tempora pro dictis exercitiis litterariis, exceptis conclusionibus tempore cursus, quæ in jam designato defenduntur.

6. Communis mentalis Oratio tam Matutina, quàm Vespertina semper sit à quinta hora usque ad sextam. Et finita Matutina, recitentur simùl Prima, Tertia, Sexta, & Nona, in spatio aliquantulùm longiori dimidia hora, & quandoque prolixiori, juxtà majorem earum quantitatem. Et ad initium Primæ, & non anteà incipiat Missarum celebratio.

7. In Vigilia Nativitatis Domini cantetur Prima, & in die Ascensionis Nona, eo modo, & tempore, ac in Conventibus. Tertia quoque canatur immediate ante Missam Conventualem in die Nativitatis Domini, prima die Paschæ, ac prima Pentecostes: necnon in Festivitatibus Sanctissimæ Trinitatis, Epiphaniæ, Assumptionis B. V. Mariæ, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Natalitii SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Sanctorum Parriarcharum nostrorum Joannis, & Felicis, nisi horum Festa cum aliarum Religionum celebrentur concursu, & assistentia, ac in Festo omnium Sanctorum, in quibus diebus Sexta, & Nona dicentur eodem tempore, & pausatione, ac in Conventibus.

8. Missa Conventualis canatur omnibus Dominicis, & diebus feriatis, ac in Festivitatibus B. M. Virginis, & Ordinis nostri, atque etiam in die Cinerum, in feria quinta, sexta, & Sabbatho majoris hebdomadæ, in Vigilia Pentecostes, in die Commemorationis omnium Defunctorum, atque etiam in die immediato post Festum omnium Sanctorum Ordinis, in quo fieri debent Exequiæ pro nostris Religiosis defunctis, cum Vigilia, & Responso in Ecclesia, sicut in Conventibus; aut in quatuor anni Anniversariis, necnon quando fit Officium de aliquo Sancto Martyre in Collegio illo, ubi corpus, vel insignis ejus Reliqua asservatur. Præterea in omnibus Collegiis debet cantari Missa in Exequiis nostrorum Religiosorum Defunctorum, & quando ex dotatione, vel alia obligatione perpetua, aut temporali ad id tenetur. Secundis verò feriis à Regula designatis, dicatur Missa sine cantu pro Defunctis, & ea finita fiat à Communitate Absolutio Fidelium Defunctorum cum cantu. In quatuor autem prædictis Anniversariis, & in Commemoratione Fidelium Defunctorum post Missam fiat Processio per Claustrum; & ubi hoc non fuerit, cantetur Absolutio in Ecclesia.

9. Vesperæ canantur tam primæ, quàm secundæ (eo tempore, & solemnitate, ac in Conventibus) tribus primis diebus Nativitatis Domini, tribus Paschatis, ac tribus Pentecostes; necnon in Festivitatibus Sanctissimæ Trinitatis, Corporis Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, Purificationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ, in Nativitate S. Joannis Baptistæ, Natalitio SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ac Beatorum Patriarcharum nostrorum Joannis, & Felicis,

licis, & in secundo Festo Sanctæ Agnetis Virginis, & Martyris nostri Ordinis Patronæ, ac in Festo Titularis Familiæ, Provinciæ, aut Domus, in quo & Missa solemnis canenda est. In Festivitate autem omnium Sanctorum, semper canantur primæ Vesperæ; quoad secundas verò observetur, sicut, & quoad Vesperas Defunctorum, quod dictum est de Conventibus cap. 11. §. 1. num. 7. in reliquis verò Festivitatibus primæ, & secundæ Classis, quæ ad colendum pronuntiantur, solum Vesperæ secundæ canantur, nisi eodem die defendendæ sint Conclusiones, quæ semper præferri debent Vesperis secundis Festivitatum, in quibus hæ solum cani debeant. In recitandis autem quarta pars horæ expendatur.

10. Immediate post mentalem Orationem Vespertinam dicatur completorium, quod ferè per quadrantem horæ durabit; & eo finito, cellas petant ad studendum, usque ad horam octavam cum dimidia, nisi quies, & recreatio ex instructione sit habenda. Si autem fuerit nox communis flagellationis, flagellentur tempore hyemis post completorium ante studium: reliquis verò anni temporibus post nocturnum conscientiæ examen.

11. Matutinum recitetur inviolabiliter hora noctis octava cum dimidia, nisi ex instructione fuerit nox recreationis; Tunc enim immediate post Completorium recitetur, & recitatio ejus duret fere per horam. Cantetur autem cum laudibus (tempore, & solemnitate, ac in Conventibus) in die Nativitatis, & Resurrectionis Domini; ac in triduo majoris hebdomadæ, & in Festo Corporis Christi (si istud venerationi expositum fuerit) per totam ejus octavam, id eadem solemnitate canatur, quod cani debet in Conventibus. Ac verò in Festo Sanctissimæ Trinitatis, & primæ diei Pentecostes, & Sanctorum Patriarcharum nostrorum Joannis, & Felicis cantetur etiam Matutinum cum Laudibus hora quinta post meridiem.

12. Circà Religiosorum numerum, qui requiritur ad canendum omnia prædicta in solemnitatibus, & quid quandò celebrantur non in propriis diebus, observetur, quod dictum est de Conventibus cap. 11. §. 1. n. 8.

13. Insuper præcipimus, quod in quatuor anni Anniversariis recitetur omnibus nostris Collegiis integrum Officium Defunctorum, sicut in Conventibus. Collegæ Philosophiæ recitare tenentur coronam B. V. Mariæ in suo Oratorio cum suo Magistro post Antiphonam *Benedicta*: Scholasticæ Theologiæ Studentes in Choro: & omnes Collegiorum Religiosi, sivè Collegæ biennii, sivè Propagandæ, sivè Conventuales sint, qui eamdem non recitaverint in communi, illam recitent privatim.

14. In recreationibus nocturnis à Paschate usque ad Pentecostem, solum poterunt perseverare usque ad nonam, & in residuo tempore æstivo ad summum usque ad dimidiam post nonam. Semper tamen Studentes in Communitate cum Conventualibus congregentur ad minus per unam horam; nisi fuerint Collegæ Philosophiæ, qui congregari debent cum suo Magistro.

15. Non admittantur in Collegiis nostris Universitatum externæ personæ ad lectiones, conclusiones, vel alia litteraria exercitia. Nec Religiosi nostri extrà proprias Domos publicè arguant, vel defendant. At verò in Regionibus illis, in quibus apud alias Religiones similiter excalceatas consuetudo oleverit in contrarium, idem licebit nostris: Vitandum tamen erit, quantum possibile sit commercium Sæcularium cum nostris Studentibus, præsertim ad lectiones. Qui autem Constitutioni isti omnino, vel partim contravenerit, privatus sit voce, & loco, juxtà gravitatem culpæ.

§. VII.

De Bibliotheca.

1. IN quocumque Conventu, ac Collegio nostro sit communis Bibliotheca, cujus incrementum, ac in dies augmentum Ministri procurent. In ea sint libri ad studia Religiosorum, Spiritualem ipsorum profectum, & Proximorum salutem. Sit deputatus à Provinciali Religiosus, qui illam mundatam, clausamque habeat, & libros suo ordine, juxtà ipsorum diversas facultates dispositos: qui, & etiàm necessarios Religiosis ad lectionem, studiumque distribuat cum licentia Prælati, & sit quoque in ipsa Bibliotheca Inventarium rectò ordine alphabetico dispositum omnium librorum Conventus, vel Collegii.

2. Ut

2. Ut autem libri non diminuantur, nec deficiant, præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, omnibus, & singulis Religiosis, ne præbeant, nec alienent, nec ad alium Conventum, nec Collegium portent, vel mittant librum aliquem, quinterna, codicem, aut codices, aliave manuscripta existentia in Bibliotheca alterius Conventus, vel Collegii, sivè ad illa pertinentia, etiam illa, vel ex illis libris, quinternis, codicibus, seu manuscriptis, quæ Religiosi habent in cellis, vel alio in loco ad studium, lectionem, vel usum suum. Nec similiter commodent prædictos libros, codices, quinterna, manuscripta, aut portent extrà Conventum, vel Collegium, ad quod pertinent. Minister verò poterit libellum aliquem Spiritualem præbere alicui Personæ devotæ, seù benefactori. Poterit etiam aliquos libros sui Conventus, vel Collegii commodare aliquibus Personis, proùt expedire viderit. Semper tamen in Bibliotheca remaneant scripti à Bibliothecario libri, qui, & Personæ, quibus commodantur, cum annotatione diei, mensis, & anni. Non poterit tamen Minister, etiam Capitulo Conventuali consentiente alienare aliquem, vel aliquos libros nisi sint inutiles, & pro utilibus permutentur. Quod si secus fecerit, pœnæ culpæ gravis subjaceat.

3. Pater Provincialis, quando illi conveniens visum fuerit, potest concedere licentiam Religioso, ut secum habeat, & portet ad usum librum aliquem Spiritualem, Bibliam parvam, & compendium casuum conscientiæ. Nec libros alios poterit quisquam secum portare, nisi de licentia Diffinitorii Provincialis, vel sui Superioris Generalis.

4. Codices, aliaque manuscripta Religiosorum Defunctorum in Bibliotheca Domus illius, in qua decedunt, vel in Archivio Generali Ordinis reponantur.

5. Denique sub eodem præcepto, ut supra num. 2. præcipimus, ut nullus extrahat à Bibliotheca aliquem, vel aliquos libros, quinterna, codices, vel manuscripta absque licentia Prælati. Similiter omnibus Prælatis præcipimus sub eodem præcepto, quod neque sibi reservare, neque alteri audeant concedere manuscripta Religiosorum Defunctorum. Religiosus autem extrahens, notitiam præbeat Bibliothecario, & similiter illum præmoneat, ut colligat, & in Bibliotheca reponat libros, & cætera ad illam spectantia, quando ipse Religiosus longam absentiam à Conventu facere intendit, vel in alium migrat.

REGULÆ CAP. XXXIX.

Generale Capitulum de triennio in triennium &c.

CAUPT XXXIX.

De Familiis, earum Capitulis Generalibus, & Congregationibus.

§. I.

De Familiis.

1. IN nostra Religione Excalceata erunt duæ Familiæ; in quas totus veniat Universalis Ordo divisus. Quarum una denominabitur intra Hispana, & extrà Hispana altera: Utraque erit sub Titulari sibi electo.

2. Ex his duabus Familiis unus Minister Generalis in caput, & earum Superiorem eligendus est, & posteà Commissarius Generalis in Superiorem Generalem Familiæ, de qua Minister Generalis non fuerit assumptus; itaut Ministro Generali tamquam Superiori omnium, Commissarius Generalis, & cæteri omnes humiliter pareant, & obediant, quin sub pœna transgressionis obedientiæ ulli cœterorum, nec toti Diffinitorio alterius Familiæ liceat resistere illius mandatis, præsertim post secundam jussionem, in qua expressa sit clausula: Non obstantibus his, quæ nobis exposita sunt, quando exposita referantur ad litteram.

3. Similiter sua Familia obedire tenebitur suo Commissario Generali, qui vel Jurisdictione ordinaria, vel delegata in aliquo casu gubernium totius Familiæ tenet, quin impediri, nec retardari possit ab aliquo, quam ab omnium Superiore Ministro Generali Ordinis.

4. Ut semper, ac futuris temporibus sinè alicujus Familiæ, sive Religionis murmure, aut querela unitatis Religionis sub uno capite permanere possit, & debeat in proxima futura electione Ministri Generalis facienda juxtà sanctam Regulam eligendus, & assumendus est in hoc munus Filius Familiæ Hispaneæ; & in Commissarium Ge-

Generalem alterius Familiæ, scilicet extra Hispanæ assumendus est Filius ejus.

5. Finito sexennio post prædictam primam electionem futuram eligendus est in Ministrum Generalem Ordinis Filius extrà Hispanæ Familiæ, & in Commissarium Generalem pro sua Familia Filius Familiæ Hispaneæ.

6. Hac semper vicissitudine imposterum fiat electio Ministri Generalis Ordinis in Capitulo Generali.

7. Si, durante sexennio, Ministrum Generalem Ordinis mori contin-at, vel alia quavis causa ejus Officium acaverit, ex eadem Familia eligendus ft Vicarius Generalis Ordinis; qui, xcepto nomine Ministri, in omnibus, per omnia eamdem Jurisdictionem, præeminentiam habere debet, ac Minister Generalis habuerat. Er ejus Offi-m durabit dumtaxat usque in finem il-is sexennii, ne privetur Familia Supe-re Generali Ordinis, adhuc per bre-tempus antè Capitulum; nec inter nilias alteretur vicissitudo.

8. Si contingat Commissarium Ge-alem deficere in alia Familia mortis, nciationis, aut alia quavis causa, Minister Generalis, ex eadem ejus, defecerit, Familia, eligat Vice-mmissarium, qui authoritate dele-, & nomine delegantis expresso, es illi commissas facultates, usque roximum Capitulum exerceat.

Generali Ordinis, quatenus ipse præsideat, consulto Diffinitorio Generali ipsius, vel à Commissario Generali co[...]tis Diffinitoribus suæ Familiæ, Mi[...]tro Generali non præsidente.

3. Tempore Capituli non admittantur hospites, nec Domum Capitularem ingrediantur Vocales per duos menses ante celebrationem Capituli, nisi fuerit Pater Provincialis illius Provinciæ, exceptis Socio, si Minister fuerit, & Vocalis ille, qui ante annum habeat in eadem Domo suam illi designatam residentiam continuam.

4. Minister Generalis, & ejus Diffinitorium præexistere debent ante Capitulum in eadem Domo Capitulari, & cæteri Vocales ingredi teneantur feria quinta ante prædictam Dominicam quartam post Pascha.

5. Pater Minister Generalis, tempore apto, ut omnes, qui vocandi sunt ad Capitulum congregentur, mittat litteras vocatorias omnibus Vocalibus, qui teneantur concurrere, & invitatorias, quibus licitum sit non concurrere; easque omnes mittat cum expressione temporis, & loci celebrationis imminentis Capituli Generalis: & si hujusmodi litteræ ad aliquem Capitularem non pervenerint, nihilominus ipse concurrat, & vocatus intelligatur, dummodo constet de promulgatione Capituli Generalis facta, & in sua Provincia aliis nota.

§. II.

[...]mpore, & loco, in quo celebran-[...]dum est Capitulum Generale.

[G]enerale Capitulum de triennio in triennium celebretur Sabbatho uartam Dominicam post Pascha, usta de causa (judicio Diffinitorii alis Ordinis, omnibus votis præ-um concurrentibus) differatur, die assignanda ab ipso Diffinito-ebretur. Si verò instante tempo-juxtà Regulam Capitulum Ge-celebrari debet, Præses Capituli ur, ita ut assistere non valeat, emet poterit Capitulum differre n mensem tantum.

Capitulum Generale ad præ-Regulæ celebretur de triennio ium Sabbatho ante quartam Do-post Pascha extrà Curias Prin-Domo assignanda à Ministro

§. III.

De Præside, & Electoribus in Capitulo Generali.

1. IN Capitulo Generali Ordinis semper præsideat Superior Generalis illius, sivè Minister, sivè causa Ministri defectus, Vicarius Generalis cognominetur. Et si congregato jam Capitulo ipse ægrotaverit, vel propter aliam causam non accesserit ad Capitulum, tunc Commissarius Generalis alterius Familiæ erit Præses Capituli, ejusque præsidentia durabit usque ad finem dicti Capituli, nisi præsens fuerit noviter electus in Ministrum Generalem, quia tunc præsidentiam habere debet. Et si etiam contingat, congregato Capitulo, Ministrum Generalem, & Commissarium Generalem alterius Familiæ simul deficere, tunc Præses Capituli eligatur ab omnibus Vocalibus simul, & usque in finem Capituli præsidentiam habeat, nisi noviter ele-

electus in Ministrum Generalem sit præsens.

2. In Capitulo Generali suffragium tantùm habeant sequentes. Præses Capituli, sive sit Minister Generalis, sivè Vicarius Generalis, sivè Commissarius alterius Familiæ, sivè Præses electus à Capitulo. Deinde Commissarius Generalis, vel Vice-Commissarius Familiæ, ex qua Minister Generalis assumendus est: Item Diffinitores Generales Ordinis: & posteà Diffinitores Generales Familiæ: omnes Ministri, vel Vicarii Provinciales: Singuli Socii primi pro singulis Provinciis Ordinis: Procurator Generalis Ordinis, itaut quoties in Hispania celebretur Capitulum Generale, suffragium habeat Procurator Generalis Hispaniæ, & quoties celebretur Capitulum extrà Hispaniam, suffragium habeat Procurator Generalis Curiæ Romanæ: atque etiam suffragium habebit Secretarius Generalis Ministri Generalis, qui spirat: & propterea suffragium habere poterit, qui aliquando fuerat Superior Generalis Ordinis, vel Familiæ Minister, scilicet Vicarius, Commissarius, vel Vice-Commissarius. Et sub pœna privationis ad ulteriora Ordinis officia nullus, ne ad Capitulum adeat, nisi propter infirmitatem excusari possit; illis exceptis, qui anteà Superiores Generales fuerunt, quibus, dummodo actu non sint Vocales, liberum erit adire, vel non adire ad Capitulum, propter ætatem, & labores anteà susceptos. Nullusque poterit suffragium suum compromittere.

3. Primo loco sedeat in Capitulo Præses, & ad ejus dexteram tota Familia ipsius Ministri Generalis, qui spirat. Secundo loco, & ad sinistram Præsidis, Superior Generalis alterius Familiæ, cum tota sua Familia; itaùt Superiores Generales caput agant ad latera, & post quemlibet intrà propriam Familiam ejus, cæteri, sequantur hoc ordine: Diffinitores Generales: Ministri, aut Vicarii Provinciales: Socii primi, & etiam secundi, quando subrogantur pro Vocali aliquo, quamvis subrogetor pro illo, qui superiorem sedem habetet: Præterea actualis Procurator Generalis, qui habeat suffragium: deindè Secretarius Generalis: & denique post Vocales suæ Familiæ, qui aliquando fuerat Superior Generalis pro ea: & si plures fuerint, qui aliquando munus Superioris Generalis habuerint, qui fuit Superior Generalis Ordinis præcedat eum, qui fuerat Superior Generalis Familiæ: & si eodem munere plures functi fuerint pro eadem Familia, antiquior in Professione præcedat, qui quidem ordo intrà, & extrà Aulam Capitularem servandus erit, quando sivè in Refectorio, sive in Choro ad latera sedeant Capitulares. Si autem alibi non ad latera sedeant, post Ministrum Generalem sedebit Commissarius Generalis Familiæ: postea Diffinitores Generales Ordinis: deinde Diffinitores Generales Familiæ: posteà Patres Provinciales, juxtà antiquitatem suarum Provinciarum: posteà Socii primi juxtà antiquitatem earumdem: Præterea Procurator Generalis: & post eum Secretarius Generalis: ac denique qui fuerant Superiores Generales, itaut qui Minister Generalis fuerat, præcedat eum, qui solum fuerat Commissarius Generalis; & si plures fuerint Ministri, antiquior præcedentiam habeat cujuscumque Familiæ fuerit.

4. Si quis ex Capitularibus, aliqua ex causa fuerit inhabilis, vel activa voce privatos, seu dubium super hoc fuerit, ad Diffinitorium Generale Ordinis spectet id determinare, vel declarare. Cui determinationi, vel declarationi omnes stent sub pœna privationis vocis activæ, vel passivæ in illo Capitulo.

5. Quando contigerit Prælatum aliquem Superiorem proferre sententiam suspensionis ab officio, vel privationis vocis contra Prælatum sibi inferiorem, suffragium habentem in Capitulo Generali, vel in Diffinitorio effectum non habeat, quin priùs consulatur idem Diffinitorium, casu quo in vim dictæ Sententiæ impediator dictum suffragium præfato reo. Quod intelligatur etiam, quando sententia tantum est declarativa dictæ pœnæ impositæ, videlicet ipso facto à Jure, vel à Bullis, seu Brevibus Pontificiis, vel à nostris Constitotionibus.

6. Nullus sive in Capitulo Generali, sive in Diffinitorio audear subornate Electores directè, vel indirectè, vel precibus, pollicitationibus, minis, aliove modo illos inducere, ut alteri præstent, vel denegent suffragium. Et contraveniens tamquam pacis perturbaror, puniatur pœna Privationis Officii, & loci per triennium.

De

§. IV.

De Sociis ad Capitulum Generale, eorumque Officio, qualitatibus, & electione.

1. Cum in Capitulo Generali suffragium habere debeat Socius unus cujuscumque Provinciæ, & nominandus sit ab ipso Capitulo pro futuro, in quo alii erunt Ministri, & alii non, statutum est, quod Capitulum Generale (cui impossibile est scire, neque intelligere Personas, quæ post sexennium sint Ministri) designet Socios, quæ ratione officii concurrere debeant ad Capitulum. Ideoque quælibet Familia seorsim ex qualibet Provincia suæ Familiæ designare debet duas domos, quæ Capitulares cognominentur, ut qui fuerint earum Ministri immediate ante Capitulum Generale Ordinis, aut Familiæ suæ, vi solius electionis in Ministros earum domorum, Socii int ad Capitulum Generale futurum: ta ut Minister domus prius in hoc Capitulo designatæ, sit primus Socius, & Capitulo futuro suffragium habeat: Minister alter, scilicet Domus posteris designatæ pro eadem Provincia sit ocius secundus, & in defectum alicus Capitularis, quatenus illius munus um sit, concurrere extrà domum Caularem in loco proximo ad illam, ut esto, & in promptu sit ad hoc ut, si us fuerit, ob defectum alicujus Voca- Provinciæ suæ, suffragium habeat, plendo pro eo, nisi Vocali, qui deat, liberum fuerit abesse Capitulo; opo horum suffragia suppleri non de-

2. Et quia Socius debet esse præs doctrina, observantia, & expecia in regimine, monemus Patres tulares Provinciarum, quòd in suis tulis Provincialibus immediatis Ca- Generali, eos eligant in Ministros rum Capitularium, qui digni sint, ncurrant tamquam Socji suæ Proe ad Capitulum Generale. Et etiam caveant, ne eligatur in Mi- n alicujus domus Capitularis pro io immediato Capitulo Generali, m Socius fuerat in antecedenti lo.

Si per mortem, infirmitatem, m justam causam, Minister ali- Domus Capitularis non possit in- Capitulo, tunc Diffinitorium le suæ respectivè Familiæ, selit Domum alteram, cujus Minister actualis concurrat ad Capitulum semper, ut Socius secundus. Si autem contingat utrumque Socium pro aliqua Provincia simul deficere Minister Domus prius electæ à Diffinitorio in illo casu erit Socius primus.

4. Si quis Minister, vel alter Religiosus aliquid animadvertendum, vel notatione dignum habeat remittendum ad Capitulum, tradat Socio suæ Provinciæ, vel suo Provinciali, ut unus, vel alter portet.

§. V.

De Forma celebrandi Capitulum Generale Ordinis.

1. Feria quinta antè Dominicam quartam post Pascha congregentur omnes Capitulares utriusque Familiæ antè meridiem, in domo designata ad Capitulum celebrandum, ut ad Vesperas Præses Capituli congreget omnes illos. Vespere autem idem Præses imponat illis præceptum in scriptis, jubendo, quod si quis sciverit alicujus Capitularis impedimentum, propter quod non debeat admitti ad Capitulum, illud manifestet statim ante ipsum. Quod si facta sufficienti probatione, impedimentum aliquod inventum fuerit, ad Diffinitorium Generale Ordinis pertinebit declarare, inhabilem esse, habentem tale impedimentum, & illum à Capitulo excludere.

2. Die verò sequenti, scilicet feria sexta congregentur familiæ, unaquaque seorsim ab alia, & Præses cujuscumque Vocalibus suæ Familiæ notos faciat Cathalogos omnium Religiosorum ipsi designatos à Provincialibus suæ Familiæ, & à suis Diffinitoriis Provincialibus approbatos, in quibus contineantur Religiosi omnes, qui intra Provincias, inspectis solum graduatione, & interstitiis apti reperiantur, juxtà nostras Constitutiones ad munera, & Officia suæ Familiæ in eo Capitulo pertinentia: ut nullus postea conqueri possit, quod sua aptitudo non fuerit præsens omnibus Vocalibus suæ Familiæ. Illa autem aptitudo ex pura graduatione, & interstitiis judicanda erit, quinimo mores, & observantiam aliquo modo referatur, ut alii includantur, excludantur alii, alias daretur dissensionum, & causa litium.

3. Deinde postea eodem die, alia tamen Sessione, iterum congregentur Familiæ seorsim, ut eligibilitatis scrutinium fiat ab unaquaque, sequenti modo. Quod Familia quævis, juxta suam conscientiam faciat eligibilitatis scrutinium toti Familiæ suæ proponendum, & id faciat, ità, ut unusquisque Vocalium in schedula una seligat quinque ad electionem capitis pro sua Familia, sive pertinentis ad illam; & illos quinque eligat ex aptioribus positis in Cathalogis, eos tamen, quos suo judicio judicaverit aptiores. Schedulas verò omnes tradere debent suo Superiori. Superior autem facto anteà juramento fidelitatis, coram tota sua Congregatione, ab ipso, & duobus sibi immediate Vocalibus ejusdem regulabit schedulas, & quinque illos eligibiles, qui plures voces habuerint, in prædictis Vocalium schedulis eligibiles declarare, & omnibus Gremialibus suæ familiæ manifestare teoebitur, ostendendo illis schedulam, mano unius Scrutatoris scriptam, subscriptam ab alio Scrotatore, & signatam à se ipso Præside Familiæ: & statim hanc suæ Regulationis schedulam totius Capituli Præsidi tradere tenebitur, Præses familiæ, ex qua assumendus est Minister Generalis, ut Præses Capituli toto Capitulo manifestet eam ante electioοem.

4. Eadem feria sexta simile fiat scrutinium, in quo unusquisque Vocalium scribat, seligendo ex Cathalogo ioter aptos ad Diffinitoris Officium pro sua Familia duodecim, ut ex omnibus schedulis duodecim continentibus, à Scrutatoribus, & Præside Familiæ regulatis vocibus, duodecim, qui plures voces, quàm cæteri habeant, scribantur in alia schedula modo dicto, & similiter publicata postrema schedula, ut de proximè eligibilibus constet, tradatur Præsidi. Si autem contigerit, quod ineligibilitatis scrutiolo duo, vel tres æqualem numerum suffragiorum, seu vocum habeant, illi omnes reputentur eligibiles. Si verò hujusmodi æqualitas reperiatur, quando jam ad numerum eligibilium solum deficiant unus, duo, vel tres, tunc antiquiores in Professione eligibiles reputentor. Cæterum si ferè omnes voces singulorum Vocalium pro duobus, tribus, aut quatuor eligibilibus reperiantur, & singularis pro aliis, fiat secondum scrutinium ad eligibilitatem illorum, qui usque ad numerum proximè eligibilium defuerint. Si quis autem inventus fuerit, se ipsum nominasse in schedula selectionis ad eligibilitatis scrutinium, eo ipso ineligibilis sit, quamvis seclusa voce illius, cæteras omnes habeat pro se. Caveatur strictè, ne Scrutatores ulli Vocalium revelare audeant numerum vocum, quas habuerat aliquis, qui eligibilis publicatur.

5. Factis ab unaquaque Familia prædictis scrutiniis, traditaque Præsidi Capituli schedula eligibilium, modo dicto efformata pro eligibilibus suæ Familiæ, Præses totius Capituli, Familiam Generalis, qui spirat, certiorem faciat de eligibilitate sibi oota ad electiones proxime futuras à toto Capitulo faciendas.

6. Si in aliquo scrutinio eligibilitatis, vel suprà eo aliquæ difficultates occurrant, determinandæ sunt à Diffinitoria Generali ejusdem Familiæ, cujus resolutioni standum erit, sub pœna ad arbitrium ipsius Diffinitorii.

7. His omnibus eadem feria sexta expeditis, sequenti die, Sabbatho nempe, & prima Capitulo diluculo cantetur, assistentibus omnibus Religiosis, Missa solemnis de Spiritu Sancto, cum commemoratione Beatæ Virginis Mariæ, & Sanctorum nostrorum Patriarcharum. Idemque etiam fiat in omnibus Conventibus, & Collegiis Ordinis pro felici Capituli eventu. Ac præterea in omnibus Domibus toto tempore Capituli communis, & particularis fiat oratio, ut Deus illuminet Capitulares, ad hoc, ut conformiter omnia faciant, & operentur ad majorem Domini gloriam, & Religioois utilitatem, & incrementum.

8. Finita Missa, Præses Capituli (etiam si fortè aliquis, vel aliqui ex Vocalibus non perveoerint) jubeat fieri signum cum cymbalo ad Capitulum Generale: & postquam omnes Gremiales, congregentur in Aula Capitulari, illico coram omnibus Præses Capituli concionem habeat spiritualem, idiomate omnibus communi, hortando Vocales, ut in omoibus actionibus, & electionibus præ oculis habeant majorem Dei gloriam, & Religionis iocrementum.

9. Exhortatione finita, ut sine scrupulo ad electiones procedatur genuflexis omnibus, Præses ad cauthelam illos absolvat ab omnibus, & quibuscumque censuris, forma sequenti. Omnes dicent Confessionem generalem, & Præses Capituli prosequatur dicens *Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c.*

Si

Si teemini aliquo, vel aliquibus vinculis Excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, in quantum se extendunt gratia, & privilegia Ordini nostro indulta, mihi commissa, & vobis concessa. Ego absolvo vos ad effectum Electionum faciendarum, & restituo vos Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & unitati Fidelium. In Nomine Patris ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Item *eadem authoritate Ego vos absolvo ab omnibus aliis, de quibus fieri consuevit absolutio in consimilibus Capitulis, ut sitis absoluti hic, & in Tribunali Domini Nostri JEsu Christi; ut habeatis vitam æternam, & vivatis in sæcula sæculorum Amen.*

10. Capitularibus sic absolutis, & adhuc genuflexis antè imaginem Crucifixi (quæ debet esse supra primam, & principalem Mensam Aulæ Capitularis) Gratiam Spiritus Sancti invocabunt, devote dicentes hymnum: *Veni Creator Spiritus &c.* quo finito Præses Capituli, cæteris respondentibus, prosequitur - ℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* ℟. *Et renovabis faciem Terræ.* ℣. *Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.* ℟. *Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.* ℣. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos.* ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.* ℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.* ℣. *Exultent justi in conspectu Dei.* ℟. *Et delectentur in lætitia.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Mentes nostras quæsumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Omnipotens Sempiterne Deus, qui dedisti Famulis tuis in confessione veræ Fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare unitatem, quæsumus, ut ejusdem Fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

Defende, quæsumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate Familiam, & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Deus, qui per Sanctos Patres nostros Joannem, & Felicem Ordinem Sanctissimæ Trinitatis, ad redimendum de potestate Saracenorum Captivos, cælitus instituere dignatus es; præsta quæsumus, ut eorum suffragantibus meritis à Captivitate Corporis, & animæ te adjuvante, liberemur.

Omnipotens Sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super Famulos tuos, & super Congregationes illis commissas Spiritum gratiæ salutaris; & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Deus largitor pacis, & Amator charitatis da Famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam; ut ab omnibus, quæ nos pulsant, tentationibus liberemur. Per Christum &c.

11. Rogatione finita, Electores omnes, ante supradictam Imaginem Crucifixi, faciant juramentum, quo se obligent, ad eligendum digniores, & aptiores, respectu Officiorum, quæ proponuntur, & quæ præ oculis habeant in omnibus electionibus majorem Dei gloriam, & progressum Religionis, juxtà tenorem nostræ Regulæ. Idem quoque juramentum faciant Electores Sociorum, & Diffinitores in Diffinitorio, vel in qualibet alia Congregatione, quando facienda est aliqua electio alicujus Prælati, vel Socii.

Forma Juramenti talis est.

EGO Frater N. de N. juro, & promitto DEO Omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, & Beatis Patribus nostris Joanni, & Felici, me electurum illos, quos juxta meam conscientiam, credam digniores, & aptiores futuros esse Ordini nostro, Provinciis, & Conventibus, quoad spiritualia, & temporalia.

12. Facto juramento, Capitulares sedentes eligant per secreta suffragia, Secretarium Capituli, de ejus corpore, & per majorem suffragiorum partem electus, pronuntiabitur à Præside Capituli, in cujus manus Secretarius electus faciet juramentum fidelitatis, & servandi Secretum sequenti forma.

Ego Fr. N. de N. juro, & promitto DEO Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, & Beatis Patribus nostris Joanni, & Felici, me in omnibus ad meum Officium spectantibus fidelitatem, & Secretum servaturum.

13. Confestim Capitulum eligat per secreta suffragia tres Capitulares in Scrutatores ad regulandum suffragia in electionibus. Isti autem (si aliud visum non fuerit Capitulo, quod per secreta suffragia determinabit) semper erunt Præses Capituli, & duo immediatè sedentes ad dexteram, & ad sinistram illius, qui quidem Scrutatores statim faciant, coram Capitulo juramentum fidelitatis, & secreti sequenti forma.

Ego Fr. N. de N. juro, & promitto Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, & Beatis Patribus nostris Joanni, & Felici, me Scrutatoris officium fideliter facturum, & secretum semper servaturum, non revelando Personas, quæ suffragia præstiterunt, vel negaverunt huic, vel alteri.

14. Deinde Capitulum per secreta quoque suffragia eligat ex Scrutatoribus unum, qui officium faciat Secretarii præcisè in scrutiniis, & electus faciat, statim ac pronuntietur à Præside, juramentum in manus illius ea forma, quæ posita manet num. 12. pro Secretario Capituli.

15. Rursus Capitulum eligat per secreta suffragia unum ex Vocalibus qui post regularia suffragia in electionibus, nomine ipsius Capituli faciat, & pronuntiet electiones forma signanda sequenti §. num. 4. Et pro casu, quo suffragia concurrant pro aliquo Officio in ipsum Electorem, seu Pronuntiatorem, Capitulum eligat alterum, qui ejus electionem pronuntiet. Quod si aliter visum non fuerit Capitulo (quod per secreta suffragia determinabit) semper primus Scrutator erit Elector, seu Pronuntiator; & pro casu electionis suæ, secundus Scrutator.

16. Eadem forma, idemque totum, quod tribus numeris antecedentibus dictum est erga Scrutatores; Secretarium Scrutinii, & Electores, seu Pronuntiatores Electionum, servetur omninò, quotiescumque in Diffinitorio, sive in alia quacumque Congregatione, extra vel intra Capitulum Generale facienda sit aliqua electio canonica Prælati, vel Socii.

17. Prædictis igitur præambulis finitis, procedat Capitulum ad electiones. Et præcedat omnes; fiatque ante prandium electio Patris Ministri Generalis, & si præsens sit, sedeat immediate post Patrem Ministrum Generalem, qui spirat, sive post Præsidem Capituli; non tamen præsideat, nec Officium exerceat, usquequo finiatur Capitulum. Nihilominus omnes, tam Capitulares, quàm cæteri Religiosi Conventus, statim ac electio facta sit, pergant processionaliter cum Electo in Ecclesiam cantantes Hymnum: *Te Deum laudamus*, & ibi accipiant ab eo Benedictionem, & omnia fiant juxta formam dispositam in nostro Manuali. Tamen si Pater Minister Generalis electus, præsens non fuerit, illum non expectet Capitulum, sed prosequatur.

18. Post Vesperas ejusdem diei congregentur in Aula Capitulari Vocales omnes illius Familiæ, pro qua Minister Generalis spirat, & Præside eodem, qui totius Capituli Præses fuerit, atque sibi electis Secretario, & Scrutatoribus, modo dicto, omnes simul canonicè eligant Commissarium Generalem ad triennium immediate futurum pro sua, & ex sua Familia assumptum, eodem modo, & ritu, quibus Minister Generalis Ordinis ante Prandium electus fuerat.

19. Sequenti die, videlicet Dominica, congregentur omnes utriusque Familiæ Vocales, & similiter per secreta suffragia eligant ad futurum sexennium sex Diffinitores Generales Ordinis, juxta Breve Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XII. quod incipit: *Pastoralis Officii*, expeditum mense Septembris die 10. anno 1730. Qui quidem Diffinitores, semper assumendi erunt ex Familia Ministri Generalis noviter electi.

20. Similiter post Vesperas hujus diei congregentur omnes, qui Commissarii Generales fuerant pridie Electores, & ex sua Familia, & pro ea, sex alios Diffinitores Generales Familiæ eligant ad futurum triennium, qui nec vocari possint nec re ipsa erunt Diffinitores Generales Ordinis.

21. Diffinitoribus omnibus electis, congregetur tota, solaque Familia intra Hispana, & Præside eodem Capituli Generalis, canonice, & ad triennium ex sua Familia eligat Ministrum nostri Conventus Romani Sancti Caroli: & postea Familia, ex qua Minister Generalis spirat, similiter canonicè, & ad triennium, eligat ex sua Familia Ministrum nostri Collegii Romani de Propaganda Fide.

22. Immediatè feria secunda, Familia Ministri Generalis, qui spirat, albis, nigrisque globulis, aut lapillis assumptis, eligat ad sexennium Procuratorem Generalem Ordinis pro Romana Curia, ex sua Familia assumptum, cui totum Capitulum, antequam finiatur, dare tenebitur Ordinis Mandatum Generalis Procuræ; & similiter eligat Chronistam Generalem pro sua Familia. Deinde Familia Ministri Generalis electi, Præside Superiore, qui spirat, similiter, & ex sua Familia, eligat Procuratorem Generalem Familiæ suæ, pro illius negociis in Romana Curia exequendis, cui etiam ante finem Capituli dabit suum Mandatum Procuræ, cum expressa prohi-

hibitione, sub præcepto formali, ne in communibus negociis Religionis se immisceat, nec verbo, aut scripto à se, aut ab aliis suæ Familiæ cognominetur Procurator Generalis Ordinis: & postremo eligat Chronistam Generalem pro Familia sua.

23. Si fuerit aliqua Domus extrà Provinciam, præter dictas S. Caroli, & de Propaganda, & Minister illius, majorem partem triennii post suam electionem expleverit, familia illa, ad quam Domus pertineat, Ministrum eligat in eodem Capitulo Generali ad triennium, quia, postea, finito triennio (nisi sit Capitulum intermedium) ad Diffinitorium Familiæ pro alio triennio usque ad Capitulum Generale pertinebit electio omnium, qui per Capitulum Generale electi fuerant ad triennium. Quod si familia intra Hispana, quando ei competit Capitulum Generale intermedium illud celebrare non possit, illius Diffinitorium Generale eligat Ministrum nostri Conventus Romani S. Caroli ad sequens triennium, & similiter Familia, quæ prædictum Capitulum celebrare jam instante tempore nequeat per suum Diffinitorium Generale eligat Ministrum Collegii nostri de Propaganda Fide ad immediatum triennium.

24. Electiones Ministrorum horum Capitulo Generali poterunt fieri sine utinio ex omnibus aptis, quia proitis quinque ex aptis à Diffinitorio vinciæ, ex qua eligendus assumi det, Familia in eo Capitulo eligere pot, quem judicaverit eligendum.

25. Finitis electionibus, prosequanfessiones necessariæ ad agendum de rvantia, progressu, bonoque com noſtræ Religionis, & ante omnia, æcipue de ejus instituto, Redeme nimirum Captivorum: & ab ipso Capitulo confirmentur Præcepta in Constitucionibus imposita. Quibus nsis, Capitulum per secreta suffragat octo ex Ministria Provincialitualibus, & Ministris ex Domipitularibus, ad hoc, ut priores r, vel quinque concurrant simul Diffinicoribus Generalibus Ordinis, iliæ (sicut præcipit Regula) ad onem, vel depositionem Supeeneralis Ordinis, si in illo seopus fuerit. Reliqui verò ad hoc juxca ordinem suæ electionis sucprimis, si ex istis aliquis defeceortis, aut renunciationis, aut avis causa.

26. Insuper idem Capitulum eligat sex Patres ex gravioribus Religionis, quorumconsilio, & assensu, Superior Generalis (quando casus occurrerit) ejiciat ab Ordine aliquem, vel aliquos, Instructo Processu, & plene probatis causis expulsionis, juxta decretum Sac. Congregationis Concilii. Et præterea eligat quoque Capitulum, ad eumdem effectum alios quatuor, vel sex Patres subrogandos ordine suæ electionis in defectum alicujus, vel aliquorum ex sex prius electis.

27. Deinde quælibet Familia seorsim designet ex qualibet Provincia sua, duas Domos Capitulares, ut dictum est §. IV. hujus capitis num. 1. ut Ministri illarum socii sint ad Capitulum futurum Generale Ordinis, vel Familiæ juxta dicta.

28. Quibus electionibus factis, legantur coram Capitulo Decreta S. Romanæ, & Generalis Inquisitionis, & Præses Capituli hortetur ad illorum strictam obedientiam, & observantiam. Postea legantur coram suo Diffinitorio Epistolæ missæ ad Capitulum, ut si Diffinitorio visum fuerit, coram toto Capitulo notæ fiant. Decernimus autem, quod, nec Præses Capituli, nec Capitularis alius, præter assignatos, possit legere, aut aperire hujusmodi Epistolas.

29. His omnibus peractis, continuo imponat Præses præceptum omnibus, & singulis Vocalibus, ut inter spatium viginti quatuor horarum, tevelent ante ipsum, & manifestent impedimentum, si quod forsan fuerit, ratione cujus aliquis ex Prælatis noviter electis non possit, nec debeat confirmari in suo officio. Quod si aliquod impedimentum inventum fuerit, ad Diffinitorium Generale Ordinis spectat judicium de illo: nullo autem invento, Capitulum totum confirmet electionem Ministri Generalis Ordinis, juxta Breve fel. rec. Urbani Papæ VIII. Deinde omnes Vocales ad illius electionem, confirment electionem Commissarii Generalis Familiæ: Et postea duo Diffinitoria simul cum Præside confirment electiones Diffinitorum Generalium Ordinis: ac demum ordine servato electionum, quælibet Familia cum Præside confirmet electiones, quas canonicè fecit.

30. His expeditis socius Provinciæ modernioris, cujusvis Familiæ surgat, & coram Capitulo legat Cathalogum Religiosorum, qui in illo triennio in tota sua Familia decessetunt, quem illi tradere

dere tenentur ejusdem Familiæ Provinciales. Deinde surgat Secretarius Capituli, & coram toto etiam Capitulo legat electiones omnes, Statuta, Decreta, & cætera omnia acta, & disposita ab utraque Familia in ipso Capitulo. Quæ cuncta debent esse scripta in libro Capituli Generalis, cum annotatione in qualibet Prælatorum electione numeri suffragiorum concurrentium ad illam: Et his lectis subscribant in eodem libro omnes Vocales, qui usque ad hanc diem, & sessionem debent esse æquales inter se: & omnes à solo Præside licentiam, socium, Benedictionem, signumque recipere, quamvis quoad præcedentiam inter se, & actuum Præsidentiam servandus sit ordo supradictus. Quo facto dissolvitur Capitulum.

31. Semper Capituli Generalis tres erunt publicæ conciones, Missæque solemnes: duæ ex Festivitatibus Ordinis ad arbitrium Præsidis, qui tempore apto monere debet Provinciales suæ Familiæ, ut Prædicatores eligant, quos voluerint, pro determinata ab ipso Præside concione facienda in Capitulo illo. Monemus tamen Provinciales, ut si Concionarores, vel Concionator aliquis satyricè ad murmur Populi excitandum, vel complacendum prædicaverint, illico, & perpetuo prædicandi, & concionandi licentias auferant; vel licentiam; ita ut nisi de consensu Capituli Generalis futuri, minime qui defecerit, possit intra, nec extra Domos nostras Spiritus Sancti ascendere Cathedram. Jam perfecto, dissolutoque Capitulo, novum Diffinitorium Generale Ordinis visitet Superiorem Generalem, & Diffinitores Generales Ordinis, qui jam functi suo munere fuerint. Item novus Minister Generalis, & idem novum Diffinitorium Generale visitet Superiorem Generalem, & Diffinitores Generales Familiæ, qui in illo Capitulo spirarunt. Hujusmodi autem visitatio fiat juxta dicenda cap. XXXXI. §. 1. num. 4., & receptis Depositionibus Capitularium contra illos, visitationeque conclusa (nisi forte insinuentur culpæ, quæ majorem inquisitionem, atque examen requirant; Nam tunc fiet, quod citato cap., & §. disponitur) Missa solemnis de Requiem pro Defunctis Religiosis, & Benefactoribus Ordinis, & concio habeatur, (quæ erit tertia) facienda ab aliquo illius Provinciæ, in qua Capitulum celebratur, juxta Provincialis electionem. Qua Functione peracta, Capitulares, se mutuo charitate fraterna amplexentur, & in suos Conventus proficiscantur.

§. VI.

De modo servando in electionibus faciendis.

1. NEc Pater Minister Generalis, nec alius Superior nostri Ordinis, habeat Jus nominandi, vel proponendi aliquam Personam determinatam, ut eligatur: Poterit tamen quandoque Diffinitorium, si illi expedire visum fuerit, aliquas Personas proponere ex eligibilibus, relinquendo tamen Electores liberos, ut suffragia sua illis, vel aliis præstent ex eisdem.

2. Postquam omnes sua suffragia dederunt in qualibet electione, Scrutatores illa ante omnia numerent, attendendo, an correspondeant, & æqualia sint numero Vocalium. Quod si ita est, primus scrutator illa reponat in Urna, & postea sigillatim extrahat, & legat, legendaque præbeat duobus aliis Scrutatoribus, & Secretarius scrutinii illa sigillatim scribat, & numeret. Si vero quando schedulæ numerantur, non accedunt ad numerum Vocalium, vel illum excedunt, comburantur statim, sine eo, quod legantur, & iterum de novo suffragia ferantur. Cæterum si aliqua schedula vacua, seù alba inventa fuerit, vel eum suffragio cum conditione, vel alternative, vel præstito Personæ incapaci, secundum Jus, vel subjecto anteà per scrutinium eligibilitatis non eligibili, tunc casus Scrutatores suppresso nomine habentis suffragium, vitium; quod notaverint, declarent, & talis schedula pro nulla, & prò non suffragio reputanda est; Ideoque separetur, & regulatio, ac numeratio aliorum suffragiorum fiat, & illis solùm attendantur ad videndum, an sit electio, vel non. Et præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali Scrutatoribus, quod si tempore electionis aliquod reperiatur suffragium pro Subjecto, qui ex eligibilibus non fuerit, vitium declarent Electoribus, ne procedant ulterius.

3. Si in primo, vel secundo scrutinio non fuerit electio, Scrutatores consulant Diffinitorium Generale Ordinis; & istud (si illi expediens visum fuerit) jubeat: quod suffragia declarentur, & quæ quisque habeat, manifestentur, ut ità Vocales facilius ad electionem conformentur. Si autem facto postea tertio scrutinio, adhuc non sit electio canonica, omissis scrutiniis, ille intelligatur electus, vi hujus Constitutionis, pro quo fuerit major numerus suffragiorum, quam pro alio, aut aliis. Si vero pro duo-

duobus fuerit æqualis numerus suffragiorum, major quam pro aliis, tunc antiquior in Professione reputabitur canonicè electus.

4. Scrutinio facto, Pronuntiator ad id à Capitulo electus, juxta dicta §. anteced. num. 15. faciat, & pronuntiet electionem pro illo, qui habet omnia suffragia; vel plusquam medietatem, vel in casu discordiæ pro eo, qui electus deputari debet, juxta immediate dicta, declarando numerum determinatum, sequenti forma, quamvis ipse suffragium electo non dederit.

Ego Fr. N. de N. nomine meo, & omnium Electorum præsentium per decem suffragia v. g., vel (si casus fuerit) in casu discordiæ, & æqualitatis, eligo in Majorem, ac Generalem Ministrum nostræ Sacræ Religionis, vel in Diffinitorem Generalem, vel in Ministrum Provincialem Provinciæ N., vel in Ministrum Conventus, vel Collegii N. P. Fr. N. de N. in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Amen

5. Forma ista faciendi, seù pronunciandi quamlibet electionem, semper observetur tam in Capitulo, quam in Diffinitorio, vel alia quavis Congregatione. Schedulæ autem esse poterunt scriptæ propria suffragantis manu, vel aliena. Quæ igne comburantur in ipso Capitulo, vel Diffinitorio, vel Congregatione, antequam Vocales surgant.

6. Omnes controversiæ, & difficultates ortæ in, vel super electionibus, etiàm Patris Ministri Generalis in Capitulo, vel alia quacumque Congregatione determinentur per Diffinitorium Generale. Cujus resolutioni nemo contradicat sùb pœna ad arbitrium ipsius Diffinitorii infligenda.

§. VII.

De modo aliquid proponendi, & decernendi in Capitulo Generali.

1. UT maturiori consilio determinetur, quod in Capitulo Generali v. g. propositum fuerit, liceat ipsi Capitulo (si illi expedire videbitur) decisionem differre usque in sequentem diem.

2. Quotiescumque judicio trium Capitularium conveniens sit proponi, vel determinari rem aliquam in Capitulo, Præses teneatur illam proponere, ut decidatur, dum tamen non sit novam condere Constitutionem; Ad hoc enim proponendum, & conferendum major Capituli Generalis Ordinis pars debet petere, & instare. Præses autem hujusmodi Capituli poterit in eo toto proponere quidquid ipsi expedire videatur; & unica Familia consentientibus antea omnibus suffragiis illius, proponere poterit toti Capitulo, ut fiat Constitutio pro sua tantum determinata Familia.

3. Præcipimus, quod nullo prætextu à Summo Pontifice postuletur innovatio, seu immutatio in re aliqua Sanctæ nostræ Regulæ: Nisi hoc fiat per Capitulum Generale Ordinis, concurrentibus omnibus votis, & nemine discrepante. Et contraveniens huic Constitutioni, ipso facto privatus sit Officio suo, & inhabilis perpetuo ad quæcumque alia. Similiter nec postuletur à Sede Apostolica, nisi per idem Capitulum Generale, & consentientibus tribus ex quatuor partibus suffragiorum, innovatio, alteratio, seu abrogatio quoad totum, vel quoad partem alicujus ex Constitutionibus confirmatis ab ipsa Sede Apostolica.

4. Ut aliqua Constitutio de novo condatur, ejus convenientia in duobus, vel tribus Capitulis Generalibus Ordinis sedulo, ac diligenter expendi, & agitari debet hoc ordine: Postquam in primo Capitulo actum est de re aliqua, si à majori parte suffragiorum approbata fuerit, statim vim habeat ordinationis, & executioni mandari incipiat, usque ad sequens Capitulum, in quo mature examinata, si consentientibus omnibus præter unum fuerit approbata, habeat deinceps vim Constitutionis. Si vero à duabus tantum partibus suffragiorum approbata fuerit, perseveret ejus executio, ut ordinatio, usque ad tertium Capitulum Generale. Et si in hoc tertio expensis convenientibus, vel inconvenientibus expertis in ejus executione, si adhuc approbetur à tribus ex quatuor partibus suffragiorum, habeat deinceps vim Constitutionis; alias non concurrentibus dictis tribus suffragiorum partibus, eo ipso revocata, & pænitus extincta maneat præfata ordinatio; nec imposterum de ea fiat in Capitulo mentio, nisi mutatis circumstantiis, illi de ea agere videatur, incipiendo examen tamquam de re, de qua numquàm actum fuerat in Capitulo. Declaramus autem, quod quando tres, vel quatuor partes suffragiorum æquales esse non possunt, non attendatur, nec ratio habeatur de votis superabundantibus ad tres, vel quatuor partes æquales.

5. Ad hoc autem, ut aliqua Constitutio ex non confirmatis in specie à Sede Apostolica quovis modo alteretur, innovetur, vel abrogetor, & ad hoc, ut fiat Constitutio contraria alicui ex eis, eodem modo in Capitulis Generalibus examinanda est ejus convenientia, vel inconvenientia; ita tamen, ut si in aliquo ex tribus Capitulis, omnium omnino concurrant suffragia, aboleatur antiqua constitutio, & executioni mandetur ordinatio nova. Cœterum quamvis in primo Capitulo consentiat major pars suffragiorum, non statim executioni mandetur, nec suspeodatur per illud sexennium Constitutio antiqua. Quod si in sequenti Capitulo consentiant duæ partes ex tribus suffragiorum, tunc suspendatur per triennium antiqua Cnnstitutio, & executioni mandetur nova ordinatio, alioquin ista prorsus extincta maneat. Quod si in tertio Capitulo, re diligenter perpensa, consentiant tres partes ex quatuor suffragiorum, aboleatur antiqua Constitutio, quoad id: in quo per novam alteratur, innovatur, motatur, seu in contrarium disponitur, nec unquam agatur de ea, nisi ob rerum vicissitudinem, tamquam de re nova, de qua nunquam fuerat actum. Si verò in hoc Capitulo non consentiant dictæ tres partes suffragiorum, præfata ordinatio eo ipso nulla sit, & omnino maneat extincta. Poterit vero Capitulum Geoerale Ordinis dispensare in Constitutionibus, dummodo non sint ex confirmatis à Sede Apostolica, ita tamen quod si nnn pertineant ad universalem Ordinis Regimen, sufficiat major pars Vocalium: Si autem pertineant ad præfatum Regimen, fieri debet consentientibus duabus ex tribus Capituli Partibus. Omnino tamen dispensatio fiat ad tempus, scilicet usque in sequens Capitulum, in quo nisi confirmetur, pro nulla habeatur. Quod etiàm intelligatur de dispensationibus, quæ, juxta dicenda, ab aliis Congregationibus fieri possunt, demptis quæ à solo Diffinitorio fuerint, quæ protrahi poterunt usque ad Capitulum, cujus Diffinitorium fuerit caput.

6. Ad facienda quæcumque statuta, (nullatenus tamen nostris Constitutionibus contradicentia) quæ vim habeant Decretorum Capituli Generalis Ordinis, sufficiat major pars suffragiorum, & ex tunc executioni mandentur. Si autem in Capitulo immediate sequenti expresse non confirmentur, eo ipso extincta maneant. Si verò approbentur, nedum à majori, sed etiam a duabus partibus suffragiorum, non ideò censeantur extinctæ, sed perseverent, ut ordinationes juxta dicta num. 4.

7. Omnia, quæ in Capitolo decidentur per secreta suffragia determinentur calculis albis, & nigris.

§. VIII.

De Capitulo Generali intermedio.

1. Cum, favente Deo, plures sint extrà Hispaniam institutæ Provinciæ, & ad felicius, faciliusque Ordinis Regimen sub unitate unius capitis bipartitio facta fuerit, & instituta, ut in omnibus utraque Familia dignoscatur æqualis, & ad præscriptum Regulæ, de triennio in triennium celebretur Capitulum Generale, quod quidem juxtà illius tenorem semper celebratum fuit, itaut solum de sexennio in sexenniom fuerit Capitulum electivum Ministri Generalis, juxta illud Regulæ: Electio Majoris, ac Generalis Ministri de sexennio in sexennium; & post triennium hujus Capituli electivi, aliud Capitulum Generale, quod ab initio vocatur intermedium, ita etiam servetur imposterum, hoc solo discrimine, quod Capitulum electivum de sexennio in sexennium celebrandnm, Capitulum Generale Ordinis vocetur: & Capitulum intermedium solum celebretur in ea Familia, ex qua in Capitulo Generali Ordinis, Commissarius Generalis electus fuerat, sicque verificabitur, quod semper de trienniq in triennium aliquod Capitulum Generale celebretnr in Ordine.

2. Capitulum Ministri Generalis electivum semper celebrari debet intra Familiam, ex qua Minister Generalis spirat, cui Familiæ correspondet celebratio futuri Capituli Generalis intermedii, ut sic supremum caput Religionis, numquam munus funm finiat extrà Familiam suam.

3. Capitulum Generale intermedium celebrari debet, juxta Regulam Sabbatho ante quartam Dominicam post Pascha, & post triennium à die celebrationis Capituli Generalis Ordinis, intrà propriam Familiam, extra Curias Principum in Domo designanda à Præside Capitoli, qui semper erit Commissarius Generalis Familiæ, nisi intra illam, & extra propriam Familiam adsit Minister Generalis Ordiois, & voluerit præsidere in dicto Capitulo intermedio.

4. Si instante tempore Capituli Præses infirmetur, potest differre Capitulnm per unum mensem tantùm; quo elapso, si adhuc fuerit impeditos, vel si congregato jam Capitulo ægrotaverit præ-

præsideat Diffinitor Generalis Familiæ actu prior inter alios.

5. Ad hujusmodi Capituli celebrationem, per suas litteras convocatorias, convocare debet, & invitare per invitatorias Superior Generalis Familiæ omnes, qui concurrere debent, & possunt, eo modo, quo dictum est de Capitulo Generali Ordinis, quamvis Superior Generalis Ordinis in aliquo anno sit futurus Præses Capituli intermedii.

6. In Capitulo intermedio suffragium habere debent Minister Generalis, si adsit: Superior Generalis Familiæ: Diffinitores Generales illius: Ministri Provinciales, vel Vicarii Provinciales ejusdem: Ministrique actuales Domorum Vocalium, quæ in Capitulo Generali Ordinis designatæ fuerint, ut earum Ministri, finito sexennio, Socii sint ad Capitulum Generale Ordinis: quippè Ministri hujusmodi Domorum ad Capitulum intermedium debent concurrere, & eorum Successores in eisdem Domibus ad Capitulum Generale Ordinis, quod etiam intelligitur de Sociis in defectum. Præterea suffragium habebit in hoc Capitulo intermedio, intra Hispaniam, Procurator Generalis Hispaniæ; & extrà Hispaniam Procurator Generalis Ordinis in Romana Curia: Deinde Secretarius Generalis Superioris Generalis Familiæ: ac demùm qui ex eadem Familia assumpti fuerant aliquando Superiores Generales Ordinis, vel Familiæ, itaut hi pro libito; cæteri autem sub pœna perpetuæ privationis concurrere teneantur, sicut dictum est, circà Capitulum Generale Ordinis.

7. In Capitulo intermedio circa Præcepta, scrutinia, selectiones eligibilium, ac cætera præambula, ea omnia observentur, quæ dicta manent, circa Capitulum Generale Ordinis.

8. Tempore Capituli sedeant ordi[...]e, quo nominati sunt, (& si casus oc[...]rrerit) in quo recens electus præsens [...]erit, sedeat immediate post Commis[...]ium Generalem, qui spirat, & statim [...]fragium habeat, quamvis de corpore [...]pituli non sit.

9. Facta electione Superioris Gene[...]s Familiæ, quæ semper fieri debet [...]dicto Sabbatho ante prandium, post illico omnes Religiosi illius Domus, [...]ue Vocales pergant processionalitèr [...]n Electo in Ecclesiam cantantes Hym[...]n *Te Deum laudamus*, prout in Capl-

tulo Generali Ordinis. Si autèm Diffinitorium Generale Ordinis propter Bella, aut alias urgentissimas causas, illi à toto Diffinitorio Generali Familiæ propositas, nemine discrepante, hujusmodi Capitulum Intermedium differendum judicet, tunc juxta ipsius Diffinitorii Generalis Ordinis arbitrium, celebrabitur, die assignanda ab eodem, vel non celebrabitur absolutè, & tunc casus non celebrationis ipsum Diffinitorium Generale Ordinis per litteras patentes à Ministro Generali efformatas, nomine sui Diffinitorii prorogare, & confirmare poterit canonicè in futurum triennium, & Commissarium, & Diffinitores Generales Familiæ.

10. Ipso autem die electionis Commissarii in Capitulo intermedio, congregentur ipsius Vocales, & sex Diffinitores Generales Familiæ ex eadem eligant. Et altera die congregentur omnes in Aula Capitulari, & si Familia fuerit intra Hispana primum eligat Ministrum Nostri Conventus Romani S. Caroli; At licet Intra Hispana non sit, eligat Ministrum nostri Collegii Romani de Propaganda Fide.

11. Capitulum Generale intermedium nullas alias electiones facere poterit; Ideo his finitis agere debet de Redemptione, & Observantia, facereque ordinationes, & statuta pro sua Familia, quæ minime opponantur factis à Capitulo Generali, vel Diffinitorio Generali Ordinis, atque sibi eligere Chronistam pro tota sua Familia.

12. Omnibus peractis, Commissarius noviter electus coram toto Capitulo, repromittat obedientiam, eamque promittat specialem tempore sui muneris Superiori Generali Ordinis: & postea totum Capitulum confirmet Patris Commissarii electiunem: Deindè confirmet etiàm singulas electiones, quas fecit canonicè, & fiant, leganturque, quæ facienda, & legenda sunt in Capitulo Generali juxtà ibidem dicta.

13. Dissoluto Capitulo, Capitulares se mutuo fraterna charitate amplexeotur, & in suos Conventus proficiscantur.

14. Illico, & quamprimùm Secretarius, qui fuerat Diffinitorii Familiæ certiorem faciat Ministrum Generalem Ordinis de omnibus electionibus, & de repromissione Obedientiæ moderni Commissarii Generalis; qui omnibus noviter electis tradere debet litteras authenticas suæ electionis.

§. IX.

De aliis Congregationibus Generalibus.

1. In casu, quo eligendus sit Vicarius Generalis Ordinis propter defectum Ministri Generalis, ut diximus, Prior Diffinitor Generalis Ordinis tunc superstes, cui competit in eo casu gubernare totam Familiam, ut Superior Generalis Ordinis, usque ad confirmationem novi Vicarii Generalis, per suas litteras vocatorias congreget omnes Vocales suæ Familiæ, qui concurrere tenerentur, & possent, si in ea Familia celebrandum esset Capitulum intermedium, designetque domum aptam, etiam extra Principum Curias, pro celebratione Congregationis, ut in ea congregentur tempore apto, ad ipsius arbitrium, ita ut quamprimum fiat Vicarii Generalis electio.

2. Si Diffinitoribus Generalibus Ordinis, illo, & alio exceptis, constiterit, quod per omissionem, aut industriam prædicti primi Diffinitoris retardatur Congregatio, & Vicarii Generalis electio, liberum sit illis ad Sedem Apostolicam authenticè occurrere, ut à Pontifice destinetur Vicarius Generalis Ordinis.

3. Prædictus Diffinitor primus erit Præses hujus Congregationis, in qua imponat præceptum ad impedimenta detegenda, cunctaque alia exerceatur, quæ exercere debet Præses cujuscumque Capituli.

4. In prædicta Congregatione fiant scrutinia eligibilitatis, usque ad numerum quintum eligibilium, prout in Capitulis Generalibus.

5. Post Missam solemnem de Spiritu Sancto, & cætera præambula, quæ fiunt in Capitulis, fiat electio Vicarii Generalis ante prandium; qua facta, immediate post electionem pergant processionaliter in Ecclesia, cantantes *Te Deum*, quamvis novitèr electus non sit in eadem Domo, in qua si fuerit, ab ipso Benedictionem accipiant.

6. Vespere iterum congregentur, & si Diffinitor aliquis electus fuerit in Vicarium Generalem, Congregatio eligat novum Diffinitorem Generalem Ordinis: & si occurrat aliquod negotium urgens pro tota Religione, aut aliqua Familia, determinetur ab omnibus, ut moris est.

7. Postea confirmet electionem Vicarii Generalis, & deinde si eam fecit, confirmet etiàm electionem Diffinitoris noviter electi.

8. Postea Congregatio dissolvatur, mutoque amplexentur Vocales, quin aliud fiat, neque Concionem aliquam habere debeant in hac Congregatione. Qua finita duo primi Diffinitores Generales Ordinis, & Secretarius Ministri Generalis præteriti, statim mittant attestationem subscriptam ab ipsis tribus, & sigillo Diffinitorii Generalis Ordinis munitam, in qua Commissario Generali alterius Familiæ, & Diffinitorio Generali illius fidem faciant electionis factæ, ut eam intrà eorum Familiam nullus simulare audeat, aut præsumat. Et postquam Superior Generalis alterius Familiæ, & Diffinitorium Generale illius hujusmodi notitiam habuerint, illicò per suas litteras authenticas moderno Vicario Generali, obedientiam promittant; idque facere præcipimus illis sub præcepto formali, in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub pœna suspensionis ab officio ipsi Superiori Generali Familiæ, & cuicumque Diffinitori illius, obedientiam non repromittenti, à Diffinitorio Generali Ordinis declaranda, & applicanda. Si autem aliquis Provincialis, vel Vocalis alter electus fuisset in Vicarium Generalem, ad Diffinitorium Provinciæ pertinebit electio, sive Provincialis, sive alterius officii, quod Electus habuerat.

9. Si vero non mortis causa, sed ob renunciationem, vel privationem à suo officio munus Ministri Generalis vacaverit, eodem modo, & ab eisdem Vocalibus facienda, & celebranda est Congregatio; eodemque modo eligendus Vicarius Generalis Ordinis; quippe Congregatio, quæ Ministrum Generalem deposuit, vel illius admisit renunciationem, suo jam munere functa debet intelligi, quin eadem Congregatio jus eligendi Vicarium Generalem prætendere possit.

10. Si autem vel unius Familiæ, vel totius Ordinis opus fuerit pro urgentissimo casu Congregationem Generalem, judicio Diffinitorii Generalis Ordinis, convocare, id fieri debet, concurrentibus omnibus ipsius Diffinitorii Generalis, præter unum; & celebranda est in Domo ad arbitrium ipsius Diffinitorii eligenda, tempore ab ipso destinato, Præside, & Vocalibus seligendis ab ipso, nisi in his Constitutionibus jam designati fuerint pro Congregatione in ipsis statuta; ita tamen ut ad Congregationem specialem, semper concurrat utrumque Diffinitorium, si fuerit

fuerit Ordinis; semperque Diffinitorium Familiæ, si unius fuerit Familiæ tantùm.

§. X.

De pertinentibus privative ad Capitulum Generale.

1. Quoties dicitur in his Constitutionibus, Capitulum, vel Diffinitorium Generale, & non additur Ordinis, intelligitur de Capitulo Generali, & Diffinitorio Generali Ordinis vel Familiæ. Itaque ad Capitulum Generale spectat facere omnes electiones Prælatorum, & admittere omnes Renunciationes eorum, quando fiunt in ipso: Condere Ordinationes, & Constitutiones, ut in paragraphis de Capitulis dicitur. Sed ad Capitulum Generale Ordinis spectat impetrare à Sede Apostolica, concurrentibus omnibus suffragiis, immutationem nostræ Regulæ in re aliqua: Item ad ipsum pertinet dividere Provincias, consulta primo Sede Apostolica, dummodo pro nova saltem sint octo Conventus. Atque etiam, eadem consulta, relinquere, & desertas facere fundationes Conventuum jam admissas, & possessas.

2. Et demum dispensare in Constitutionibus non confirmatis à Sede Apostolica, ut dictum est: Et ex ipsis non confirmatis abrogare, innovare, & alterare quamlibet: Cœteraque facere, stabilire; quæ secundum Regulam, Constitutiones ipsi reservantur.

3. Illa autem, quæ in Capitulo Generali Ordinis, ab unica Familia fieri possunt, juxtà Regimen ejusdem Familiæ ab ea proponenda sunt toti Capitulo Generali Ordinis, & nisi ab isto definientur, adhuc pro una Familia poterunt executioni mandari.

§. XI.

De Diffinitorio Generali.

Quolibet anno duo celebrentur Diffinitoria; unum Generale in qualibet Familia, die decima tertia Septembris, alterum Provinciale pro qualibet Provincia die tertia Maii. Sed quià anno, quo Diffinitorium Generale Ordinis celebrari debeat, secundum Constitutiones ad electiones faciendas à triennio in Capitulum Generale Ordinis, non celebratur mense Septembris, Diffinitoria Provinciarum illius Familiæ prorogari ad mensem Septembris, ut intra annum deficiat Diffinitorii proprium, ad quod concurrere debent pro expeditione negotiorum suorum.

2. Hujusmodi Diffinitoria Generalia semper congregabuntur in Conventu, vel Collegio jam ab ipso Diffinitorio antecedenti deputato. Nec ad istud sit necessaria Convocatio, nec admittatur aliqua excusatio, nisi aliquis infirmitate, aut alia causa inevitabili sit impeditus. Nec liceat Superiori Generali, aliquem Diffinitorem occupare, vel impedire, ita, ut dictis temporibus assistere non valeat Diffinitorio.

3. Si Superior Generalis absens fuerit, infirmus, vel taliter impeditus, ut dictis Diffinitoriis adesse nequeat, congregentur tempore dicto Diffinitores, & Præsidente primo ex eis, celebrent Diffinitoria. Numquam tamen absente Superiore Generali aliqua fiat electio, vel admittatur renunciatio, vel nova Conventus Fundatio.

4. Congregari etiam poterit Diffinitorium semper, ac Superiori Generali visum fuerit; qui & illud congregare quoque tenebitur, quando major pars Diffinitorum id postulaverit, vel vacaverit aliquod officium per quatuor menses ante celebrationem futuri Diffinitorii.

5. Quotiescumque Diffinitorium celebretur præsente Superiori Generali, si vacans fuerit aliquod officium Diffinitoris antè omnia eligatur Diffinitor. Idemque fiat casu, quo in ipsa actuali Diffinitorii celebratione tale officium per mortem, renunciationem, aut aliam justam causam vacaverit. Et si Electus absens est, prosequatur Diffinitorium, nulla tamen fiat electio, donec novus Diffinitor perveniat, sine illius consensu, si fuerit intrà Familiam, secus si extra illam fuerit.

6. Diffinitorii tempore congregentur Diffinitores semel saltem in die per spatium unius horæ. Durabitque Diffinitorii celebratio diebus necessariis pro expeditione rerum, & negotiorum ad arbitrium ipsius Diffinitorii.

7. Semper ac celebretur Diffinitorium Generale teneatur Superior Generalis proponere officia tunc vacantia, & ad Diffinitorium Generale pertinentia, ut eorum electiones fiant, & similiter negotia occurrentia, quæ determinationem Diffinitorii Generalis expectant, ut per ejus secreta, & decisiva suffragia judicentur.

8. Quilibet ex Diffinitoribus poterit proponere quamlibet rem ex attinentibus ad suum Diffinitorium, & si majori ipsius parti expedire videatur, per secreta suffragia decidetur.

9. Res graves, quales sunt electiones, renunciationum admissiones, & similia proponantur pridiè ante decisionem.

10. Quandò aliquid determinatum est in Diffinitorio, non agatur iterùm de illo in eodem Diffinitorio, absente aliquo ex eis, qui primo Decreto astiterunt. Imo etiam omnibus præsentibus, non controvertatur iterùm nisi concurrentibus tot suffragiis, quot necessaria sunt ad dispensandum.

11. Epistolæ ad Diffinitorium missæ, non aperiantur, nisi coram ipso, & ibi publice legantur, nisi aliter eidem Diffinitorio visum fuerit.

12. Diffinitorium Generale Ordinis poterit mittere aliquem Religiosum ad Curias Pontificiam, & Regiam, & quo illi expediens visum fuerit pro aliquo gravi negotio ad bonum commune Religionis pertinente: Dùm tamèn in hoc conveniant omnes, qui fuerint in Diffinitorio, uno dempto.

13. Poterit etiam aliquem ex Diffinitoribus in quolibet gravi negotio occurrente occupare intrà, vel extra Familiam, prout illi conveniens visum fuerit.

14. Non poterit Diffinitorium Generale vices suas concedere, nec Patri Ministro Generali seorsim, nisi quando adiret aliquam Provinciam, vel Conventum videndum, vel in simili casu raro: & semper cum limitatione ad ea tantum, quæ probabiliter (judicio ipsius Diffinitorii) occurrere possunt, designando casus speciales, qui & in Libro Diffinitorii scripti manebunt.

14. Deputet Diffinitorium in suum Secretarium unum ex Patribus Diffinitoribus, qui statim ac electus fuerit, juramentum emittat servandi secretum, & fidelitatem, forma præscriptâ pro Secretario Capituli Generalis cap. 39. §. 5. n. 11.

16. Quod actum, decisumque fuerit à Diffinitorio, in ejus Libro scribatur, & in electionibus Canonicis, in ipso factis, annotetur numerus suffragiorum: & antequam finiatur Diffinitorium, legatur coram ipso, & posteà subscribatur à Superiore Generali, Primo Diffinitore, & Secretario. Ea autem, quæ sive in Capitulo Generali Ordinis, sive in alia Congregatione acta, decisa, sive determinata fuerint ab utroque Diffinitorio Generali, insimùl in eodem Libro Diffinitorii Generalis Ordinis scribantur, subscribanturque à Præside, ab immediato Diffinitore Ordinis, à Primo Diffinitore alterius Familiæ, & à Secretario Diffinitorii Generalis Ordinis.

17. Pater Minister Generalis determinationes, & decreta Diffinitorii Generalis Ordinis executioni breviter mandari curet. Quod si remisse in hoc se gesserit, & reverenter monitus non se emendaverit, Diffinitores primus, & secundus exequi faciant, ea subscribendo simùl cum Secretario, & signando Diffinitorii Generalis Ordinis sigillo. Superior autem, atque etiam Diffinitorium alterius Familiæ, similiter cùrent executioni mandari quidquid à Diffinitorio Generali Ordinis fuerit decisum, aut determinatum: & si aliter fieri contigerit Diffinitorium Generale Ordinis committere poterit suas vices alicui Religioso probo, atque intrà aliam Familiam bene viso, qui aliquando functus fuerit officio Superioris Generalis, vel Diffinitoris Generalis, vel Ministri Provincialis, ut nomine Diffinitoris Generalis Ordinis, Superiorem Generalem Familiæ, & quemlibet Diffinitorem, cæterosque Religiosos per præcepta cogat ad obedientiam, eosque, si opus fuerit, suspensos declaret, & de inobedientia processum faciat, & informationem; ut illis inspectis, Diffinitorium Generale Ordinis, vel eorum renunciationes admittat, vel pro qualitate culpæ eosdem afficiat pœnis.

18. Si (quod Deus avertat) Superior Generalis Ordinis se gereret cum magno Sæcularium scandalo, vel Religionem regeret notabili relaxatione, & observantiam in rebus gravibus negligeret, tunc primus Diffinitor Generalis Ordinis, convocet omnes alios Diffinitores Generales Ordinis, ut in Domo omnibus commodiori, die ab ipso assignando, congregentur. Qui omnes simùl juncti, & non aliter, ac re mature considerata, convocent quatuor, vel quinque Ministros Provinciales, per Capitulum Generale Ordinis deputatos, & simul cum illis humiliter, & reverenter (vel in scriptis, vel oretenus) bis moneant Superiorem Generalem Ordinis. Qui si adhuc ab excessibus, & culpis non cessaverit, omnes dicti Prælati (Diffinitores utique Generales Ordinis, & Ministri Provinciales) simul

con-

congregati, & majore illorum parte consentiente, causa, sine figura judicii, aut strepitu judiciali, cognita, judicent an mereatur deponi; & ita sentientibus, & judicantibus, moneatur, ut sui officii faciat renunciationem, quàm si non fecerit, deponatur. Et in tali casu, dum causa examinatur, poterunt omnes simul in toto Ordine, cui, vel quibus necessarium fuerit, imponere præcepta, & censuras, quæ & alia quæcumque mandata subscripta à primo, & secundo Diffinitore Generali Ordinis, & referendata à Secretario fidem faciant, & obligent. Et etiam in eo casu poterunt dicti Prælati inhibere etiam P. Ministro Generali præceptis, vel censuris, aliisve mediis opportunis, ne, dum causa ipsius agitur, & concluditur, officium suum exerceat, nec in alio sit Conventu, præter sibi ab eis designato.

19. Hujusmo di Congregatio obligari non poterit ad reddendam causam admissionis renunciationis, nisi Sacræ Congregationi petenti. Si autem Sacra Congregatio id petierit ad instantiam ipsius Superioris Generalis, causa, & Processus instruatur authenticè, & summariè tantum, ut ipsi Congregationi constent merita causæ, & si velit, jubeat, ipsam ad summarium reduci. Postquàm verò Minister Generalis à suo officio fuerit amotus, Primus Diffinitor Generalis integram suam Familiam convocet, ut quamprimum, in Domo, in qua fuerat celebratum Capitulum Generale Ordinis, Vicarius Generalis electus sit, ut habetur §. 9. hujus capitis.

20. Si autem Superior Generalis alterius Familiæ ob similes causas corrigi meruerit, id fiat à suo Diffinitorio etiam humiliter, ac reverenter, & moneatur bis, ut emendetur. Si verò non se emendaverit, Diffinitorium ipsum culparum capita, & attestationem illarum mittat ad Diffinitorium Generale Ordinis, ut instruatur; & si illi visum fuerit, ex meritis causæ, vel illi illius honore consulendo, jubeat officio cedere, vel si hoc facere noluerit, ipsum deponat, in quo casu Minister Generalis eligere poterit Vice-Commissarium, ut dictum est.

21. Omnes Processus, & causæ criminales custodiantur in Archivio Generali Ordinis, & Patres Provinciales, & Visitatores remittant dictas causas jam absolutas, ut in Archivio reponantur: ... & etiam remittant inceptas, & ...ndum finitas si ab ipsis absolvendæ non ...nt, Idemque faciant Patres Ministri ... causis ab ipsis inchoatis, & formatis, vel illas remittant ad suum Provincialem, ut de illis judicet. Quo facto; ipse eas mittat ad prædictum generale Archivium, in quo conserventur sub clavi, quæ apud Superiorem Generalem, vel ejus Secretarium sit.

22. Et ne decursu temporis, Libri Ordinis, Bullæ, Brevia, Privilegia, cæteræque Scripturæ deperdantur, decernimus, quod in nostro Conventu Matritensi sit Archivium generale, in cujus parte separata omnia prædicta reponantur, & custodiantur sub duabus clavibus, quarum altera sit apud Patrem Superiorem Generalem, altera vero apud unum ex Diffinitoribus designandum à Diffinitorio. Et similiter ad eumdem effectum in Conventu nostro S. Caroli Curiæ Romanæ sit aliud Archivium, cujus claves habeant P. Minister, & Procurator Generalis illius Curiæ assumptus ex Familia intra Hispana, sivè sit Ordinis, sive Familiæ.

23. Deficiente autem Superiore Generali, omnibusque Diffinitoribus, claves Archivii Matritensis erunt apud Ministrum Conventus, & Procuratorem Generalem Curiæ Regiæ. Clavis Archivii Romani, quæ erit apud Ministrum Conventus S. Caroli; si ipse Minister fuerit Procurator Generalis, eam habere debet ex commissione Superioris Generalis Consiliarius antiquior. At verò si Procurator Generalis Ordinis, aut Familiæ alibi commoretur, & residentiam habeat intra Urbem uti tamen egeat Archivio Romano ad sua respective negotia pertractanda, non solùm Archivium ingredi, sed etiam Clavariis consentientibus, extrahere poterit, & secum deferre Instrumenta aliqua, cum obligatione à se subscripta, eadem restituendi intra breve tempus, quam obligationem ipsi Clavarii servare debent. Et præcipimus in virtute S. Obedientiæ, & sub præcepto formali, tàm Clavariis consentientibus, quam prædictis Procuratoribus Generalibus extrahentibus Instrumenta, ut ea restitui curent sub pœna privationis ad ulteriora Ordinis officia non restituendi, & Clavario ommittenti pro casu non restitutionis, non monenti Ministrum Generalem, ut ea restitui faciat.

§. XII.

De spectantibus ad Diffinitorium Generale.

1. Privative pertinet ad Diffinitorium Generale Ordinis novas Conventuum

fundationes admittere: Declarare dubia ergà nostras Constitutiones occurrentia: dispensare in eisdem Constitutionibus ad universale Ordinis Regimen non spectantibus, quod tamen raro fiat, & consentientibus omnibus suffragiis præter unum; dummodo non sint confirmatis à Sede Apostolica; atque etiam pertinet ad ipsum, dispensare in Statutis, seu Decretis Capituli Generalis Ordinis. Ad ipsum quoque pertinet admittere renunciationem Patris Ministri Generalis, si actualiter tunc non celebretur Capitulum Generale Ordinis, sed ad hujusmodi admissionem omnia suffragia concurrere volumus. Præterea ipsius Diffinitorii Generalis Ordinis est deputare Religiosos, qui Redemptionem Captivorum exercere debent; & cætera omnia, quæ illi reservantur in his Constitutionibus.

2. Ad quodvis verò Diffinitorium Generale, sive solius Familiæ, sive simul Ordinis sit, pertinet Fundationes jam admissas, & jam factas de uno situ transferri in alterum: Conventus unius Provinciæ alteri designare, & adscribere, consulendo tamen in præfatis Provinciales illarum Provinciarum de qua, & ad quam mutatio fiat. Etiam pertinet ad ipsum punire culpas gravissimas: Facere Statuta, quæ communiter Acta dicuntur, pro reformatione totius Familiæ: destinare tempus, & locum, in quo celebrandum est Diffinitorium Generale immediate futurum: admittere Renunciationes officiorum, ad quæ eligere extra Capitulum habeat jus: Dispensare, ut à Capitulo Provinciali, inspecta utilitate Domus, pro eadem reeligi possit aliquis Minister consentientibus omnibus suffragiis Capituli præter duo.

3. Insuper præbere consensum, ut à Summo Pontifice, & ejus Sacris Congregationibus licentiæ obtineantur, ut aliqui, seu aliqui Religiosi nostri transitum faciant ad alias Religiones: Licentiam concedere, ut libri typis mandentur, sine qua, vel sui Diffinitorii Provincialis licentia, nemo id audeat facere, sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ per triennium.

4. Item facultatem concedere Conventibus, ut Hæreditates, seu Legitimas renuntient, excepta tamen parte ad Redemptionem Captivorum spectante, & cum conditione, quod si Persona, in cujus favorem facta fuerit renunciatio, absque Hærede necessario decesserit, ad Religionem Legitima redeat. Istæ autem renunciationes in Libro Conventus, renunciantis scriptæ in memoriam maneant. Deinde potest etiam Diffinitorium Generale, & ad ipsum spectat, licentiam concedere, ut Conventus cum partibus componantur, & ut ad Censum, sive ad damnum pecunias recipiant: Obtenta tamen prius supra præmissis debita Sedis Apostolicæ licentia. Et demum ad Diffinitorium Familiæ intra Hispanæ pertinet eligere ad triennium Procuratorem Generalem suæ Curiæ Regiæ.

5. In electionibus faciendis extrà Capitulum à Diffinitorio Generali, quando concurrunt tantum sex Electores, si post tres sessiones, in quarum singulis tria scrutinia habita sint, electio canonica non sequatur, servetur id, quod dictum est §. 6. num. 3. hujus capitis.

6. Præcipimus omnibus Religiosis tàm Prælatis, quam Subditis, ne recurrant ad Diffinitorium Generale pro expeditione rerum ad alios Superiores pertinentium, nec ad Superiorem Generalem pro illis, quæ pertinent ad inferiores Prælatos. Qui autem sine debitis circumstantiis recurrerit, juxta gravitatem culpæ puniatur.

7. Diffinitorium Generale nihil poterit facere ultra concessum à Regula, & nostris Constitutionibus, nec negotium aliquod, vel causam ad ipsum non pertinentem poterit sibi arrogare, nisi in casu raro, & omnibus suffragiis concurrentibus.

8. Superiores Generales, & etiam Diffinitorium Generale, quando illis expediens visum fuerit, mittant aliquam instructionem Patribus Provincialibus suæ Familiæ, quæ, & pro bono regimine, ac reformatione Provinciarum, & Proximorum, ac Subditorum profectu deserviat.

REGULÆ CAP. XL.

Electio Majoris, ac Generalis Ministri de sexennio in sexennium &c.

CAPUT XL.

De qualitate eligendorum in Prælatos, ac de eorum, & aliorum officiis jure, & potestate.

§. I.

De Officio Patris Ministri Generalis & his, quæ ad ipsum pertinent.

1. PAter Minister Generalis debet esse non mediocriter doctus in Theologia,

gis, five Sacris Canonibus instructus, prudensque, & zelans Regularis Disciplinæ, & splendoris Ordinis; quippe tamquam Caput illius, alios omnes debet excedere, quantum possibile humanæ fragilitati permittitur. Ut autem aliquis sit eligibilis in Ministrum Generalem Ordinis, debet habere viginti, & octo annos à Professione: & necessarium est, quod aliquando fuerit saltem per integrum sexennium Lector Sacræ Theologiæ, vel Procurator Generalis Ordinis, vel Secretarius Patris Ministri Generalis, vel quod concionatus fuerit octo quadragesimas laudabiliter, & cum conditionibus expressis cap. 40. §. 9. num. 1.; Ac demum quod fuerit Provincialis, vel Diffinitor Generalis Ordinis, vel Familiæ.

2. Ministro autem Generali omnes in toto Ordine submisse, & humiliter obediant, tamquam totius nostræ Religionis universali Patri, & Pastori, in quo residet potestas, & jurisdictio totius Ordinis non minor, sed superior, ac in Commissario respectu suæ Familiæ, & in Provinciali respectu suæ Provinciæ, & in Ministro respectu sui Conventus. Habet enim potestatem, & jurisdictionem sibi concessam sive jure communi, sive Privilegiis nostræ Religioni concessis, exceptis illis, quæ limitantur per nostras Constitutiones. Quare cum illi competat regimen totius Ordinis, vigilare, & curare maximè debet perlectam regularis Disciplinæ observantiam per instructionem à se missam Provincialibus, Ministris, & designando Zelatores, & probos Viros, ut per illos statum Ordinis facilius agnoscere possit.

3. Hortamur tamen Patrem Ministrum Generalem, ne se in Officia aliorum Superiorum intromittat, nisi negligentia, vel culpa illorum id exigat, aut aliquando ratio, & prudentia suadeat: semper vero debent omnes illi obedire, quod si excesserit in dicta intromissione Diffinitorio Generali Ordinis, cui inrest, submisse, & reverenter monear, proponendo inconvenientia, ipsume informando: Cæterum si adhuc in-; sub forma superius posita c. 39. . num. 2. etiam Diffinitorium Gene- Ordinis obediat humiliter secundæ jussioni, quia convenientius est, id durum pati, quam resistere Superiori.

4. Numquam aliquid disponat, deinet, aut præcipiat contra id, quod periore alterius Familiæ, vel ab ali- Provinciali dispositum, determina-, aut præceptum fuit, quin prius id notum faciat ipsis, qui disposuerunt. Superior Generalis Ordinis ex Familia extrà Hispana assumptus, nullam jurisdictionem exerceat in Conventu nostro Romano S. Caroli, nisi eam tantum, quam in alios Hispaniæ Conventus exercere poterit. Et in eo Conventu residere non possit; Quod potiori jure intelligendum est de Commissario Generali extrà Hispano.

5. Ad Patrem Ministrum Generalem pertinet præsidere in tota Religione in Diffinitorio Generali Ordinis, aut Familiæ, si præsens fuerit, & voluerit: & similiter in quovis Capitulo Generali, atque etiam in Capitulis Provincialibus suæ Familiæ per se, aut per alium, ut dicetur postea de Præside Capituli Provincialis: Cæterum si fuerit extra suam Familiam præsidere poterit personaliter in quacumque Congregatione, & Capitulo illius, sive Generali, sivo Provinciali: & proponere tam in istis, quam in illis, quæ in eis agenda, vel determinanda sunt, & executioni mandare, quod in ipsis decretum est; & facere, quod observentur disposita in nostris Constitutionibus.

6. Item ad ipsum spectat semel saltem in suo sexennio videre omnia Monasteria totius suæ Familiæ, & inquirere, ac visitare quemcumque Conventum vel Collegium ejus, prout ipsi visum fuerit.

7. Ad ipsum quoque pertinet Religiosos ab una in aliam transferre Familiam, consulto tamen Superiore Generali alterius Familiæ, & intrà propriam de una in aliam etiam Provinciam, consultis Provincialibus utriusque. Omnes enim Religiosi nostri ad eam tantum Provinciam spectare debent, in qua professi fuerint, vel quos Superior Generalis Ordinis incorporaverit in ea, aut fuerant Conventuales ante ejus erectionem, juxta dicenda de Capitulo Provinciali. Etiam ad Ministrum Generalem pertinet Confraternitates Sanctissimæ Trinitatis erigere, & aliarum illi aggregationem facere. Nec non epistolas Fraternitatis, cui voluerit, concedere. Pertinet etiam ad eum intrà propriam Familiam, designare Lectores tam Philosophiæ, quam Theologiæ scholasticæ, expositivæ, & moralis, & Lectoribus præstare licentiam ad quæcumque itinera facienda. Deputare Magistros Novitiorum recens professorum, & Collegarum Philosophiæ cum consilio Provincialis Provinciæ.

8. Præterea pertinet ad ipsum nominare Præsidem, illi delegando suas vices, quoties ipse exierit à sua Familia, & etiam facultatem concedere Vice-Commissario alterius Familiæ, quem elegerit in Superiorem ejus, ut Præsidem designet pro Familia in casu, in quo ipse ad Capitulum Generale, vel ad aliud opportunum negocium exeat ab ea. Ac demum ad eum pertinent omnia, quæ nostræ Constitutiones Ministro Generali concedunt, & curæ ipsius committunt. Poterit quoque designare Visitatorem cujuscumque Provinciæ, & totius alterius Familiæ, sed filium semper Familiæ ad Familiam, Provinciæ ad Provinciam visitandam, nisi omnibus consentientibus Diffinitorium Generale Familiæ alium exigat Visitatorem extrà Familiam, vel Diffinitorium Provinciale extra Provinciam suam.

§. II.

De Commissario Generali.

1. COmmissarius Generalis (tamquam Superior alterius Familiæ, qui jurisdictione ordinaria eam regere, & gubernare debet in omnibus, quæ in his Constitutionibus, vel Diffinitorio Generali Ordinis, aut Ministri Generalis obedientiæ, non sint opposita) oportet, ut sit Vir nihilo absimilis à Superiore Generali Religionis, quoad doctrinam, prudentiam, & cæteras dotes: Quoad graduationem verò, & ætatem, ut in Capitulo Generali eligibilis sit, debet esse talis, ut assumi possit in Ministrum Generalem Ordinis, si in eo Capitulo assumendus esset ex sua Familia.

2. Ad Commissarium Generalem pertinent omnia, sed tantum in sua Familia, quæ Ministro Generali non reservantur in his Constitutionibus, vel sive Diffinitorio Generali Ordinis, sive suo Diffinitorio Generali Familiæ non competunt. Poterit etiam intra suam Familiam, quidquid Provinciales ipsius in suis Provinciis, & Ministri earum in suis Conventibus. Cæterum servare debet Regulam præscriptam Ministro Generali §. 13. num. 3.

3. Ad ipsum quoque pertinet omnes nominare Lectores modo dicto cap. 38. §. 4. num. 1., ipsisque licentiam concedere, ut itinera faciant; atque Magistros, sive Novitiorum, sive recens Professorum, sive pro Collegiis Philosophiæ designare, & eligere; Concedere epistolas Confraternitatis, Benefactoribus intrà suam Familiam. Modo autem non poterit erigere, neque aggregare Confraternitates Sanctissimæ Trinitatis, adhuc intrà Familiam suam: quia hujusmodi facultas tantum est concessa per Sanctam Sedem Ministro Generali, & Procuratori Generali Ordinis in Curia Romana. Cæterum Minister Generalis ex nunc erigit sive aggregat, quas Commissarius Generalis assignet, dummodo non nomine proprio, sed nomine ipsius Ministri Generalis pro tempore, & expresso semper in ipso Instrumento erectionis, vel Aggregationis conferas illud. Demum ad Commissarium pertinet intrà suam Familiam, quidquid in Constitutionibus assignatur Superiori Generali, quin addatur Ministro, vel dicatur Ordinis.

4. Vice-Commissarius, quem eligere debet Superior Generalis Ordinis, in casu cujuscumque defectus Commissarii, debet eligi ex quatuor Eligibilibus, selectis in Capitulo Generali, qui superfuerunt, post electionem Commissarii Generalis. Nec poterit eligere Vice-Commissarium, non sic anteà eligibilem, nisi casu quo nullus eorum quatuor superstes sit, vel electio jam fuerit determinata ad unum. Præterea numquam eligat in Vice-Commissarium, qui alia Prælatura fungatur; hic enim reputabitur tamquàm superstes, ut eligatur in Vice-Commissarium.

5. Vice-Commissarius tamen sic electus, & delegatus à Ministro Generali Ordinis, ea omnia poterit in tota Familia sua à die, in quo notam fecerit suam Commissionem, in quocumque Conventu, quæ illi delegatus designaverit. Poteritque vi delegationis designare Præsidem suæ Familiæ, pro casu absentiæ suæ ab illa; cujus officium duret usque ad Possessionem Prælati noviter electi, & ad Delegantis arbitrium.

§. III.

De Patribus Diffinitoribus Generalibus.

1. PAtres Diffinitores Generales Ordinis sex esse debent juxtà Breve fel. rec. Alexandri PP. VII. expeditum die 30. Januarii anno 1658. sex etiam esse debent Diffinitores Familiæ juxtà Breve Sanctissimi Domini Nostri Clementis XII. expeditum die 10. Decembris anno 1733. De his omnibus Diffinitoribus, sivè Ordinis, sivè Familiæ idem dicendum est: quippe differunt tantùm in eo quod primi sunt Diffinitores totius

Or-

Ordinis electi ad sexennium, & intrà, & extrà Familiam suam præcedere debent omnes alios; Secundi verò sunt Familiæ, & eliguntur ad triennium; & præcedere debent omnes alios intra Familiam tantum, post tamen Diffinitores Generales Ordinis. Itaque singuli duo Diffinitores pro singulis Provinciis suæ Familiæ eligantur, & omnes intrà suam Familiam sint æquales in potestate, & præeminentiis, ac Filii sint Provinciarum, pro quibus eliguntur actualiter. Horum enim prior electus, primus sit Diffinitor intrà suam Familiam; Secundo electus, secundus, & sic de cæteris servata prioritate electionis.

2. Cæterum nullus Religiosus eligibilis sit in Diffinitorem Generalem, quin expleverit viginti annos post Professionem, & quin fuerit prius ad minùs per triennium Lector Theologiæ, aut Secretarius Generalis, aut Procurator Generalis in Curia Romana, vel concionatus fuerit quatuor Quadragesimas, aut fuerit Magister Novitiorum per triennium; & quin posteà ad minus per triennium fuerit Minister Conventualis alicujus Conventus, vel Collegii suæ Provinciæ.

3. Superior Generalis, & Diffinitores Generales, dum post suam electionem, primo in Diffinitorio coogregabuntur, faciant ante omnia in ipso Diffinitorio juramentum servandi perpetuum secretum de rebus in eo agendis. Quod juramentum tunc obliget, quando major pars Diffinitorii declaraverit debere servari secretum in tali, vel tali casu. Qui autem illud fregerit ab eodem Diffinitorio severe puniatur.

4. Diffinitores Generales habitent in Conventibus designatis à suo Superiore Generali, & aptis, ut opportunè scribere, & recipere epistolas possint ad suum munus spectantes. Et in omnibus Conventibus, & Collegiis, ubi fuerint, suffragium habeant, sicut cæteri Conventuales, sedeantque in toto Ordine juxta nostras Constitutiones, quamvis aliquod Diffinitorium, sive Provinciale, sive Generale Familiæ actu celebretur in ea Domo, in qua aliquis Diffinitor Generalis Ordinis inveniatur, eo tempore juxta nostras Constitutiones, Provincialis respectu Diffinitorii Generalis, & Minister etiam respectu Diffinitorii Provincialis amittit locum.

5. Absente Ministro Domus, si ibi non fuerit Præses designatus per Superiorem Generalem, vel Diffinitorium Generale, semper præsideant in actibus, & functionibus Communitatis signumque fariant, ut moris est: numquam tamen se intromittant in regimen Domus, nisi absentibus simul Ministro, Vicario, & Diffinitoribus illius Provinciæ, tunc enim quoad omnia Præsides erunt Domus: Et omnes Religiosi semper, & ubique eamdem illis observantiam, & reverentiam præstent, ac suis Ministris, sub pœna ad arbitrium Diffinitorii Generalis suæ Familiæ illis rigorose applicanda.

6. In qualibet Domo, ubi fuerint Patres Diffinitores Generales cum Superiore suo Generali, ab ipso licentiam, Socium, & benedictionem accipiant ad exeundum è Domo. Si autem Superior Generalis ibi non fuerit, per se, aut per alium dicant Ministro, & cum Socio ab ipso designato exeant. Socius tamen ipse à Ministro benedictionem accipiat.

7. Epistolas quibuscumque Religiosis, & Secularibus scribere, & ab illis missas recipere liceat Diffinitoribus, absque alicujus (etiam Patris Ministri Generalis) impedimento, vel examine. Etiam eis liceat alloqui quascumque Personas, observando tamen quod Regula, & Constitutiones disponunt, quoad loca, & tempora loquendi, & tacendi.

§. IV.

De Capitulo Provinciali.

1. Capitulum Provinciale celebretur, ut moris est, in singulis Provinciis de triennio in triennium Sabbatho, (si fieri possit) ante quartam Dominicam post Pascha; ita ùt in duabus Provinciis, vel in tribus: si creverit numerus Provinciarum cujuscumque Familiæ, celebretur anno præcedenti ad Capitulum Generale, nisi justa de causa Superior Generalis Familiæ aliquod Capitulum anteponat, vel postponat. Quod tantum per tres menses facere poterit, & tunc celebrabitur tempore, & die designato ab ipso Superiore Generali, semper extra Curias Principum in Domo ad arbitrium prædicti Superioris, consulto tamen Diffinitorio Provinciali, destinanda.

2. In quocumque Capitulo Provinciali cujuscumque Familiæ Præses erit Superior Generalis Ordinis, si adfuerit intrà illam; si vero extra illam fuerit, Præses erit in altera Familia Superior Generalis illius. At si Superior Generalis Ordinis fuerit extrà propriam Familiam, Præses erit ille, quem pro tempore suæ absentiæ elegerit in Præsidem totius Familiæ. Si autem ob justas causas, vel quia duo Capitula eodem anno concurrant in Provinciis longe inter se distantibus, Superior Generalis, nisi magno labore ad aliquod Capitulum concurrere nequeat, tunc, & eo casu poterit designare Præsidem pro Capitulo Provinciali, cujus præsidentiam pro se non selegerit. Cæterum semper tenebitur eligere Præsidem ex Provincia, intrá quam celebrabitur Capitulum: Et, nisi instante Diffinitorio Provinciali, concurrentibus omnibus suffragiis, præter unum, non poterit designare Præsidem ex alia ejusdem Familiæ Provincia, assumptum.

3. Ad Capitulum Provinciale Superior Provincialis per suas litteras convocet Gremiales, juxtà instructionem Superioris Generalis, qui per sex menses ante Capitulum tenebitur illi notam facere designationem Domus, temporisque, & diei, ut ea omnia denuntiet in litteris convocatoriis, & vocatoriis eis, qui concurrere debent, & possunt. De his autem convocatoriis, idem intelligatur, quod dictum est circà Capitulum Generale Ordinis, ut earum vi Gremiales reputentur vocati: At verò de illis Superior Provincialis certiorem faciat Præsidem Capituli, illico, ac in Domum Capitularem accedat Præses.

4. In Capitulo Provinciali suffragium habeant post Præsidem Superior Provincialis, duo Diffinitores Generales actuales illius Provinciæ, Diffinitores Provinciales, duo Ministri Socii, Redemptor Captivorum, & Procurator Provinciæ: Cæterum si in aliqua Provincia fuerit aliquis Procurator plurium Provinciarum in alicujus Principis Curia, hic suffragium habere debet in Capitulo suæ Provinciæ, & in eo casu licet sit alius particularis Procurator Provinciæ, hic illud non habeat. Deinde suffragium habere possunt, quin cogantur adesse Capitulo, qui aliquando fuerint Superiores Generales, vel Diffinitores Generales ex ea Provincia assumpti, vel qui fuerint Provinciales illius. Erit tamen hoc discrimen inter Vocales, quod (nisi detenti fuerint infirmitate, vel inevitabili impedimento) concurrere debent sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, in perpetuum: Superior Provincialis: omnes Diffinitores Provinciæ; duo Socii Primi: Redemptor Captivorum: &Procurator. Cæteri autem libere possunt adesse, vel abesse suo Capitulo Provinciali. Ac demum ad Capitulum, & extrà Domum Capitularem sub prædicta pœna privationis accedere tenentur duo Socii in defectum.

5. In Aula Capitulari, & extrà illam, tempore Capituli, sedeant, præcedant, & præsideant Capitulares ordine, quo nominati sunt, ut dictum est de Capitulo Generali intermedio; ita tamen, ut qui fuerint voluntarii Vocales, & aliquando fuerint Superiores Generales, cæteros Voluntarios præcedant, exceptis Diffinitoribus Generalibus actualibus, qui semper erunt immediate post Præsidem. Deinde, qui fuerint aliquando Diffinitores Generales pro illa Provincia, etsi actu non sint, præcedant eos, qui fuerint Provinciales illius.

6. Capitulares solum ingredi poterunt Domum Capitularem feria quinta immediata ante celebrationem Capituli. Antea vero per duos menses antecedentes ingredi non poterunt, nisi Præses, & Diffinitorium Provinciale cum Provinciali, exceptis Socio, si Minister fuerit, & Vocalis ille, qui ante annum habeat in eadem Domo suam illi designatam residentiam continuam. Hortamur tamen Patres Diffinitores Generales actuales, qui non fuerint Filii Provinciæ, ut tempore Capituli Provincialis, extrà Domum Capitularem in alio commorentur Conventu, nisi actuali impediantur infirmitate.

7. Socii verò secundi, si vocati fuerint, accedere possunt, & ingredi eadem feria quinta, sed si non jubeantur accedere, non ingrediantur Domum usque ad feriam tertiam, in qua Studentes etiam ingredi possunt, ut coram Capitulo examinentur, ut dicetur infrà. De cætero autem circà præambula ante electiones observanda sunt, quæ statuta manent circa Capitulum Generale. At verò eligibilitatis scrutinia similiter fiant, hoc nimirum modo, eadem feria quinta Præses Capituli omnibus Gremialibus manifestet Cathalogum à Diffinitorio Provinciali ipsi traditum, omnium Religiosorum, qui intra Provinciam juxtà nostras Constitutiones, inspectis graduatione, & interstitiis, apti sint,

ut

ut ex illis fiat elegibilitatis Scrutinium, & ab Scrutatoribus eodem modo, ac dictum est de Capitulo Generali, regulentur, ac publicentur eligibilitatis Scrutinia, ut juxta ea suo tempore eligantur quos eligere voluerint Vocales.

8. Deinde fiat secundum Scrutinium ad eligendos quatuor Diffinitores Provinciæ (qui in qualibet Provincia solum eligi debent, & inter ipsos nulla sit inæqualitas) quisque Gremialium in schedula sua octo debet seligere ex aptis, & Scrutinium fieri debet ex illis octo, qui plures voces habeant, ut solum nominentur, & declarentur proxime eligibiles in Diffinitores octo ex omnibus aptis, & ex his tempore suo eliganrur quatuor in Diffinitores Provinciæ, similiter, ac dictum est de Diffinitoribus Generalibus.

9. Prætereà tertium fiat Scrutinium ad Ministrorum electiones, & ad illud, ex aptis, unusquisque Vocalium in sua schedula seligat, & scribat talem numerum Religiosorum aptorum, ut in medietate excedat numerum Domorum Provinciæ; & posteà regulatis vocibus modo dicto, declarentur eligibiles in Ministros, qui plures voces habuerint in schedulis, & illi qui necessarii fuerint ad dupplicatum numerum Ministrorum, qui eligendi sunt pro Domibus, quin Vocales teneantur eligere, nisi quos voluerint ex contentis in dupplicato numero.

10. Denique ad Sociorum electionem quartum fiat Scrutinium, sicuti ad eligibilitatem Diffinitorum. Cæterum hoc discrimine, quod quando regulentur voces, quas habuerint in schedulis Electorum, Scrutatores debent in schedula publicanda ita regulare selectos, ut quatuor, quos invenerint habuisse majorem numerum vocum in schedulis declarent eligibiles in duos Socios primos, & alios quatuor in duos Socios secundos.

11. Præses Capituli manifestet Vocalibus graduationem Domorum à ... factam præcisè ad eligendos Ministros ... ro illis, & statim separentur Vocales ... Diffinitorio, quod solum deputare de... t duos Vocales ad legendas epistolas ... ssas ad Capitulum.

12. Sequenti die, Sabbatho nem... , factis omnibus, quæ fieri debent in ... apitulo Generali congregentur in Aula ... apitulari, & facta à Præside exhorta... one lingua omnibus communi, fiat absolutio, Electorum juramentum, electio Secretarii Capituli, Scrutatorum, Secretarii scrutinii, & Prununciatoris, eadem forma, eisdemque factis juramentis, sicut dictum est de Capitulo Generali, & his omnibus finitis, ad electiones procedant Vocales.

13. Ante pranpium fiat semper, & sola fiat electio Ministri Provincialis, qua facta, omnes Vocales præter Præsidem, & Superiorem Provincialem, cujus officium expirat, pergant processionaliter in Ecclesiam, cantantes Hymnum *Te Deum*, & ibi ab eo benedictionem accipiant eo modo, & forma, quibus juxtà nostras Constitutiones fit in electione Ministri Generalis.

14. Vespere autem congregetur Capitulum, & si Provincialis electus præsens fuerit, sedeat immediate ad Præsidis sinistram, non tamen præsideat aliis Vocalibus, quamvis eos præcedat, nec officium exerceat usquequo finiatur Capitulum: Nec si absens sit, illum Capitulum expectet, sed prosequatur; & fiant electiones quatuor Diffinitorum Provincialium, quorum præcedentia post confirmationem, iuxtà ordinem electionis regulanda erit.

15. Sequentibus diebus (qui omnes pro celebratione Capituli ad summum erunt novem) fiant electiones Ministrorum Conventualium, secundum graduationem Domorum anteà dictam, & post omnium Prælatorum electiones, eligantur cononicè duo Socii ex Ministris noviter electis, qui ad Capitulum futurum Provinciale futurum concurrere debeant, ut Socii primi: Prætereà eligantur alii duo, qui fuerint aliquando Ministri, quamvis in eo Capitulo in Ministros non sint electi, ut ad Capitulum futurum accedant vocati tamquam Socii secundi, quorum primus, deficiente aliquo Gremiali; cui concurrere non sit liberum, suffragium habeat pro eo; & secundus suffragium habeat, si deficiat alter; quique ambo in loco proximo extrà Domum Capitularem manere debent tempore Capituli, ut præsto sint concurrere, si vocentur. Nullus autem eligi poterit in Socium primum, aut secundum, si in eo Capitulo Socius fuerit cum exercitio, etiamsi supplendo pro alio, quamvis tunc eligatur in Ministrum.

16. In casu, quo post trinum scrutinium, adhuc non fuerit electio canonica sequuta, tunc omissis scrutiniis, eo ipso habeatur, tamquam legitime electus vi hujus Constitutionis, ille, pro quo fuerit major numerus suffragiorum, quam pro aliis, aut aliis. Si verò pro duobus fuerit æqualis numerus suffragiorum, major quam pro aliis, tunc antiquior in Professione reputabitur, & habebitur tamquam legitime electus.

17. Si per mortem, aut aliam quamvis causam Socius aliquis pro suo munere, non possit accedere ad Capitulum, tunc Diffinitorium Provinciale tempore apto eligat Socium loco illius.

18. Si aliquis Prælatus, vel particularis Religiosus aliquid animadvertendum, vel nota dignum habuerit, id credat Provinciali suo, vel alicui Socio ex primis suæ Provinciæ, ut ipse tradat destinatis à Diffinitorio Provinciali ad legendum epistolas.

19. Factis canonice electionibus, prosequantur sessiones necessariæ ad agendum de observantia, progressu, bonoque communi Provinciæ, & antè omnia, ac præcipue de ejus Instituto, Redemptione nimirum Captivorum. Capitulum Provinciale, quamvis non possit novas Constitutiones statuere, poterit ordinationes facere ad melius regimen suæ Provinciæ, dummodo nihilo sint contrariæ ordinationibus factis à Capitulis Generalibus, vel Generalibus Diffinitoriis.

20. Ordinationibus factis extrà Aulam Capitularem, fiat examen Studentium, qui concurrere debent, ut ex illis eligantur Lectores.

21. Capitulum eligat sex Patres ex gravioribus Provinciæ, quorum consilio, & assensu Pater Provincialis, quando casus occurrerit, ejiciat ab ordine aliquem, Instructo Processu, & bene probatis causis expulsionis, servatisque Decretis Congregationum, & Summorum Pontificum; & præterea eligat ad eumdem effectum alios quatuor, vel sex Patres subrogandos ordine suæ electionis, in defectum alicujus, vel aliquorum ex sex priùs electis.

22. His factis legantur coram Capitulo Decreta Sanctæ Romanæ, Generalis Inquisitionis, & Præses Capituli hortetur Gremiales ad strictam observantiam illorum.

23. Decretis lectis, Præses Capituli imponat præceptum, ut dicitur de Capitulo Generali; & si aliquod impedimentum inventum fuerit, ad Præsidem Capituli, & Diffinitorium cum suo Provinciali spectet judicium: Nullo autem invento, vel si inventum fuerit, judicio facto à Præside, & toto Diffinitorio Provinciali, totum Capitulum albis, nigrisque lapillis eligat Redemptorem Captivorum pro sua Provincia, & Procuratorem Provinciæ pro ea. Si in aliqua Familia fuerit Curia communis plurium Provinciarum Ordinis, & Provinciæ alternatim elegerint Procuratorem omnium illarum, Provincia illa, cui secundum dictam alternativam competit electio hujusmodi Procuratoris, priùs eligat illum in suo Capitulo Provinciali, & postea eligat Procuratorem particularem ejusdem Provinciæ.

24. Posteà totum Capitulum confirmet electionem P. Provincialis, Præsesque, necnon Provincialis, cujus officium expirat, ac Diffinitorium Provinciale confirmet omnes alias electiones.

25. His omnibus expeditis, Socius primus surgat, & coram Capitulo legat Cathalogum Religiosorum, qui in illo Triennio decesserunt in sua Provincia. Deinde si aliqui Religiosi (non Vocales ipsius Capituli, hi enim recurrere debent ad Capitulum, vel Diffinitorium Generale) petierint aliquod sublevamen, propter ipsorum fractam valetudinem, aùt aliam justam, ac rationabilem causam, Capitulum tale sublevamen indulgeat quatuor, vel quinque magis indigentibus. Ac demum surgat Secretarius Capituli, & legat electiones omnes, statuta, cæteraque omnia alia acta, & disposita in ipso Capitulo, quæ cuncta scribenda, & subscribenda sunt; ut dicitur de Capitulo Generali, & statim dissolvatur Capitulum.

26. Posteà immediate Præses Capituli imponat præceptum omnibus Capitularibus, ut intrà vigintiquatuor horas coram ipso manifestent quidquid notarunt circà mores, regimen, & observantiam, durante triennio in Patre Provinciali præterito; necnon circà regimen, & suorum officiorum executionem in Diffinitoribus Provincialibus antecedentibus. (Diffinitorum enim visitatio circà mores in quacumque visitatione Provinciæ facta supponitur, quià à Visitatore visitari debent etiam Diffinitores Provinciæ) visitatione conclusa,

fa, si aliquid dignum pœna, vel repræhensione fuerit inventum, Præses ipse, si Superior sit, reos puniat, vel repræhendat: Si autem non fuerit Superior, visitationem mittat Superiori Generali Familiæ, ut ipse judicet reum, aut reus.

27. Die sequenti, ultimoque Capituli, Missa solemnis de Requiem pro Religiosis nostris Defunctis, & Benefactoribus nostris, concioque, & solemne Responsorium habeatur. Debent autem Provinciales curare, ne Concionator aliquis satyricè prædicet, sub pœna imposita (§. *De Capitulo Generali n.* 31.) qua functione peracta Capitulares fraterna charitate amplexentur, & in suos Conventus proficiscantur.

28. In casu, quo Minister Generalis designet in Præsidem Capituli Provincialis aliquem ex alio quovis titulo vocalem, tunc Minister Domus Capitularis habeat votum in Capitulo Provinciali, & si ipse Minister fuerit Socius actualis suffragium habeat Socios primus in defectum.

§. V.

De Diffinitorio Provinciali.

1. Diffinitorium Provinciale congregetur immediate post Capitulum Provinciale,&postea de semestre in semestre in Domo, quam designabit de una in aliam Congregationem; Congregetur etiam quoties Provinciali visum fuerit; Ordinarie autem quotannis celebrari debet in qualibet Provincia die tertia Maji, prædictum autem Diffinitorium consurgere debet ex Superiore Provinciali, uti Præsidenti, & ex quatuor Diffinitoribus Provincialibus, qui omnes decisivum Suffragium habeant; & in primo Diffinitorio Superior Provincialis, & omnes Diffinitores Provinciæ Juramentum facere debent sicut Diffinitorium Generale.

2. Diffinitorium Provinciale insimul poterit admittere renunciationes, eligere Diffinitores, novosque Ministros, Redemptores, Procuratores suæ Provinciæ, quotiescumque vacaverint eorum officia, quocumque titulo vacent; poterunt etiam eligere Chronistam suæ Provinciæ, necnon ex concessione Diffinitorii Generalis præbere consensum, ut Libri Typis mandentur; & ex commissione Diffinitorii Generalis concedere facultatem audiendi Confessiones Fœminarum, (cum informatione Patris Provincialis) quæ ad Generale pertinet Diffinitorium *cap.* 38. §. 2. *nu.* 2.

3. Poterit etiam facere ordinationes ad melius esse suæ Provinciæ, dummodò ordinationibus Capituli, vel Diffinitorii Generalis non opponantur. Præterea de consensu Superioris Generalis poterit seligere Studentem Theologiæ, ut nominetur, & fiat Collega nostri Collegii Romani.

4. Si Provincialis deficiat, vel illius officium quocumque titulo vacet, Diffinitorium Provinciale, (Præside designando, vel potius designato pro casu à Superiore Generali) & Socii actuales eligant novum Superiorem Provinciæ, qui Vicarius Provincialis nominetur, & illios officium cum omnibus authoritatibus, quas haberet, si esset Provincialis usque ad immediatum Capitulum Provinciale duret.

5. In casu discordiæ Soffragiorum servetur in Diffinitorio, quod stabilitum est pro Capitulo Provinciali *nu.* 16.

§. VI.

De Officio PP. Provincialium.

1. Nullus sit eligibilis in Provincialem, nisi eligibilis esset ratione ætatis à Professione, & graduationis in Diffinitorem Generalem Ordinis, aut Familiæ. Electo tamen in Provincialem omnes humiliter, & prompte obediant tamquam Patri, & Pastori; qui & ideo magna sollicitudine suæ Provinciæ invigilet, & in tota illa eamdem habeat potestatem, quam Ministri in suis Conventibus: in eorum tamen officia non se intromittat, nisi illorum negligentia, & culpa exigente, vel necessitate, & prudentia postulante.

2. Ad Patrem Provincialem spectat concedere licentiam, ut in Religione recipiantur, qui ad Chorum destinantur. Item ut tam isti, quàm Laici (existentes in anno probationis, seu Novitiatus) recipiantur, suo tempore, ad Professionem. Similiter præstare litteras, (vulgò reverendas) ut Religiosi Sacris initientur; Facultatem, ut concionentur Primo licentiam, seu facultatem concedere, ut Religiosi se exponant Examini Ordinarii; & post illius licentiam, ut Confessiones audiant Virorum, & petere à Diffinitorio Generali, vel proponere

nere suo, quod Religiosi Confessiones Fœminarum audiant. Etiam pertinet ad Provincialem in qualiber Visitatione designare Confessarios pro Religiosis.

3. Pro his omnibus hortamur PP. Provinciales,& eorum conscientias oneramus, ut antequam prædictas facultates concedant, certam, & veram notitiam habere curent de virtute illorum, quibus eas concedunt, ac de ipsorum ætate, scientia, & cæteris ad eas requisitis tam à Jure, quam à Bullis Pontificiis, & nostris Constitutionibus. Et insuper dum à Diffinitorio postulaverint licentiam, ut aliquis Religiosus Fœminarum excipiat Confessiones, mittat simul petitionem proprii Ministri ejusdem Religiosi, in qua tam Minister, quam Consiliarii ejusdem Conventus, seu Collegii testificentur de annis ætatis, Habitus, ac Presbyteratus talis Religiosi, & quanto tempore Confessiones Virorum laudabiliter, & prompte audierit.

4. Pertinet etiam ad Provincialem suspendere, & tollere (quando conveniens judicaverit) facultates, & licentias prædicandi, & audiendi Confessiones tam Virorum, quàm Fœminarum. Deinde impertire in sua Provincia Benefactoribus, & aliis Personis Epistolas Confraternitatis, quibus participes fiant Suffragiorum, cæterorumque bonorum operum suæ Provinciæ, & facultatem præstare Conventibus ad perpetuo alienandas Sepulturas Ecclesiarum; non verò Cappellæ majoris, vel minorum.

5. Rursusque singulis annis semel saltem visitare omnes Conventus, & Collegia suæ Provinciæ. Si verò Superior Generalis aliquam illius Provinciæ Domum visitavit, tunc Provincialis non teneatur eam pro illo anno visitare. Quod si contigerit aliquem Fratrem Germanum Provincialis esse Ministrum alicujus Domus suæ Provinciæ, non visitet Domum illam ipse Provincialis, sed tunc casus illam visitabit Superior Generalis, vel de illius commissione alter Religiosus. Deinde si Pater Provincialis infirmitate, vel alia justa causa impeditus, non valeat visitare per se, suumque officium exercere, poterit vices suas alteri Religioso Provinciæ suæ committere, nunquam tamen nominare, seu instituere Vicarium Provincialem, sive pro tota, sive pro parte suæ Provinciæ: Hoc enim ad Diffinitorium Generale attinet.

6. Præterea ad Provincialem spectat suos Religiosos ab uno ad alium Conventum transferre, & præbere eis (exceptis Lectoribus, & Studentibus) licentiam ad itinera facienda, necessitate exigente, & servatis his, quæ dicta manent suprà cap. 10. §. 1.

7. Suspendere quoque ab officio Ministrum, qui gubernare nescit, vel qui sua malitia, aut negligentia, vel defectu capacitatis permittit, ansam præbet, vel causa est, quod omnes, vel plerique Subditorum vivant irreligiosè, laxè, vel sine pace, aliave inconvenientia tam in Oppido, quam in Conventu sequantur. Quacumque ergo ex istis causis potest Provincialis suspendere aliquem Ministrum; (quantumvis alias bonis moribus ornatum) consuletque Diffinitorium Generale, ut si expedierit, prædictus Minister deponatur.

8. Ad Provincialem etiam pertinet nominare, & designare simul cum Ministro Vicarios omnium Conventuum, & Collegiorum suæ Provinciæ; necnon illos suspendere, immò, & consulto Superiore Generali eosdem privare tam in casibus expressis in nostris Constitutionibus, quam si propter alias culpas id mereantur, sine obligatione reddendi causam, & rationem, cur ita fiat, nisi Sacræ Congregationi, aut Superiori Generali, quando requisitus fuerit. Item admittere renunciationes officiorum, quorum designatio ad ipsum attinet, tametsi cum Ministro, nominatio facta fuerit.

9. Ad ipsum etiam spectat culpas punire, usque ad graviorem inclusive: Absolvere à censuris ad limites facultatis ei concessæ per Jus commune, vel Pontificia Privilegia.

10. Habeat Provincialis librum, in quo scribat facultates, quas concedit ad concionandum, ad Virorum Confessiones audiendas, & ad Ordines recipiendos: & in eo nedum notet diem, mensem, annum, & nomen Religiosi, sed etiam ejus Patriam, & Conventualitatem.

11. Non liceat Provinciali, absque expressa licentia Superioris Generalis contributionem imponere in sua Provincia: Possit tamen licentiam concedere alicui Ministro, ut de consensu majoris partis Capituli Conventualis opem ferat alteri Conventui, vel Collegio indigenti. Super quo hortamur om-

omnes Ministros, & Conventus, ut mutuò se adjuvent, ut Religiosa, & Fraterna Charitas ità exerceatur, & conservetur.

12. Provincialis expirans rationem in Capitulo reddat Superiori Generali de omnibus expensis ab ipso factis in illo triennio, & in quibus eas fecit. Quod si non reddiderit, ipse Superior Generalis illam exigat.

13. Si Provincialis obierit, vel alia de causa ejus officium cessaverit, Prædecessor immediatus sit ipso facto Vicarius Provincialis, nisi inhabilis, vel impeditus sit: Nam tunc Vicarius Provincialis erit Diffinitor Generalis, primus, filiusque illius Provinciæ, & in istius defectu, secundus, donec Congregatis Diffinitoribus Provincialibus, publicetur electio Præsidis designati à Superiore Generali ad Provincialis electionem faciendam in Domo ab ipso Superiore Generali illis destinata, & cum Diffinitorio eligant Provincialem.

14. In casu mortis alicujus Provincialis ejus Secretarius, & Minister, ac Consiliarii Conventus, in quo obiit, vel vicinioris (si fortè extrà Claustra mortuus fuerit) intrà Arcam trium clavium ponant, & custodiant Manticas, Codices, & Scripturas, ac alia similia, quæ penes Defunctum, & ad ipsum attinentia inventa fuerint, & claves Manticarum apud Secretarium sint, qui etiam unam ex tribus Clavibus habebit, donec Vicarius Provincialis, vel Provincialis de novo electus accedat, cui omnia (simul cum Sigillis, & Formulario officii) tradentur, nisi Superior Generalis aliter disposuerit. Et præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ præfatis Ministro, Secretario, & Consiliariis, ac omnibus, & singulis aliis Religiosis, quod numquam aperiant, nec aperire permittant dictas Manticas, nec videant, seu legant scripta, quæ apud se Provincialis defunctus habebat.

§. VII.

De Patribus Diffinitoribus Provincialibus.

1. PAtres Diffinitores Provinciales solum debent esse quatuor pro qualibet Provincia, & unusquisque non mediocriter doctus saltem in Morali Theologia. Nec aliquis eligatur in Diffinitorem Provinciæ, quin habeat decem, & septem annos à Professione, & duobus trienniis integris fuerit Minister Conventualis.

2. Diffinitores Provinciales habitent in Conventibus suæ Provinciæ à Provincialibus designatis; nunquam tamen poterunt esse plures, quam duo in eodem Conventu, vel Collegio, nisi per breve tempus: & ubicumque fuerint, sedeant post Ministrum, nisi præsens fuerit Diffinitor Generalis, qui eisdem Diffinitoribus Provincialibus præsidere debet.

3. Si in Conventu non fuerit Minister, fuerit tamen Præses designatus per Superiorem Generalem, vel ejus Diffinitorium, ipse Præses omnes Diffinitores præcedere debet, sicut Minister, neuter tamen præsidere eisdem Diffinitoribus.

4. Prædicti Diffinitores Provinciales nunquam se intromittant in regimine Domus, nisi absentibus Ministro, Præside jam dicto, & Vicario; Tunc enim quamvis ibidem sit aliquis Diffinitores Provinciales, sed Diffinitorem Generalem non præcedent, nec in actibus, quibus ipse adfuerit, illi Præsidentiam habebunt.

5. Ubicumque fuerint Diffinitores Provinciales, immediatè subjiciantur Superiori Provinciæ, seu Provinciali; non verò præcedant Ministro Domus, nec Præsidem jam dictum, nisi tempore actualis Diffinitorii Provincialis.

6. In aliis Domibus, in quibus Provincialis non fuerit, Diffinitores Provinciales licentiam, & benedictionem accipiant à Diffinitore Generali in eisdem existenti ad exeundum à Domo, & à Patre Ministro Socium petant: non tamen ipsi, sed Socii tantum benedictionem accipiant à Ministro, aut Præside, per Superiorem Generalem, aut per Diffinitorium Generale designato.

7. Si Diffinitor Generalis non fuerit Domi, ipsi Diffinitores Provinciales recurrere debent ad Ministrum eo modo, & forma, quibus Diffinitores Generales recurrere debent, juxtà dicta §. 3. num. 6. de Diffinitoribus Generalibus.

8. Liceat Diffinitoribus Provincialibus, sine alicujus etiam Superioris impedimento, aut examine scribere, aut recipere Epistolas ad illos missas: & similiter alloqui quascumque Personas, dum-

dummodo observent Regulam, & Constitutiones quoad loca, & tempora.

9. Ut possint obtinere officia Provinciæ, reputentur Filii ejus omnes in ea Professi; & etiam omnes illi, qui ante ejus erectionem intrà eandem Fundi fuerant aliquo officio, aut fuerant Conventuales in illa, necnon illi, quos Superior Generalis incorporaverit, juxtà nostras Constitutiones. Omnes Religiosi semper habere debent eandem reverentiam Diffinitoribus suæ Provinciæ in Provincia, quàm præstare tenentur Diffinitoribus Generalibus in toto Ordine.

§. VIII.

De Visitatoribus, & Visitatione Conventuum.

1. HOrtamur in Domino Visitatores, ut scopus, ac finis suarum Visitationum semper sit conservare in suo vigore, & perfectione observantiam nostræ Regulæ, semotis interpretationibus, quæ totam observantiam deturbant, & vim Regulæ, potiùs, quàm explicent, infringunt: Nullius enim est interpretari, nisi Supremi Capitis, cujus est condere. Ideo tamen magna sollicitudine debent Visitatores suæ vigilantiæ aciem dirigere, ut amoveant contrarias intelligentias, & abusus, qui contra legem, nec usus, nec consuetudines possunt dici; maxime circa Redemptionem Captivorum, quibus juxtà Spiritum Ordinis, & intelligentiam Religionis, semper fit injustitia, quando, vel ex determinate datis ad Redemptionem, vel ex tertia parte separanda pro illa aliquid subtrahitur, vel detrahitur à nostris. Eosdem similiter hortamur, ut diligenter curent de observantia Constitutionum, Sanctarum Consuetudinum, & Cæremoniarum, pacem statuere, culpas, ac negligentias corrigere, & punire.

2. Pro initio Visitationis jubeat signum fieri ad Capitulum, & omnibus simul junctis, ac genuflexis, incipiat Antiphonam. *Veni Sancte Spiritus*, quam omnes prosequantur; & post eam dicat, ℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur &c.* Et Orationes: *Deus, qui corda Fidelium &c. Defende quæsumus Domine &c. Deus qui per SS. PP. NN. &c.* Posteà omnes sedeant, & Visitator faciat brevem concionem Spiritualem ad intentum pro sua Visitatione.

3. Quo facto imponat præceptum, & censuram, sibi reservatam, ut moris est, ut omnes ante ipsum dicant, & denuntient, quidquid correctione dignum animadverterint tam in Prælato, quam in Subditis, omni affectione, amore, vel odio seclusis: Atque ad in quærendis, & custodiendis Eleemosynis pro Redemptione Captivorum observetur exactè, quæ Leges nostræ disponunt: Et ad hoc, ut ante ipsum quoque manifestent omnia quæcumque penes ipsos fuerint, sive pro suo usu, sive pro alio fine, quovisve titulo; Et insuper sub prædicto præcepto, & censura jubeat ab omnibus custodiri silentium in pertinentibus ad ipsam Visitationem, tam inter se, quam inter alios quoscumque, & tam verbis, quàm scriptis, exceptis duobus Viris doctis, quos designare debet, ut Religiosi de sibi dubiis occurrentibus consulant. Durabit autem dictum præceptum per dies necessarios, sed non pauciores, quàm quinque.

4. Ante examen Religiosorum visitet Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, Altaria, Oleum Sanctum, Ornamenta, cæteraque alia ad Cultum Divinum pertinentia.

5. Posteà vocando sigillatim Religiosos visitet, examinet, ac diligenter ab eis inquirat primo, quomodo observentur Mandata Dei, & Præcepta Sanctæ Ecclesiæ; necnon quatuor Vota, Præcepta Ordinis, ejus Regula, Constitutiones, Decreta sui Capituli Generalis, sui Provincialis, sui utriusque Diffinitorii, & Sanctæ consuetudines Ordinis. Item an fuerit, vel sit aliquod scandalum, vel quid habens speciem peccati tam intrà, quàm extrà Conventum: An sit pax inter Religiosos, an observetur Regularis Disciplina in Officio Divino, Oratione, Silentio, Vita communi, Clausura, cæterisque obligationibus: an abusus introducatur in Vestitu, aliisque rebus: An Prælatus necessaria Religiosis, præsertim Infirmis, suppeditet. Si autem alicui Religioso infirmo, aut non infirmo necessaria desint, antequam Visitationem suam finiat, Ministrum obliget, ut antequam finiatur Visitatio, defectum suppleat, nisi constet ab alio Ministro, eum de Vestitu provideri debere, quia, scilicet per biennium ante Visitationem, Religiosus alteri Conventui inservierat: & an ipse Regulam, cæteraque alia observet.

6. Ut

6. Ut Visitatores hæc adimpleant, necesse est calleant ea, quæ ad correctionem fraternam attinent, & ad Regulam, Constitutiones, & consuetudines. Ideoque opportet eos habere Summarium principalium Statutorum, quæ observari debent, ut juxtà illud facilios interrogent, & examinent Religiosos.

7. Cellas visitent, & videant, quæ ad usum Religiosi habent, & quæ paopertati, observantiæque nostræ conveniens non fuerit, amoveant, & necessaria Subditis ministrari faciant.

8. Officinas etiam visitent, & animadvertant, si in illis sint necessaria pro Religiosis tam valentibus, quam male habentibus, vel aliquid superfluum, & indecens nostro statui. Carcerem quoque visitent, & notent, si in eo sint, quæ debent juxtà disposita suprà cap. 31. §. 4. Bibliothecam quoqne videant, & examinent, an juxtà eam, & ejus libros observentur suprà dicta cap. 38. §. 7.

9. Similiter diligenter visitent Libros Conventus tam illos, in quibus bona stabi lia, & census continentur, quam illos, in quibus notantur recepta, & expensa in quacumque specie pecuniæ, tririci, hordei, vini, olei &c. Necnon libros Redemptionis Captivorum, & receptionis ad Habitum, & Professionem ab ultima Visitatione usque ad illam. Et Prælatos contra Bullas, & Decreta Pontificia, sivè in toto, sive in parte recipientes ad Habitum, vel Professionem aliquos Novitios pœnis impositis in illis, & aliis ad suum arbitrium Provinciales afficiant.

10. Deinde visitent tabulam, seu cathalogum Religiosorum Defunctorum, librum etiam, in quo scribuntur Missæ, & alia Suffragia, obligationesque perpetuæ Conventus, & videant, an illis sit satisfactum. Si autem satisfactum non fuerit, præceptum imponant Ministro, ne Eleemosynæ Missarum ulteriores recipiantur ab eo, usque dum omnes antecedentes adimpleantur à Domo, taliter, ut si in integrum non fuerit satisfactum, satisfieri possit, sequentibus futuris, & paucis diebus. Minister verò tali præcepto contraveniens privatus sit, & inhabilis imposterum ad Jurisdictionis officia. Quod si invenerint aliquem defectum, statim curent plene satisfieri, & severe puniant Soperiorem negligentem.

11. Præterea examinent Confessarios, Concionatores, & in Collegiis Studentes, præter Collegas biennii, juxtà soprà dicta suis locis.

12. Insuper coram Communitate attente videant Habitus, Scapularia, Cappas, & Capitia Religiosorum, & curent, quod exactè observentur mensuræ dispositæ à nostris Constitutionibus, severe puniendo Prælatum in hac parte remissum, & negligentem, & Religiosos excedentes.

13. His peractis iterum in Aolam Capitularem, Religiosos convocari jubeant, & exhortationem spiritualem faciant laudando Virtutes, & Observantiam, ac corrigendo defectus, & culpas, omnium in commoni, & singulorum in particulari. Ac deinde Religiosi, quibus nulla culpa imposita est, defectus suos ipsimet, ut moris est, confiteantur.

14. Si Minister, vel Diffinitor Provincialis aliquam commiserit culpam majori parti Communitatis ignoram, Visitator illum in publico non reprehendat, sed in secreto, coram aliquibus ex observatoribus, & noticiam habentibus. Similiter secretò corripiat secretas cæterorum culpas, & publicè publicas, ac notorias. Et quando gravitas delicti virgam Justitiæ exigat, semper Visitator simul misericordia utatur. Hortamurque illum in Domino, ne Impunitas relinquat culpas, ita ut exinde majoribus excessibus occasio, & ansa præbeatur. Visitator autem quamvis sit ipse Provincialis, visitare non debet Patres Diffinitores Provinciales circà adimpletionem sui officii; Hæc enim Visitatio ad Diffinitoriom Provinciale pertinet post Capitulum; ipsos tamen visitare debet circà cætera, ut sibi Subditos.

15. Correctione culparum finita, præceptum imponat Visitator, ut pro tempore, juxtà prudens ejus judicium, necessario omnes, & singuli de actis in illa Visitatione, & ad eam pertinentibus strictum silentium observent, tam inter se, quam inter alios quoscomque, & tam verbis, quam scriptis; quod intelligitur etiam quoad silentium cum Soperioribus, nisi ab his intertogentur expresse. Deinde omnes in communi leviter flagellis cedat, & postea sequenti absolvat forma, videlicet, omnes prostrari dicant confessionem generalem, postea Visitator: *Misereatur vestri &c.* In-

Indulgentiam absolutionem &c. & confestim. *Authoritate qua fungor in hac parte, in quantum possum absolvo vos ab omni sententia excommunicationis majoris, vel minoris, suspensionis, & interdicti.*

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

16. Si Visitatori expediens visum fuerit aliqua facere statuta (vulgò acta) rebus exigentibus, & maturo consilio perpensis, illa in scriptis faciat, & in Arca trium clavium custodiantur: Durabunt autem tantum usque ad sequentem Visitationem, si in ea denuo approbata non fuerint. Omniaque præcepta, & censuræ cessent, cessante officio Provincialis, qui ea imposuit, & solum maneant tanquam simplicia mandata usque ad sequentem Visitationem. Monemusque Provinciales, ut in primis suis Visitationibus scire curent præcepta, censuras, acta, & mandata suorum Prædecessorum, ut denuo illa approbent, si expedire viderint.

17. Si in aliquo Conventu Visitatores aliquam invenerint culpam excedentem, suam jurisdictionem statim suo Diffinitorio Generali notitiam præbeant, mittentes Processum, (si factum fuerit) vel informantes de delicto. Quod si hoc tale fuerit, quod remedium præsentaneum exigat, apponant necessarium, quamvis delictum (ut dictum manet) jurisdictioni suæ ooo subsit.

18. Decernimus, quod qnilibet Prælatus possit pnnire, & puniat quas elibet culpas ad suam Jurisdictionem pertinentes, procedendo in earum cognitione sine strepitu, & figuræ judicii, sola facti veritate inspecta, juxtà concessionem Motu proprio factam Ordini Nostro à felic. record. Paulo Papa V. die 17. Augusti anno 1611. incipit: *Circumspecta Sedis Apostolicæ*; Et ideò quoties in Ministro, vel Diffinitore ex Visitatione deprehendant reatum privationis, visitationem suam non finiant, & suo Diffinitorio denuntient, ut ab eo Diffinitorio Generali proponatur causa, ut si expediens visum fuerit, ab isto deponatur delinqnens.

19. Visitatores, & alii quicumque Judices in Causis, quas formaverint, non manifestent reis nomina Testium, nec circumstantias aliquas, per quas in illorum cognitionem venire possint.

20. Denique Visitatores post finitas singulis annis Visitationes rationem reddant suo Diffinitorio Generali de statu Conventuum, & Collegiorum.

21. Qui per delegationem Patris Ministri Generalis, vel Diffinitorii Generalis Ordinis totam nnstram Religionem, vel per delegationem Superioris Generalis aliquam Familiam, vel aliquam illius Provinciam, vel Conventum, aut Collegium visitaverint, teneantur, visitando manifestare commissionem, quam portant; itaut Visitator electus pro Familia, eam manifestet in primo Conventu Familiæ à se visitando, Visitatnr Provinciæ in primo Provinciæ, & qui solum fuerit Visitator unius, aut plurium, sed non omnium Provinciarum, aut aliquorum Conventuum intra Provinciam, eam manifestare tenetur in qualibet Provincia, vel in quolibet Conventu suæ Visitationis. Obedientia tamen ei præstabitur statim, ac primo illam in aliquo Conventu patefecerint, & possessionem acceperint.

22. Visitatores prædicti præsideant in omnibus Conventibus, ad quos Jurisdictio sua se extendit, omnibus aliis Religiosis tam Prælatis, quam Subditis, eadem authoritate, potestate, & præeminentia, qua fungitur, qui eos delegavit.

23. Quando vero aliquis pro Conventu Curiæ Romanæ visitando designatus fuerit, tantum præsidebit Religiosis illius à die, qua illis per se ipsum notoriam fecerit suam Commissionem. Quæ solum durabit usque ad finem Visitationis; & hac peracta cessabit officium Subditusque remanebit Ministro dicti Conventus, & eo absente Procuratori Generali, nisi forte Visitator alias Superior sit. Idemque omnino intelligatur respective de Visitatore delegato alterius, vel aliorum Conventuum in particulari.

24. In reliqnis omnibus Visitator delegatus servet formam visitandi supradictam, (nisi aliquid ei in commissione limitetur) & instructionem etiam sibi datam à Delegante sub pœna, juxtà gravitatem culpæ, ei infligenda.

§. IX.

§. IX.

De Officio PP. Ministrorum.

1. Nullus sit eligibilis in Ministrum, quin expleverit decem, & septem annos à professione, & prius fuerit per Triennium Lector Theologiæ, vel Secretarius Superioris Generalis, vel Provincialis, aut Procurator Generalis in Romana, vel Regia Curia, vel prædicatus fuerit sex integras Quadragesimas, ità ut in qualibet hebdomada uniuscujusque tres habuerit conciones, & titulo Prædicationis nec carnes comederit, nec lineis usus fuerit, vel per sexennium fuerit Procurator Provinciæ, vel Redemptionis, vel fuerit Vicarius duorum Conventuum, vel Collegiorum, vel Magister Novitiorum, aut Superioris Generalis Amanuensis.

2. Qui tamen aliquam graduatiónem habuerint, non nisi nimio adhuc delectu, seligendi sunt inter omnes; quippe strictius, quàm Prælatis aliis, Ministro commissa est observantia, & regularis disciplina, quæ si Prælatus immediatus non fuerit eximio zelo præditus, & prudentia summâ dotatus, necessario ruet in Conventibus, immò & in tota Provincia sua; quia per præcisam mutationem Conventualium de uno in alium Conventum, in dies grassabitur, ut pestis, itaut in brevi veniat tota relaxanda Provincia.

3. Ideóque monemus Electores, ut attente oculos habeant, tamquam electionis scopum, dotes personales eorum, quos elegerint in Ministros, & quod non ducantur sola graduationis specie; quia multi sunt lectura, officio Magistri, aut Prædicatoris approbati, & in Ministerio deficiunt, quia non omnes sunt ad omnia nati, & in Ministerio Religioni causant præjudicium, & bonum nomen jam adeptum ex novo suo deperdunt officio. Caveant ergo Electores, ne in Ministros eligant, qui per suam anxietatem animi, vel libertatis, quam habent, defectum, aut aliam causam sint inhabiles ad Spirituales exhortationes suis Communitatibus faciendas; quippe turpius ejiciuntur à suo Ministerio, si in hac obligatione deficiant, quam si, quia illam adimplere non possunt, ad officium non eligantur.

4. Minister noviter electus statim ac sui officii litteras patentes acceperit, possessionem accipiat; Si autem per ipsum steterit, & per tres menses adhuc non acceperit possessionem, Ministerium, vi hujus Constitutionis reputetur vacans, & ad Diffinitorium Provinciale devolvatur alterius subjecti electio nova.

5. Patri Ministro humiliter, & reverenter sui obediant Subditi. Ad ipsum spectat immediatè Conventus, vel Collegii Regimen; & principalis cura, scopusque illius sit Spiritualis Subditorum profectus, præeunte semper ipso, doctrina, & exemplo. Quapropter nec Minister Generalis poterit Ministrum aliquem eximere à vita communi.

6. Ad ipsum etiam pertinet hortari frequenter Subditos ad observantiam Regulæ, Constitutionum, Sanctarum Consuetudinum, & cæremoniarum, applicando Contravenientibus, sine exceptione personarum, pœnas per Constitutiones nostras impositas. Nec permittat Subditos se intromittere in negotia Sæcularium. Ministrum autem in executione hujus Constitutionis remissum, Pater Provincialis ad arbitrium suum puniat.

7. Disponat, & præcipiat Minister in suo Conventu, quidquid illi conveniens visum fuerit ad majorem observantiam, & Subditorum reformationem, & correctionem. Quod, ut melius, ac plenius exequi valeat, decernimus, quod faciat, & substantiet Processum, & informationes culparum, ac delictorum commissorum á Religiosis in suo Conventu, vel alio in loco sui confinii, quamvis delicta excedant suam Jurisdictionem, puniatque usque ad culpam gravem inclusivè; nam graviores, & quibus annexum est scandalum, Provinciali ejus, & Diffinitorio reservantur. Cæterum si contigerit, quod aliqua culpa suam excedens Jurisdictionem brevi indigeat remedio, opportunum adhibeat, illamque puniat, ac statim (sub pœna suspensionis ab officio per mensem unum) moneat Superiorem, ad quem causa spectat. Et cæteras informationes culparum, quas ipse non punierit, mittat Prælato, cui competat sententiam proferre. Nullus autem Minister poterit sui Conventus Visitationem Generalem facere, imponendo Præcepta, & censuras; Hoc enim proprium est Provincialis.

8. Sit etiam Minister in temporalibus valde providus, ut omnibus suis Subditis nihil de necessariis, de victu, & vestitu deficiat. Ad quæ distribuenda non expectet Religiosorum petitiones, quando necessitas patuerit, sed eas pastorali sollicitudine præveniat, & amore Paterno æqualiter omnibus juxtà cujuslibet Indigentiam subveniat, ut sic Religiosi, relicta omnium temporalium cura, Spiritualibus magis intenti sint. Provincialis autem in sua prima Visitatione corrigat severe, reprehendendo Ministrum in hoc deficientem; & si in secunda visitatione, ex depositione majoris partis Communitatis eum non invenerit emendatum, deponentium Testimonia suo Diffinitorio tradat, ut in eo determinetur, an causa sufficiens sit depositionis, & si sufficiens fuerit, Diffinitorio Generali proponatur ab eo.

9. Disponat etiam, & distribuat in suo Conventu officia per se solum, vel simul cum Provinciali, aut Capitulo Conventuali, (juxtà ea, quæ in diversis partibus harum Constitutionum statuuntur) constituendo in illis personas idoneas. Officiales autem omnia sibi à principio tradita, juxtà eorum Inventarium suis Successoribus, vel Consiliariis tradant.

10. Curet Minister, quod in omnibus officinis sui Conventus sint Inventaria, seu libri, in quibus scripta inveniantur omnia, quæ sunt in dictis officinis. Et bis quotannis cum Consiliariis, & Officialibus respective illas, & libros visitet, ut incrementa scribantur, & de necessariis, quæ defecerint, diligenter provideatur.

11. Quando superior Prælatus miserit litteras Patentes pro transferendo aliquo Religioso in alterum Conventum, non eas subscribant Minister, & Consiliarii, donec talis Religiosus in procinctu sit ad iter arripiendum. Eo autem ipso, quod subscribantur, statim cesset ejus Conventualitas, & deinde tamquam hospes habeatur. Nec Minister alterius Domus, ad quam pervenerit, vel per quam transierit futurus Conventualis alterius, aliam validam refrendationem efficere poterit: Computatio enim dierum solum facienda est à prima refrendatione, usque ad diem ingressus in Conventum ad quem.

12. Si Conventus aliquis pecuniam habeat (etiam obligationum, seu Missarum perpetuarum) conferendam in censum, Minister, (adhue suffragante Capitulo Conventuali) id facere non valeat sine Patris Provincialis facultate.

13. Nullus Minister, vel particularis Religiosus, quamvis sit Procurator Conventus, seu Administrator bonorum, seu facultatum ipsius destruat, diruat, demoliatur aliquam Domum, vel Possessionem; nec radicitus evellat Vineas, Oliveta, arbusta; Immò nec Religiosus Agricola, aut Hortulanus arborem (nisi aridam) succidat, sine consensu Communitatis, & licentia in scriptis Prælati Superioris, qui illam concedet majori utilitate inspecta. Nec similiter sine præfato consensu, & licentia valeat aliquis ex dictis vendere, aut alienare ædificiorum dirutorum reliquias, & materias, nec etiam emptas, aut alio titulo receptas pro nova fabrica, aut pro reparatione Conventuum, seu possessionum eorum. Qui autem huic Constitutioni contravenerit, ex ipso facto sit privatus in perpetuum actuali, & simili officio.

14. Nullus item Minister, aut Præses valeat in toto cujuslibet anni spatio vendere; aut alienare Triticum, hordeum, Oleum, Vinum, & similia (sive sint ex propriis prædiis collecta, sive empta, sive pie data) ultra quantitatem, & valorem quadraginta ducatorum, ex unaquaque specie, sine consensu majoris partisCapituliConventualis. Et semper in libro expensarum scribantur quantitas, & qualitas venditorum, seu alienatorum: & etiam notetur in eo dictus consensus Capituli Conventualis, quando intervenerit. Contravenientes autem isti Constitutioni severe puniantur ad arbitrium Patris Provincialis, juxtà qualitatem culpæ.

15. Patres Ministri simul cum Consiliariis (juxtà formularium) faciant rationum summas (vulgò Carta quentas) status suorum Conventuum Collegiorum, incrementi eorum, provisionis, debitorum, aliarumque rerum, idque tempore apto disponant ita, ut dictæ rationum summæ (à Ministro utroque, & Consiliariis subscriptæ) mittantur, & perveniant (simul cum libro, seu rationibus Missarum) ad manus Secretarii Diffinitorii Provincialis quindecim dies ante Capitulum Provinciale, ut prædictum Diffinitorium tempus habeat, ad eas videndas. Illarum autem copia, & transumptum de verbo ad verbum subscriptum etiam à Ministro, & Consiliariis maneat in Conventu in libro

bro deputato ad hunc effectum tantum. Quod si aliquis Minister tempore dicto, & determinato non miserit dictam rationem, puniatur ad arbitrium ipsius Diffinitorii. Ut autem sine querela constet de relictis ab uno, & receptis ab alio, Minister, qui spirat, tradat per Inventarium Ministro novo, aut Præsidi, ut hic etiam tradat novo Ministro omnia, quæ tunc temporis tradenda fuerint, & novus Minister eorum, quæ receperit Inventarium tradentis, & recipientis manu subscriptum suo Diffinitorio mittat statim, ut si aliqua rationum summa facta inveniatur, absque debita fidelitate, subscribentes privati sint voce, & loco per annum.

16. Minister ante finem sui officii provideat Conventui, seu Collegio suo de omnibus rebus necessariis ad sex menses post subscriptum Inventarium, quod subscribendum est ante Capitulum per unicum tantum mensem, & non antea.

17. Minister (non socius) in suo Conventu, vel Collegio maneat tempore Capituli Provincialis, & illum regat, & gubernet, ac in eo præsideat etiam post Capitulum, donec novus Minister accedat, possessionemque accipiat, nisi in Prælatum fuerit electus.

§. X.

De Præsidentibus.

1. PRo casu defectus Ministri Generalis intrà sexennium prior Diffinitor Generalis Ordinis, vel hujus Constitutionis, erit Præses illius, & futuræ Congregationis, usque ad electionem Vicarii Generalis, ut dictum est cap. 40. §. 9. num. 1., at verò casu, quo Superior Generalis (etiamsi fuerit Minister Generalis) exierit à sua Familia, Præses illius erit, quem ipse designaverit pro tempore suæ absentiæ, & exercere poterit tamquam Familiæ Superior solum vices illas, quas commiserit illi, qui eum nominaverit.

2. Præses autem designatus à Superiore Generali pro alicujus Capituli Procincialis præsidentia eam omnem facultatem habebit tempore Capituli ad electiones, & regimen ipsius, quam haberet ipse Superior. Cæterum si Provincialis deficiat, vel illius officium quomodolibet vacet, Præses designatus à Superiore ad electionem Superioris Provinciæ, eandem potestatem habebit, ac si esset Præses Capituli Provincialis. Sed in casu absentiæ Provincialis à sua Provincia, Præses illius erit Provincialis antecedens, & si impeditus fuerit hic, Diffinitorium Provinciale, Præside Provinciali ipso, eligat Præsidem Provinciæ pro tempore absentiæ; Sed numquam eligat actualem Diffinitorem Provinciæ, ne Diffinitorum numerus diminuatur. Electus verò vices Provincialis, quas ipsi commiserit, exercebit.

3. Quando aliquis Prælatus Superior deputaverit Præsidem alicujus Conventus, seu Collegii, duret ejus officium, quamvis cessaverit officium Delegantis, usque ad possessionem Ministri, vel novi Præsidis; & idem intelligatur de Vicario, sive alio Præside deputato pro tempore Capituli Generalis, seu Provincialis in Conventibus, seu Collegiis, quorum Ministri socii sunt. Sed solum quando Superior Generalis, vel Diffinitorium Generale designaverit Præsidem Conventus, Collegii, seu novæ Fundationis, eamdem potestatem, & præeminentias habeat Præses, ac si esset Minister.

4. In absentia Ministri Præses semper erit Vicarius, & in istius defectu Diffinitor Provincialis antiquior, & in absentia omnium Diffinitorum Provincialium, antiquior Diffinitor Generalis, & istis omnibus deficientibus, Redemptor Captivorum, ac in istius absentia Procurator Generalis, & isto deficiente, nisi Minister justa de causa Sacerdotem minus antiquum deputaverit, semper erit Præses Sacerdos antiquior in professione. Nullus autem ex præfatis aliquid innovet. Si autem Minister absens fuerit ab Oppido, ubi est ejus Cœnobium, ultrà vigintiquatuor horas, poterunt prædicti tunc casus imponere præcepta, & recipere Novitios ad Habitum, & ad Professionem adhuc tamen Vicarius in isto casu non præcedat in sede Diffinitores, nec isti ab illo socium petant ad exitum è Domo.

5. Quamvis in aliquo Conventu, vel Collegio sit Vicarius actu exercens suum officium, poterit Pater Provincialis pro absentia Ministri à Domo sua nominare, & eligere Præsidem ubi, & quando expedire viderit.

§. 11. *De*

§. XI.

De Gubernio Paterno, & Spirituali Prælatorum.

1. PRælati sunt Pastores, & Patres suorum Subditorum, ideòque debent spiritualia pascua eis ministrare, ignorantes docendo, remissos fovendo, jacentes erigendo. Hæc exercere tenentur singulari amore, & benevolentia erga omnes, & singulos eorum. Quod ut aptius, faciliusque adimpleant, oportet ipsos agnoscere mores, conscientiam, & vires uniuscujusque; viam & profectum spiritualem, orationem, virtutes, in quibus se exercet, mortificationes, quibus utitur, gratias, quas à Deo accepit, & quid ex his, & Sacræ Communionis frequentia utilitatis, & fructus percipiat. Hoc est enim Pastorem perfectè cognoscere Gregem suum.

2. Expedit igitur, quod hoc paternum regimen omni cura teneatur, ac diligentius observetur à Majoribus Superioribus. Quapropter Superiores Generales, Provinciales, & Diffinitorium etiam Generale, & Provinciale maximo opere invigilare debent pro spirituali profectu sibi subditorum, mittendo quandoque intrà suam Jurisdictionem litteras Pastorales, exhortationes, & instructiones ad majorem observantiam, & extinctionem abusus, si aliquis introducatur, & illius Authores puniendo.

3. Præterea præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali omnibus Religiosis subditis, & Prælatis, ne investigare audeant Zelatores occultos, quos Prælati pro bono regimine habere debent, aut designare; neque præsumant de his Zelatoribus colloquia inter se, neque inter Sæculares, quamvis ipsi Religiosi Zelatores sint, ullo modo, verbo, aut scripto habere, aut instituere, sub pœna inhabilitatis perpetuæ ad Ordinis officia.

4. Provincialibus utpote ordinariis Visitatoribus specialius competit cura suorum Subditorum: Quare in Visitationibus observabunt, quæ dicta sunt supra §. 8. hujus Cap. Nec sibi satisfaciant cum correctione exteriori, sed hominem interiorem dirigere præsertim curent. Pro quo epistolas spirituales etiam mittant, (quando illis expedire visum fuerit) per totam suam Provinciam, & alias exhortatorias ad progressum, & correctionem Subditorum.

5. Ministris Conventualibus immediate hoc regimen incumbit. Ab illis præcipue Subditorum salus, spiritualisque utilitas pendet, de qua in extremo Judicio strictissimam rationem reddent. Idcircò ut suæ obligationi satisfaciant, tenentur spiritualem illorum vitam exemplo suo alere, & doctrina sua perficere, illam omnibus, & singulis pro uniuscujusque statu, & capacitate proponendo, ac de quadrimestri in quadrimestre affabiliter cum unoquoque in parriculari agendo, & communicando omnia, quæ ad directionem animarum suarum spectant. Minister, qui in prima, & secunda Visitatione repertus fuerit ommissus circà hujus Constitutionis observantiam, illico suspendatur à Ministerio.

§. XII.

De his, qui possunt, vel non possint eligi in Prælatos.

1. NUllus Religiosus sit eligibilis ad Prælaturam aliquam; neque reputetur aptus ad illam, nisi habeat ætatem, graduationem, & circumstantias, quæ designantur ad illam Prælaturam. Qui verò propter fractam, ægramque valetudinem alia officia exercere non potuit; si tamen fit persona provectæ ætatis, & virtute, doctrina, consilio, & aliis dotibus prædita, eligi poterit in Diffinitorem. Cæterum tantum erit unus Diffinitor, qui viræ communis austeritatem sequi non valeat.

2. At vero in Ministrum Generalem, Commissarium Generalem, Ministrum Provincialem, & Conventualem eligi non poterit, qui propter fractam valetudinem sit omnino impeditus, ut Choro interesse non valeat, vel carnibus vescitur, lineisque utitur. Attamen si post electionem ita ægrotaverit, (quamvis sit Minister Generalis) ut judicio Medicorum propter paralypsim, aut similem infirmitatem desperata sit ejus salus, non debet deponi, sed eligendus erit Vicarius Generalis pro Regimine Religionis, ad inhabilitatis tempus solum, ut in Cap. final. de Clerico ægroto; Et in Cap. ex parte disponitur in simili. Idem suo modo dicendum est de aliis Superioribus.

3. Cæ-

3. Cæterum decernimus, quod nullus eligatur ad duas Prælaturas simul: Nec Prælatus aliquis fit simul Procurator Generalis, exceptis Ministris Conventus, & Collegii Curiæ Romanæ. Nec similiter sit aliquis simul Prælatus, & Redemptor Captivorum.

4. Pater Minister Generalis in Capitulo, in quo spirat non possit reeligi in Ministrum Generalem, neque in aliam Prælaturam, Commissarii videlicet, Diffinitoris Generalis, vel Provincialis, neque Ministri Provincialis, nec Conventualis usque ad Diffinitorium celebrandum post annum cum dimidio. Deinde Commissarius Generalis eligi non poterit in Ministrum Generalem, nisi casu, quo ad suam commissionem electus fuerit per solum annum ante Capitulum: Nec reeligi poterit in Commissarium, nisi per triennium integrum non fuerit functus officio suo, in quo spirat.

5. Præterea nullus Prælatus Superior, neque inferior eligi poterit in Capitulo, in quo spirat, ad idem officium, neque ad aliam Prælaturam, usque ad prædictum Diffinitorium, nisi in Superiorem Generalem, Ministrum scilicet, aut Commissarium, si per sex annos integros, & continuos functus fuerit officio Diffinitoris Generalis; vel uno triennio Diffinitoris Generalis, vel Provincialis, & alio Ministri Provincialis. Nec aliquis Minister eligi poterit in Ministrum ejusdem Domus, nisi dispensante Diffinitorio Generali, ut dictum est Cap. 39. §. 12. num. 2. Reelectio Ministri Conventus nostri Romani S. Caroli, sive Collegii nostri de Propaganda Fide, vi hujus Constitutionis fieri potest, numquam tamen in favorem ejus, qui reeligitur, sed utilitate Domus inspecta.

6. Similiter, qui per sex annos continuos, & integros fuerit Minister Conventualis, vel uno triennio Minister, & alio triennio etiam integro Prælatus Superior Ordinis, vel Provinciæ tantum poterit eligi in Ministrum alicujus Domus, ex duabus Matricibus suæ Provinciæ, vel pro prima vice tantum in Provincialem, vel Diffinitorem ejusdem. Per Officia autem continua, & integra intelligimus illa, quæ non vacarunt per tres menses continuos, sive in principio triennii, sive in medio, sive in fine.

7. Insuper duo Fratres germani non possunt sibi immediate succedere in eodem officio Ministri, vel Commissarii Generalis, Diffinitoris Generalis, Provincialisve, neque Ministri Provincialis, vel Socii, juxta Breve Sanctissimi Domini Nostri Clementis X. expeditum die 15. Decembris anno 1660. incipit: *Exponi Nobis*. Nec possint etiam dicti duo Fratres germani, simul, seu in eodem tempore, & triennio habere officia, quibus annexum sit Votum in Capitulo.

REGULÆ CAP. XLI.

Postquam vero Diffinitores Generales &c.

CAPUT XLI.

De Visitatione, & depositione Prælatorum.

§. I.

De forma visitandi Patrem Generalem, & Diffinitores.

1. Minister Generalis finito Capitulo Generali, in quo ejus officium expirat, visitetur per novum Ministrum Generalem, & novum Diffinitorium: Ad quod novus Minister Generalis imponat præceptum omnibus Capitularibus, ut intra viginti quatuor horas coram ipso manifestent, si quid animadverterunt, seu notarunt in Patre Ministro Generali circa mores, regimen, observantiamque nostræ Regulæ, & Constitutionum, atque sui officii executionem, & si aliquæ culpæ apparuerint, prædictus Minister Generalis noviter electus cum toto Diffinitorio Generali Ordinis poterit ei applicare pœnitentiam proportionatam. Si vero ex depositionibus factis à Capitularibus, videatur expedire, majorem facere culparum inquisitionem, præcipimus, quod intra tres menses post celebrationem Capituli, omni secreto, & diligentia, fiat dicta inquisitio, ut instructo processu, delinquenti applicetur sententia.

2. Diffinitores Generales Ordinis, qui expirarunt, visitentur etiam finito ipso Capitulo Generali per novum Diffinitorium. Inquisitio autem solum fiat circa executionem suorum officiorum; Circa mores enim Visitatio, & inquisitio reservetur Patri Ministro Generali,

qui

qui ante prædictum Capitulum tenetur facere illam, & simul cum Diffinitorio judicare, quando in aliquo ex Diffinitoribus culpa aliqua ponderis apparuerit.

3. Si quis Religiosus habuerit aliquid contra Superiorem Generalem, vel Diffinitores, id manifestet illorum Visitatoribus respective, certiores illos faciendo vel per litteras, vel per Provincialem, vel per Socium, vel alio convenienti modo.

4. Commissarius Generalis alterius Familiæ, & Diffinitores Generales ejusdem, visitari debent in Capitulo Generali Ordinis, in quo expirant, per Ministrum Generalem novum, & Diffinitorium Generale Ordinis tunc electum. Cæterum omnes visitari debent, non solum quoad executionem suorum officiorum, sed etiam quoad mores, & observantiam Regulæ, & Constitutionum, & de culpis, quæ apparuerint corrigi, ac puniri debent à prædictis Visitatoribus. In Capitulo autem intermedio Commissarii, & Diffinitorum Generalium, qui expirarunt in eo, à novo Commissario, novoque Diffinitorio fiat: & si apparuerint culpæ, proportionata applicetur punitio.

5. Pater Provincialis, qui expirat in Capitulo Provinciali visitari debet ab ejus Præside, circa mores, legum observantiam, & sui officii executionem, eo modo, & forma, quibus dictum est Cap. 40. §. 4. de Capitulo Provinciali, num. 26. ubi de Diffinitoribus Provincialibus dicitur etiam.

§. II.

De Causis, propter quas Prælati deponi debent.

1. Diffinitores Generales Ordinis seorsim corrigant, & emendent excessus Patris Generalis; qui coràm ipsis humiliter se prosternens veniam petat; & stans de suis excessibus se accuset. Quod si Prævaricator Ordinis fuerit, aut Contemptor, aut adeo negligens, & remissus, ut Ordinis dissolutionem, & destructionem inducat, moneatur à Diffinitoribus, ut officio Generalatus cedat, alioquin eum deponendi liberam habeant facultatem. Quod utique accipiendum juxta dicta Cap. 39. §. 11. num 18.

2. Commissarius Generalis, & Diffinitores Generales Ordinis, vel Familiæ, atque Ministri Provinciales, & Ministri Conventuales à suis Superioribus juxtà Regulam, amoveantur à suis officiis, casu quo commiserint peccatum aliquod contra tria Vota essentialia, & quartum non ambiendi, vel manifeste de ipsis fuerint vehementer suspecti. Item si aliis negociis dediti non adimpleant suum munus, & ter moniti negocia non relinquant. Vel si inutiles, aut ita negligentes fuerint ad gubernandum, ut sequatur grave detrimentum Regulari Observantiæ. Vel si minis, pollicitationibus, fraudibus, aut alio simili modo procurent alteri officium intra, vel extra Religionem. Aut si accipiant pecuniam, vel rem pretiosam, ad hoc ut faciant, vel expediant aliquid, quod ratione officii expedire tenentur.

3. Cæterum tam contra Patrem Ministrum Generalem, quam contra alios Prælatos, & Officiales, & ad certum tempus canonice electos, Diffinitores ad sententiam depositionis, minime procedant, nisi prius ex actis legitime constet respective de causis superius expressis, vel aliis, quæ ex canonicis Sanctionibus, & nostris Constitutionibus ad depositionem requiruntur.

§. III.

De Sigillis in Ordine nostro utendis.

1. PAtres Superiores Generales habebunt tria Sigilla: Primum magnum ad signanda negocia gravia, & Capituli Generalis: Secundum mediocre ad ordinaria, & tertium parvum pro litteris, hac sola differentia, quod in primo sculpta sit imago Sanctissimæ Trinitatis, & Pater Minister Generalis habeat in circuitu verba ista: Signum primitivum Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, & Captivorum. Pater verò Commissarius in circuitu solum habebit hæc: Signum Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, & Captivorum: in duobus aliis pro utroque Superiore incisum sit Scutum Ordinis, & in circuitu verba hæc: Pater Minister Generalis: vel Pater Commissarius Generalis.

2. Deinde Diffinitoria habeant sua Sigilla, in quibus incisum sit Scutum Ordinis com inscriptione ista per circuitum: Diffinitorium Generale Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, & Captivorum, vel pro alio Diffinitorio Generali si Familiam nominare non possit, in circuitu sint hæc verba: Diffinitorium Generale unius Familiæ Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, & Captivorum.

Et

Et cum Sigillo sui Diffinitorii signabunt negocia, quæ Superior Generalis expedierit nomine illius, addendo etiam in illorum corpore: de consensu nostri Diffinitorii Generalis: Per hæc enim verba, & Sigillum distinguenda sunt negocia Diffinitorii, ab expeditis à Superiore Generali solo.

3. Singuli Patres Diffinitores singula habeant Sigilla parva pro Epistolis suis, & in illis sit Scutum Ordinis, & inscriptio hæc per circuitum: Diffinitor Generalis Ordinis, quin addatur primus, secundus, nec tertius: At verò Diffinitores Generales Familiæ in inscriptione non habeant eadem verba, sed solum habeant hæc: Diffinitor Generalis unius Familiæ, vel nominando Familiam, si locus fuerit.

4. Quilibet Provincialis tria etiam habeat Sigilla. Unum magnum pro suo Capitulo, in quo incisum sit Ordinis Scutum, & per circuitum ista verba: Exempli gratia: Provincia Spiritus Sancti: In aliis duobus, quorum unum mediocre, ad ordinaria negocia sui officii, & alterum parvum pro Epistolis suis, erunt in circuitu sequentia verba: Provincialis Provinciæ N.

5. Præterea Diffinitorium Provinciæ alterum Sigillum habere debet, quod sculptum habeat Scutum Ordinis, & in circuitu hæc verba: Diffinitorium Provinciale Provinciæ N. Cum hoc enim Sigillo Pater Provincialis signare debet, quæ expedierit nomine Diffinitorii sui, & etiam addere in corpore: De consensu nostri Diffinitorii Provincialis. Nec non Provinciæ Diffinitores habeant sua Sigilla parva cum hac inscriptione: Diffinitor Provinciæ N.

6. Quilibet etiam Minister Conventualis habeat Sigillum parvum pro Epistolis, & negociis occurrentibus: & in illo Scutum sit Ordinis, & per circuitum titulus sui Conventus, vel Collegii verbi gratia Minister Conventus Matritensis.

7. Visitatores delegati habeant etiam Sigilla cum Scuto Ordinis, & ista inscriptione: Visitator Generalis, vel Visitator Provincialis. Sigilla autem ista sint apud Patrem Generalem, & Provinciales respective, ut ea suo tempore tradant Visitatoribus ab eis delegatis, qui & finita sua Commissione reddent illa Deleganti bus.

8. Insuper Patres Redemptores Captivorum, & Procuratores Generales & Provinciæ pro negociis, & Epistolis Sigilla habeant parva, & cum Scuto Ordinis insculpto, & inscriptione per gyrum: Redemptor Captivorum, vel Procurator Generalis Ordinis, vel Familiæ N. & similiter Procurator Provinciæ N.

9. Præcipimus, quod nullatenus excedatur à disposito in hoc §. nec ullus alius extra prædictos (cujuscumque status, & conditionis sit) Sigillo utatur sub pœna gravis culpæ.

§. IV.

De Patribus Secretariis Prælatorum Superiorum.

1. PAter Minister Generalis in suos Secretarios tantum eligere poterit duos Sacerdotes, qui suis consiliis, prudentia, & viribus, illum valeant in sui muneris onere portando adjuvare. Illos in scriptis designet præbendo eis litteras patentes sui officii, &Secretarii statim ac eas recipiant, juramentum emittant in manibus ipsius Patris Ministri Generalis, de servando secretum, & fidelitatem, juxta formam præscriptam pro Secretario Capituli Generalis sup. cap. 39. §. 5. num. 12. Horum autem unus erit Secretarius Generalis Ordinis, quem assumet ex sua Familia, aliusque Secretarius Generalis alterius Familiæ ex altera assumendus: Et non alios eligere poterit, nisi qui antea fuerint Diffinitores, Generales, vel Ministri Provinciales, aut saltem apti à lege, ut Tales fierent. Casu autem, quo Minister Generalis deficiat, Vicarius Generalis electus Secretarios removere non poterit, nisi consentiente Diffinitorio Generali Ordinis per omnium consilia, præter unum. Nec prædicti Secretarii Generales poterunt eligi ex Diffinitoribus Generalibus actualibus, aliisve habentibus suffragium in Capitulo Generali futuro.

2. Commissarius Generalis eligere debet ex sua Familia Secretarium Generalem, simili, & non majori gradoatione præditum, qui aliunde suffragium non habeat in Capitulo Generali futuro, nec in intermedio suæ Familiæ, si fuerit; illique sui officii litteras patentes præbere debet; Et Secretarius statim ac eas recipiat in manibus sui Superioris juramentum faciat, ut supra; & à Vice-Commissario, si casus occurrerit defectus Commissarii, Secretarius removere non poterit, nisi consentiente Superiore Generali Ordinis. Si autem post triennium fuerit Capitulum intermedium Familiæ,

miliæ, novus Commissarius pro libito, poterit eligere novum Secretarium, vel antiquum assumere sibi.

3. Præterea Superior Generalis Ordinis, & similiter Superior Generalis Familiæ, Sacerdotem Amanuensem per litteras patentes sui Officii, ex eadem Familia eligere poterit, & ad suum arbitrium removere: Eos tamen eligere oportet eleganti charactere donatos, mediocriterque communi arithmetica instructos, habiles aliunde, atque expeditos taliter, ut spes aliqua suboriatur de eo, quod temporis decursu, & officiorum graduatione transacta, aptiores fiant, ut eli. antur in Secretarios. Prædicti enim Amanuenses post acceptas sui exercitii nominationis litteras, juramentum facere debent fidelitatis, & secreti in manibus Superioris eligentis eos, vel de illius commissione in manibus Secretarii. Si verò vel quod ad minimum fregerint juramentum, removeantur ab exercitio, & ipso remotionis facto ob hanc causam intelliguntur inhabiles in perpetuum ad officia Ordinis.

4. Patres Provinciales suum etiam unicum Secretarium Sacerdotem Provinciæ suæ eligere debent, ut suo similiter consilio, & prudentia sui oneris pondus portare possint, & adjuventur, ut ne ducti zelo observantiæ, rigidiores, vel pietatis specie ducti, mitiores, quam par est, ipsi fiant. Provincialis autem Secretarius eligendus est, qui antea fuerit Minister, aptusve ut in Ministrum electus fuerit, vel saltem qui per triennium fuerit Lector Theologiæ Moralis practicæ, vel Superioris Generalis Amanuensis, vel per biennium Philosophiæ Lector, aut Magister Novitiorum, vel Recens Professorum, vel Prædicator Conventualis; Et statim ac litteras patentes acceperit à suo Provinciali, in manibus ipsius prædictum præstet juramentum.

5. Idem omnino faciat Visitator Delegatus in electione Secretarii, & iste in emissione juramenti. Excepto casu, quo Delegans in Commissione designavit Visitatori Secretarium, vel isti litteras Patentes dedit: Tamen etiam in isto casu, Secretarius juramentum faciet in manibus Delegati, si in Delegantis prius non emiserit illud.

6. Prædicti omnes Secretarii, & Amanuenses immediate subjiciantur (etiam tempore visitationis Provincialis) tantum suo Superiori in Domo, in qua adsit, & licet absens sit, in omnibus Domibus jurisdictionis sui Superioris, dum eorum officium duraverit, Conventuales sint cum voce, & loco. Si autem vel per breve tempus fuerint in aliquo Conventu, seu Collegio, sine suo Superiore, quoad omnia subsint immediate Provinciali Provinciæ, & in illius absentia, isti, ac Secretarii Provinciales Ministro Domus, & ad exeundum à Domo à suis tantum Prælatis, quorum Secretarii, aut Amanuenses sunt, licentiam, Socium, ac benedictionem accipiant.

§. V.

De Patribus Vicariis Conventuum, & eorum officio.

1. Nullus eligatur in Vicarium, quin habeat ad minus quatuordecim annos à Professione, & sit Confessarius Virorum, ac Mulierum, personaque prudens, & capax ascendendi ad Ministerium post graduationem, dignusque, ut sit secundus à Ministro in suo Conventu, vel Collegio, & ut in absentia Ministri sit Præses cæterorum, etiam senium, & nimis graduatorum, quin Religiosorum humilitas ex præcedentia, & præsidentia minimum sit exercenda. Debet enim eligi in Vicarium solus ille, qui per sexennium Philosophiæ, & Theologiæ studuerit, & ulterius per triennium saltem fuerit Magister studentium, vel Amanuensis Superioris Generalis, vel Procurator Redemptionis, vel Prædicator alicujus Conventus, vel Collegii, vel concionatus fuerit duas Quadragesimas integras, vel in aliquo alio officio fuerit expertus. Diffinitorium tamen Provinciale poterit dispensare in ætate, non autem in aliis requisitis illius.

2. Vicarius autem Ministrum juvare debet in onere sui officii, pacemque promovere inter Subditos, & Prælatum, ideoque in suis litteris patentibus dicitur, quod convertat cor Patris ad Filios, & corda Filiorum ad Patrem. Munus Vicarii nun duret ultra mensem unum, postquam accessit ad suum Conventum, post professionemque accepit Minister denuò, sive in Capitulo Provinciali, sive in suo Diffinitorio electus: quamvis si solum per biennium officium exercuit, poterit reeligi in eodem Conventu, vel Collegio, non verò si ultra biennium, nisi dispensante suo Diffinitorio.

3. Præcipuum Vicarii munus est diligenter curare omnia, quæ attinent ad Officium Divinum, & quod exactè ob-

ser-

ferventur Sacri Ritus, & Ordinis Cœremoniæ, ac cuncta, quæ disponit nostrum Manuale. Quare omnia, quæ circa Chorum, Altare, Processiones, & alia ad Officium, & Cultum Divinum pertinentia, Vicarius ordinaverit, executioni mandentur, nisi aliud Minister disponat: Est enim Vicarius Magister Cœremoniarum, quas si nesciverit, alios edocere non potest. Unde Visitatores, qui in aliquo Conventu, vel Collegio earum abusum, vel inobservantiam notaverint, aut audierint, Vicarium corrigant severè, ipsumque moneant: & si in secunda visitatione cuncta in integrum non fuerint restituta ad debitum cultum, ipsum deponant.

4. Curet etiam Vicarius, quod quilibet Religiosus adimpleat Ministerium in quod ab obedientia est destinatus. Et ubi Magister Noviciorum, vel Professorum non fuerit, officia tabulæ singulis hebdomadibus distribuat Vicarius.

5. Singulis Dominicis diebus juxta præscriptum Regulæ, Familiam, sive Famulos Domus pro capacitate sua Vicarius hortetur divertere à malo, bonumque facere; eosque simpliciter moneat, quod credere, aut agere debeant pro salute Animarum suarum, & vita æterna adipiscenda.

§. VI.

De Procuratoribus Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus, ac de eorum officio.

1. PRocuratores Generales genio, & litteris debent esse habiles, ut negotiis sine detrimento causarum; proindeque Religionis incumbere possint, eaque in bonum Ordinis exequantur; neque ideo sint audaces, immodesti, & apud Sæculares, Tribunaliave nimium reperiantur molesti: debent esse prudentes, & magis justitiam Religiosis vocibus indicare, quam pervicacia ducti, ipsam vociferando acquirere velle: Sint ergo memores Sanctæ Regulæ nostræ, ut omnis gestus, vita, actio, & omnia alia honesta in eis reperiantur.

2. Procuratores Generales pro Romana Curia eligendi sunt in Capitulo Generali Ordinis ad sexennium juxta dicta cap. 39. §. 5. num. 22. de forma celebrandi Capitulum, & qui aliquando fuerint Diffinitores saltem Provinciæ, vel apti, ut eligerentur ad tale munus Diffinitoris. Eorum autem unus erit Procurator Generalis Ordinis assumptus ex Familia, ex qua Minister Generalis expirat. Secundus Procurator Generalis Familiæ eligendus ex Familia Ministri Generalis electi juxta ibidem dicta.

3. Possunt autem eligi non à Capitulo, sed à suo Diffinitorio Generali, & solum ad triennium alii Procuratores Generales ejusdem graduationis pro aliqua Curia, in qua tractanda sint omnia Provinciarum illius ditionis negotia Ordinis, & hi denominari debent Procuratores Generales, sub nomine illius ditionis, in qua fuerit Curia, ut modo dicitur Procurator Generalis Hispaniæ; Cui, vel quibus suum Diffinitorium Generale dare debet mandatum Procuræ. Sed Procuratores, qui non omnium, sed plurium Provinciarum Ordinis intra aliquam Ditionem eligi debent, juxta dicta cap. 40. §. 4. num. 23. non à Diffinitorio, sed à Capitulo Provinciali eligendi sunt, nec nominandi Procuratores Generales, quatenus à suo Diffinitorio Provinciali habere debent mandatum Procuræ.

4. Quicumque enim ex his Procuratoribus confestim, ac electi fuerint, faciant juramentum fidelitatis in manibus Superioris Generalis, vel alterius de ejus commissione. Concurrentibus autem præcedat, & præsideat aliis Procurator Generalis Ordinis, & post ipsum Procurator Generalis Familiæ in Roma, Hispaniæ in Hispania, & alterius Ditionis in ea. Eorum Officium vacet, quando noviter electi possessionem acceperint: Diffinitorium autem Generale Ordinis eos poterit à suis officiis abdicare, sine obligatione reddendi causam, cur id faciat, nisi Sacræ Congregationi, quando requiratur. Procurator autem Generalis, qui ex Hispania non fuerit Electus, nunquam in Conventu nostro S. Caroli ad quatuor Fontes Urbis commorari, aut residere possit.

5. In Provinciis vero à suo Capitulo eligi debent ad triennium Procuratores Provinciarum ad quæcumque negotia suæ Provinciæ, Conventuum, & Collegiorum ejus. Hi etiam Procuratores eligendi sunt illius prudentiæ, modestiæ, ac genii dotibus ornati, quibus ornari debent Procuratores Generales, & eligendi non sunt, nisi qui duodecim annos post professionem compleverint, & studiis per sexennium vacaverint; sintque Mulierum Confessarii, & apti sint ad minus, ut eligantur in Vicarios. His Diffinitorium Provinciale dabit suum mandatum Procuræ, & ab illis juramen-

tum de fidelitate fieri debet in manibus sui Provincialis, vel alterius de ejus commissione.

4. Prædicti Procuratores poterunt è Domo exire semper, ac negotia id exigant, Socio assignato à Prælato, & ab isto benedictione accepta. In quocumque Conventu suæ respective Familiæ, vel Provinciæ, ubi fuerint, & Pater Procurator Generalis Ordinis, in omnibus Conventibus Ordinis Conventuales sint cum voce, & loco. Et in actibus, & functionibus Communitatis præsideant omnibus, quos præcedunt, juxta supra dicta, etiam Vicario, à quo in absentia Ministri Socium postulabunt, sed ab eo benedictionem non accipient, nisi forte Vicarius sit simul Præses propter absentiam Ministri ab Oppido ultra viginti quatuor horas. Et numquam se intromittant in regimen Conventus, nisi quando illis competat præsidentia per absentiam Ministri, Vicarii, Diffinitorum, & Redemptoris Captivorum.

7. Litteras eorum, quas scribunt, & quas recipiunt, nullus Prælatus aperire, videre, seu impedire audeat, excepto suo Superiore Generali, cui respective dicti Procuratores notitiam omnium negotiorum Ordinis præstabunt: & præsertim Procurator Generalis Hispaniæ id faciat singulis semestribus per librum, in quo cunctorum rationem scriptam habeat, & in absentia Superioris Generalis, notitiam illam, & rationem præbeat Diffinitori Generali antiquiori existenti in Curia Regia: Et ante suem suorum officiorum, rationem accepti, & expensis in executione eorum suo Superiori Generali fideliter reddant.

8. Hortamur Patres Procuratores Generales, Provinciales, seu etiam Conventuales, ut semper, ac commode omni cura, & zelo per se, & si id non fieri possit per Sæculares Procuratores, negotia expediri faciant, ut sic frequentes illorum egressus è Conventu evitentur.

9. Pater Procurator Generalis Ordinis Curiæ Romanæ non valeat sine licentia Capituli Generalis Ordinis impetrare à Sede Apostolica Litteras pertinentes ad regimen universale Ordinis, nec favorem, vel auxilium aliis ad id præstare. Quod si aliquo modo, & via ei constiterit aliquem Religiosum id quomodocumque intendere, teneatur sub præstito fidelitatis juramento patefacere Diffinitorio Generali Ordinis. Et in omnibus negotiis Religionis servet semper instructionem, vel dispositionem Diffinitorii Generalis Ordinis, & nihil absque ejus licentia operetur.

10. Quilibet Religiosus (nisi fuerit Diffinitor Generalis Ordinis, Romam petens, vel in Italia existens subdatur Superiori Generali, & in illius absentia quoad vitam intrà Claustra, Ministro Domus à Procuratore Generali suo designandæ pro illius residentia: Semperque Procuratori Generali suæ Familiæ, quamvis sit Ordinis, licentiam manifestet, & causam viæ suæ declaret; illique tamquam Superiori, cui in omnibus obedire tenebitur, humiliter pareat, quoad negotium, & causam suæ viæ. Quod si aliquis absque debita licentia illuc profectus fuerit, vel Romæ existere conetur contra præceptum Superioris Generalis Familiæ suæ, idem Procurator Generalis remittat illum in suam Familiam ad suum Superiorem Generalem, vel Provincialem Provinciæ illius, nisi attentis circumstantiis videatur propter culpas eum in carcere conjicere, vel alio remedio uti.

11. Pater Procurator Generalis Hispaniæ sit vel devigilans in expeditione negotiorum sibi à Prælatis commissorum, quæ quidem tenetur agere, & expedire. At vero sine consensu Patris Provincialis Provinciæ, cujus negotium fuerit, numquam Sæcularium negotia, vel propria personalia, vel alicujus particularis Religiosi gerat. Super Difficultatibus autem, quæ in executione sui officii occurrerint, consultat suum Superiorem Generalem.

12. In omnibus Conventibus, & Collegiis indispensabiliter eligatur Procurator ad lites, & negotia Communitatis, & ubi fuerint facultates, seu bona, sive culturæ in Agro Administrator similiter eligi debet. Hi enim Conventuales Procuratores eligantur à Conventibus, & Collegiis, consulto, & approbante Patre Provinciali, qui solum approbare debet, immo & potest, Religiosos modestos, prudentes, & habiles ad tractanda negotia, reprobando si qui proponantur illi audaces, garrulos, & eos, qui solum præbendo vultum negotia exponere volunt.

13. Officium Procuratoris Conventualis expirat, transacto mense integro post acceptam à Ministro denuo electo possessionem illius Conventus, vel Collegii, quod mandatum procurationis dedit. Si vero Patri Provinciali, & Communitati visum fuerit, poterit reeligi cum licentia sui Diffinitorii Generalis.

Quod

Quod quidem antequam illam concedat, notitiam curet habere de moribus dicti Procuratoris, & de fedulitate in executione fui officii. Totum autem in hac Constitutione expressum quoad Procuratores conventuales, prorsus, & in omnibus intelligi volumus de Administratoribus quarumcumque facultatum, seu bonorum cujuslibet Conventus, vel Collegii. Hi autem non præcise Sacerdotes, sed Fratres Laici poterunt destinari. Provincialis verò eos tantummodo approbet, qui juxta dicta cap. 24. num. 2. post suæ Professionis officia eligi possunt.

14. Procuratores conventuales in Civitatibus, seu Oppidis, ubi sunt Cancellariæ, Regiæque Consilia, seu Audientiæ, teneantur suscipere, gerere, & expedire lites, & negotia Ordinis ad dicta Fora Regia concurrentia. Et Patres Ministri hujusmodi Conventus, non occupent suos Procuratores ita ut prædicta Ordinis negotia agere non valeant.

15. Procuratores omnes conventuales, & Administratores bonorum, seu facultatum cujuslibet Conventus, seu Collegii, singulis quadrimestribus rationem reddant suis Ministris, & Consiliariis de executione suorum officiorum, & de acceptis, & expensis pro eorum expeditione; In quem effectum sit liber in Arca trium clavium, in quo dictæ Rationes scribantur, & debita pro, & contra Conventum, cum annotatione diei, mensis, & anni, Personarum, à quibus, & finis, in quem contracta sunt. Et librum istum quando, & sicut cæteros Monasterii, visitet Provincialis, & Procuratorem, vel Administratorem non reddentem dictam rationem amoveat ab officio; Reddentem vero, sed non fideliter, arbitratu suo puniat.

16. Sciant enim Ministri, & Consiliarii, ipsos non esse Procuratores Conventuum, nec bonorum Administratores; Quippè Communitates, quorum sunt bona, Procuratoribus, seu Administratoribus, per suum authenticum mandatum à se destinatis, integram administrationem commiserunt. Ministris vero, & Consiliatiis solum competit rationes Receptorum, & Expensorum sumere, fructusque, & redditus, qui post bonorum culturam, & conservationem, atque debitorum solutionem liberi pro Conventu, seu Collegio reperiantur, in Arca trium clavium, & Communicatis Officinis reponere ad usum, & expensas Communitatis.

17. Ideoque præcipimus in virtute S. Obedientiæ, & sub præcepto formali Patribus Ministris, & Consiliatiis, necnon Procuratoribus, & Administratoribus quibuscumque, quod neque primi supradicti audeant aliquid exigere, aut accipere à Procuratoribus, & Administratoribus præter ea, quæ solutis solvendis, factisque expensis, libera reperiantur pro Conventu; nec hi videlicet Procuratores, & Administratores aliud ipsis petentibus reddant, & quod si cogantur à suo Ministro, illico Provincialem certiorem faciant de violentia, sub pœna privationis officii similis in perpetuum, omnibus contravenientibus huic præcepto.

18. Nullus sive Minister, sive Procurator, sive Administrator bonorum possit, nec ad breve tempus dare in arendationem bona fructifera, quæ Conventus habeat in Agro, si expensis communitatis elaborata fuernit aliquando, nisi consentientibus omnibus suffragiis, non solum habitantium, sed etiam pertinentium ad Domum illam, & de licentia Patris Provincialis, qui inspecta utilitate, eam concedet, dummodo non dentur ad vitam alicujus, nec ad majus tempus, quam ad triennium Ministri actualis.

REGULÆ CAP. XLII.

Si quis hujus Ordinis Frater esse voluerit &c.

CAPUT XLII.

De Novitiatibus, Receptione, Educatione, & Approbatione Novitiorum.

§. I.

De Conventibus, in quibus educandi sunt Novitii.

1. Superior Generalis cum consensu Provincialis in qualibet Provincia designet domos necessarias pro educatione Novitiorum: Et semper sint segregatæ à frequentia, & concursu Sæcularium: & semel designatæ non relinquantur sine gravi causa. Ministri autem dictarum Domorum prudentes sint, & observantes; & qui jam fuerint, (si fieri possit) Magistri Novitiorum, & Professorum.

2. Similiter Superior Generalis eligat Magistrum Novitiorum cum consilio Provincialis, pro cujus Provincia eligitur

tur, & sit Persona Spiritualis, prudens, docta, & potens viribus ad rigorem vitæ communis sustinendum, atque etiam qui fuerit aliquando Magister recens Professorum, Studentium Philosophiæ, aut Con-Magister Novitiorum, vel Vicarius alicujus Collegii Theologiæ Studentium, aut Domus Novitiorum. Poterit etiam Superior Generalis eligere Con-Magistros, consulto Magistro, ut eligat Religiosum ipsi benevolum, ac genio, & moribus non absimilem, ne forte si alium eligat, potius discordiam, scissurasque inter Discipulos introducat, quam Magistro juvamen tribuat.

3. Superiores curent, quod Religiosi Conventuales Novitiatuum sint valde observantes, & exemplares.

4. Omnes Novitii debent suscipere Habitum, ipsoque vestiri in Domo Novitiatus, nisi raro, & expressa licentia Superioris Generalis, cum aliquo fiat dispensatio, ut habitum recipiat in domo alia, in qua fuerit approbatus, & statim ac Sanctum nostræ Religionis Habitum susceperit, deducatur ad Novitiatum, sub pœna gravis culpæ infligenda Superiori, qui illum detinuerit, nec Provincialis in hoc poterit dispensare. Ut autem in domo Novitiatus Habitu nostro induatur, statim ac ad quis perveniat, sufficit, quod recipiendus ad Chorum Ministro, & Magistro Novitiorum consignet Litteras Patentes Provincialis, vel Recipiendus ad statum Laici, Litteras Superioris Generalis præcipientis illis, cum Habitu vestiri. Prælati vero numquam similes litteras concedere, aut elargiri poterunt, quin prius illis constet authentice de approbatione informationum, & Communitatis circa mores, cæterorumque, quæ fuerint necessarii.

§. II.

De Personis non admittendis ad nostrum Sanctum Habitum.

1 NOn admittatur ad nostrum Habitum, qui infirmitatem habeat contagiosam, vel qui sit, vel fuerit mancipium, nec qui Sæculari veste indutus nostrum Habitum petierit, si fuerit professus, sive valide, sive invalide alia quacumque Congregatione etiam nostri Ordinis v. g. in Patribus nostris Calceatis: aut etiam in Discalceatis, vel Reformatis ejusdem Ordinis, non subjectis nostræ Jurisdictioni. Nec etiam admittatur Neophytus, nec qui descenderit per lineam rectam in quolibet gradu à Judæis, Hæreticis, Mauris, vel Mauriscis, nec ullus, cujus Prædecessores per lineam etiam rectam, ac in quolibet etiam gradu ob Hæresis, vel Judaismi, vel Sectæ Mahomettanæ crimina puniti fuerint ab Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus. Quod si aliquis ex dictis in hac Constitutione celans aliquod ex prænarratis impedimentis professionem fecerit apud nos, statim ac detegatur tale impedimentum, ejiciatur: quià Religio non præstat suum consensum ad talem professionem. Quapropter omnes in publico coram Communitate moneantur ante receptionem Habitus, & etiam ante professionem. Quod si habeant aliquod ex impedimentis in hoc numero enarratis, professio (etiam si fiat) invalida, & nulla est, quamvis pluribus annis in Religione sint. Admonemus tamen ad ejectionem Professi procedi non posse, nisi intra quinquennium à die Professionis, & deductis causis coram Superiore suo, & Ordinario ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini; quod ex Sententia Sacræ Congregationis, vendicat sibi locum, non modo quando Subditus vult deducere Causas nullitatis suæ Professionis, sed etiam quando Superior vult illum ejicere, tamquam nulliter professum.

2. Non admittantur præterea Religiosi Professi aliorum Ordinum, Religionum, Congregationum, vel Societatum, absque licentia Capituli Generalis, concurrentibus duabus partibus ex tribus suffragiorum Vocalium: Et eam non concedat, quin prius perpendat privilegia dictorum Ordinum, & causam transitus, & concurrant alia requisita Sacrorum Canonum.

3. Insuper nec recipiatur ad Chorum, qui non habeat ætatis quindecim annos; nec ad statum Laici, qui non habuerit viginti, vel qui excesserit trigesimum quintum annum; nec aliquis Eunuchus; nec Uxoratus, si Uxor maneat in sæculo; nec irretitus aliqua irregularitate, quæ difficiliter dispensari possit; nec habens notabilem deformitatem; nec Religiosus Professus apud Patres nostros Calceatos, vel apud aliam nostri Ordinis Congregationem extrà Jurisdictionem nostram, nec aliquis ex comprehensis in Interrogatorio pro informationibus Novitiorum infra posito §. sequenti. Nullus ex prædictis in hoc numero tertio recipiatur absque licentia Diffinitorii Generalis illius Familiæ, & in casibus, in quibus illam concedere possit, juxta jus commune, & nostras Constitutiones; Et numquam illam concedat, ut

ut iterum recipiatur, qui fuit antea Novitius nostræ Religionis, vel alterius, sine prævio examine Causæ sui egressus de ipsius Diffinitorii commissione faciendo. Volumus tamen, quod si aliquis ex dictis, & prohibitis in his duobus numeris (nempe secundo, & tertio hujus §.) Habitum receperit, & professionem fecerit sine licentia, & facultate requisita, & expressa in prædictis duobus numeris, talis professio sit firma, & valida, dum non sit ex comprehensis in num. primo. Si autem sine debitis circumstantiis aliquis receptus fuerit, ad arbitrium ipsius Diffinitorii puniantur Minister, qui à Prælato licentiam petiit, & Religiosus, qui fecit informationes: Illorum enim quamvis excusari velit ignorantia, inexcusabilis est diligentiæ defectus.

4. Denique præcipimus, quod nulla fœmina admittatur ad nostrum Habitum, ut fiat nostri Ordinis mantellata, seu Tertiaria (vulgo Beata) absque licentia Superioris Generalis. Nec permittatur sine eadem licentia, quod emittat Votum in manibus alicujus Prælati ex nostris, vel alterius Religiosi, sub pœna privationis officii Prælato, & vocis, ac loci per triennium Subdito contravenienti.

§. III.

De forma faciendi Informationes pro admittendis ad nostrum Habitum.

1. Antequàm ad nostrum Sanctum Habitum quisquam admittatur, de mandato Ministri, extrajudicialiter, & omni possibili sigillo fiat ab aliquo Religioso clandestinum examen de officio, & qualitatibus Parentum, & Ascendentium Prætendentis, ut sic sine illius, nec suorum jactura modeste denegetur assensus prætensioni. Si autem post tale examen nihil notandum repertum fuerit, tunc de consensu Prælati, cui competat licentiam dare, Minister poterit Prætendentem suæ Communitati proponere, Communitasque ipsum approbare, vel reprobare circa mores: Postea vero, quando approbatus fuerit, Minister à suo Provinciali commissionem petat, & Religiosus designatus, qui semper Sacerdos erit, faciat ex commissione Ipsius Provincialis informacionem juridicam, & plenariam de genere, moribus, & vita, juxta Bullas Summorum Pontificum, recipiendo juramentum à Testibus. Provincialis autem nunquam designet Consanguineum, Conterraneum, Amicumve Prætendentis, aut Parentum ejus, neque eum, qui in eorumdem locum frequenter assistentiam habeat, aut habuerit.

2. Religiosus, cui commissa fuerit informatio, postquàm eam ipsi tradiderit Minister, moneat Prætendentem, ut provideat circa iter, & expensas ad informationem faciendam: idque fieri debet Religioso, & pauperrimo tali modo, ut Sæculares nihil possint, murmurando reprehendere, & si aliter ab aliquo fiat, à suo Provinciali incarceretur per tres menses, & ante omnia de ipsius mandato Sæcularibus restituatur superfluum.

3. Informationem vero faciat per sequens interrogatorium; & quando illi visum fuerit, Testibus proponere potest Religionem juramenti, ne credant se posse à perjurio, falsum deponendo, excusare, eo prætextu, quod causa sit Religionis, & Pia. Si autem post hanc declarationem testari velint, eos interroget: Primo: Si est Propinquus, si est habilis, secundum Jus ad testificandum. Si movetur amicitia, vel odio, vel zelo justitiæ, vel si comprehensus invenitur sub aliqua ex generalibus interrogationibus, vel quare moveatur ad deponendum, & quot ætatis annos habeat.

4. Secundo. Si cognoscit illum, qui prætendit nostrum Habitum, & ejus Parentes, Avos, & Ascendenres, & à quando tempore illos cognoscit.

5. Tertio. Si scit dictum Prætendentem descendere à Judæis, Hæreticis, Mauris, vel Mauriscis, vel à pœnitentiatis per Tribunal Sanctæ Inquisitionis ob crimen Hæresis, vel Judaismi, vel Sectæ Mahomettanæ. Vel si audivit aliquem ex Parentibus, seu Ascendentibus ejus habere aliquem ex prædictis defectibus.

6. Quarto. Si scit Prætendentem esse Neophitum, sive noviter conversum ad Fidem, vel aliquid erga hoc audivit.

7. Quinto. Si scit, quod dictus Prætendens, Parentes ejus, vel Avi sint notati aliqua infamia.

8. Sextò. Si scit, quod sit Filius legitimus, ex legitimo Matrimonio, & ut talis judicatus, & reputatus.

9. Septimo. Si scit, quod sit liber, idest, quod non sit, nec fuerit Servus, nec Mancipium.

10. Octavo. Si scit quod dictus Prætendens non sit ligatus vinculo Matrimonii, vel fide Sponsalium, ita ut de sua Persona disponere non possit.

11. Nono. Si scit, quud habeat aliquam infirmitatem contagiosam.

12. Decimo. Si scit, quod habeat aliqua debita, quæ solvere non possit; vel si teneatur reddere rationem, ex qua ipsi, vel Ordini nostro aliqua lis, seu molestia subsequi valeat.

13. Undecimo. Si scit, qood Prætendens fuerit Novitius, vel Professus in nostra Religione, vel in alio quocumque Ordine, Congregatione, seu Societate, etiam in nostris Patribus Calceatis, vel Discalceatis, seu Reformatis nostri Ordinis, non subjectis nostræ Jurisdictioni.

14. Duodecimo. Si scit, quod Prætendens, & petit, & vult Habitum sponte, & proprio affectu, ac voluntate allectus, non vi, metu, fraude, aut alio humano respectu.

15. Decimo tertio. Si scir, quod Patentes Prætendentis sint Pauperes, ita ut ad sustentationem suam indigeant adjutorio illius, vel Religionis, si recipiatur ad eam.

16. Decimo qnarto. Si scit verum esse omne, quod deponit, itaut si aliquid esset in contrarium, sciret, vel audivisset.

17. Si in aliqua Regione, vel Provincia opus fuerit strictioribus aliquibus interrogationibus, Superiores illas apponant in interrogatorio, & Informantes adimpleant.

18. Insuper stricte præcipimus, quod quilibet Informans (sub pœna gravis culpæ per tres dies) proferat Fidem Baptismatis Prætendentis, & illam inserat informationi, ut de Baptismo, & ætate constet, inscribanturque in Libro, in quo ejus Receptio, & Professio scribenda est. Prælatus autem, qui non fecerit, Testimonium Baptismi scribi in dicto Libro, & qui aliquem ad Professionem admiserit, sine dicta Baptismi Fide severe puniatur.

19. Facta Informatione, & clausa ipse Informans curet illam quamprimum tradere Patri Ministro Conventus, vel Collegii, in quo Prætendens Habitu nostro induendus est. Et dictus Minister, ac Consiliarii, & Magister Novitiorum, vel Professorum, vel (si ibi Magister non est) Vicarius, omnes utique simul videant informationem, & approbent, vel reprobent, & rationem fideliter reddant Capitulo Conventuali de contentis in ea. Et oneramus conscientiam Examinatorum dictæ Informationis, & Religiosorum Capitularium super secreto.

20. Si informatio juridica fieri commode non possit, antequam Prætendens recipiat Habitum, saltem Superior Conventus, vel Collegii, vel ejus nomine alius Religiosus ab eo deputatus, coràm Examinatoribus destinatis pro Informationibus videndis, clare, & distincte legat Interrogatorium prætendenti, & per ipsum singillatim interroget, accepto ab eo juramento de veritate dicenda, & an comprehendatur in aliquo ex ibi contentis. Et postea quam primum possibile sit fiat Informatio juridica, & plenaria, quam approbent, vel reprobent Minister, Consiliarii, & Novitiorum Magister.

§. IV.

De modo recipiendi Novitios.

1. Quicumque recipiendus est ad Habitum nostrum, examinetur prius de sua vocatione à Prælato, vel ab aliquo Religioso experto, ab ipso designato, non solum oretenus, sed aliqualis fiat experientia: Et anidmadvertat, si est bonæ indolis, & virium sufficientium ad portandas Religionis austeritates.

2. Ad Chorum non recipiatur, nisi qui latinitatem sufficientem calleat ad alias scientias adipiscendas. Quod ut constet Pater Minister, (si voluerit) & quatuor Religiosi deputati à Patre Provinciali (vel aliquo ex istis deficiente, alius loco ejus designatus à Ministro) examinent Prætendentem, & per majorem partem suffragiorum secretorum declaretur ejus sufficientia, vel insufficientia. Liceat tamen Superiori Generali justa de causa aliquid in defectu Grammaticæ supplere, maxime quando prætendens ingenii acumine pollet.

3. Post hæc proponatur suo Capitulo Conventuali, cui competat probatio; & fideliter illi significentur dotes Prætendentis. Postea aperiantur informationes, & cum fuerint approbatæ, de omnibus certior fiat Provincialis, ut suas Litteras concedat Prætendenti, ut de facto Habitum recipiat in domo Novitiatus. Solum autem recipiatur, qui majorem partem suffragiorum Capituli Conventualis habuerit.

4. Nullus ad Chorum recipiatur, immo nec per approbationem disponatur, absque licentia in scriptis Patris Provincialis. Provincialis vero eam concedere pote-

poterit, quando locus vacaverit, juxta numerum præscribendum in Capitulo Provinciali, pro imminenti futuro triennio, quem numerum, nisi de licentia Superioris Generalis, & expressa pro qualibet vice Provincialis excedere non possit, sub pœna privationis talis facultatis ad triennii finem: alias Provincia ultra Conventuum vires, Religiosos, quos sustentare non posset, pro arbitrio Provincialis, haberet in præjudicium Regularis Observantiæ, quæ Paupertati Religiosæ, non verò necessitati innititur.

5. Nec Fratres Laici sine licentia Superioris Generalis, quam concedet, consulto prius Patre Provinciali illius Provinciæ, ubi est Domus, in qua recipiendi sunt. Et isti gaudeant integra valetudine, & viribus ad laborem corporalem, in quo ratione sui status versari, & exerceri debent, ideoque ante receptionem capiatur experientia per aliquot dies de perseverantia in vocatione, & de salute, ac viribus. Nec recipiantur, qui legere nesciant, quippe dissonum videtur, & est, quod Religiosi nil spirituale legere possint: Nec admittendi sunt, qui saltem mediocriter non scribant; Hi enim incapaces erunt Officiorum suæ Professionis, quæ indigent scriptura. Præterea, nisi prævia dispensatione Superioris Generalis petita à Diffinitorio Provinciæ, non recipiatur aliquis, qui exercere non possit aliquod officium manuale ex mechanicis ad usum Religiosorum, vel utilitatem Conventuum deservientibus, aut qui saltem non sit Agricola. Nec plures Laici admittantur, nisi quot prudenter judicaverint Superiores, necessarios esse pro servitio Religionis.

6. Laici perpetuo conservent nomen, statum, & ministerium Laicorum, nec ullo tempore ad Clericorum statum admittantur. Et Superiores contrafacientes privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ pœnam incurrant, prout statuit in motu proprio Ordini nostro concesso fel. rec. Paul. PP. V. die 17. Augusti anni 1611. incipit - *Circumspecta Sedis Apostolicæ* - Nec illis umquam concedatur corona, nec litterarum studia, sub pœna privationis officii, & vocis activæ, & passivæ per sexennium Superiori contravenienti.

7. Ad Habitum Donati, seu Oblati, nullus recipiatur sine approbatione Capituli Conventualis, & obtenta licentia Patris Provincialis; Et qui recipiendi sunt, habeant ætatis saltem viginti annos, & amplius, & non excedant trigesimum secundum: Polleantque integra salute, & viribus ad laborem corporalem, in quo sunt exercendi. Semel autem recepti, non expellantur sine consensu Patris Ministri, & Consiliariorum. Nec Donati recipiantur ad Habitum Laicorum, nisi post triennium experientiæ, & illi tantùm, qui alias recipi possent, juxta dicta num. 5. De eorum educatione curet Pater Vicarius Conventus, vel Collegii, & numquam permittantur è domo exire ante expletum quadrimestre post eorum receptionem ad Habitum. Prædicti non utantur lineis, nec calceamentis. Concurrant ad orationem mentalem, ad Matutinum cantatum, ad Flagellationem, & Communionem Communitatis, & ad exhortationem spiritualem, quæ Dominicis diebus fieri solet, ubi eorum defectus ante Religiosorum culpas à Zelatore, vel Præside advertantur, ac corrigantur, & statim à Capitulo exeant: Officia Tabulæ illis (sicut & Laicis) singulis Hebdomadis distribuantur, & cum obierint funeralia, & officia fiant pro eis, sicut & pro Novitiis.

§. V.

De Educatione Novitiorum.

1. PAtres Ministri Domorum Novitiatus, nihil pertinens ad Novitios, vel ipsorum directionem jubeant, vel disponant, inconsulto Magistro illorum. Poterunt tamen, quando voluerint, eos affabiliter communicare circa directionem interiorem, & profectum suum, dummodo id fiat uno, vel duobus diebus destinatis pro omnibus.

2. Religiosi Conventuales Novitiatuum non loquantur cum Novitiis sub pœna gravis culpæ, nec audeant illos reprehendere. Si vero aliquem defectum in Novitio aliquo viderint, dicant Prælato, vel Magistro, vel in Capitulo culparum animadvertant.

3. Novitiis numquam injungantur officia, nec imponantur occupationes, quæ occasionem illis præbeant tractandi cum Sæcularibus. Nec permittantur, quod visitentur adhuc à Parentibus, & Cognatis, nisi in casu raro, consentiente, & præsente Magistro.

§. VI.

De Approbationibus Novitiorum.

1. IN anno approbationis Novitii ; ter proponantur Capitulo Conventuali, ut judicet, an attentis eorum vita, & moribus digni sint, ut ad Professionem admittantur. Ad quam nullus Frater Laicus approbetur, nec recipiatur, qui aliqua ex officiis propriis sui status, & Ministerii ad Communitatis servitium rectè non didicerit. Nec ad tertiam approbationem Choristarum Communitas umquam procedat, quin prius Novitius fuerit approbatus à Ministro, Vicario, Consiliariis, & Magistro de sufficientia quoad Rubricas Missalis, & Breviarii, & Cœremoniale, & Manuale nostrum. Patres Minister, & Magister Novitiorum ante primam approbationem possunt dimittere quemlibet Novitium, si eum judicent Religioni noxium, vel ineptum.

2. Post quartum mensem à receptione Habitus proponantur prima vice Novitii dicto Capitulo: Secunda, post octavum: Tertia post decimum mensem. Ut Novitius censeatur approbatus, debet habere majorem partem suffragiorum secretorum Capituli Conventualis; quod si ea non habuerit, statim Habitu spolietur, & modeste dimittatur. At jam approbatus à Capitulo, Habitu non spolietur, nisi de consensu ipsius Capituli Conventualis, vel saltem consentientibus, & convenientibus Ministro, & Magistro, & Superiore Generali, vel Provinciali. Quod si ad neutrum ex his duobus facilis sit recursus, suppleat illius defectum consensus duorum Religiosorum, jam antea ad hunc effectum deputatorum à Provinciali.

3. Oneramus Conscientias Conventualium cujuscumque Novitiatus, ut in approbationibus Novitiorum (utpote cùm sit magni ponderis res) singulari prudentia, & Religionis zelo se gerant, seclusa omni affectione, & humano respectu.

4. Bona actualiter Novitiorum, etiam ipsis consentientibus, immo & petentibus, non distribuantur adhuc inter Pauperes, nec alio modo consumantur. Et Prælatus, qui aliter fieri permiserit, pœna culpæ gravis per tres dies puniatur.

REGULÆ CAP. XLIII.

Ad Professionem vero aliquis non recipiatur &c.

CAPUT XLIII.

De Professione Novitiorum, & de Repetitione illius per Professos, & eorum Domibus, ac Bonis.

§. I.

De Professione Novitiorum, ac de repetitione illius per Professos.

1. PEracto integro probationis anno, Novitius cum licentia Patris Provincialis admittatur ad Professionem, quam faciat juxta Regulam, & Constitutionibus Nostræ Sacræ Religionis in manibus Prælati, vel ad minus in præsentia ejus tenore sequenti.

Forma Professionis.

EGo Frater N. de N. facio meam Professionem, & promitto Obedientiam, Castitatem, & Paupertatem Sanctissimæ Trinitati, B. Virgini Mariæ, & Sanctis PP. Nostris Joanni, & Felici, nec non & nostro R. P. Fr N. de N. Ministro Generali, aliisque meis Superioribus Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, eorumque Successoribus secundum Regulam primitivam dicti Ordinis à fel. record. Domino PP. Innocentio III. stabilitam, & à piæ memoriæ Domino Papa Urbano VIII. ad perfectiorem formam redactam, & secundum Constitutiones ejusdem Ordinis sine mitigatione usque ad mortem.

Continuo destinati ad Chorum emittant quartum Votum non ambiendi, juxta Breve fel. rec. Pauli PP. V. expeditum die 10. Februarii anni 1610. incip. *Quæ pie, ac sancte.* Illudque faciant sequenti forma.

Propterea promitto, me directè, vel indirecte, per me, aut per alios intra nostram Congregationem, Prælationem aliquam, aut Officium per Constitutiones prætendi prohibitum, mihi numquam prætensurum, & pariter extra nostram Congregationem neque directe, neque indirectè per me, aut per alios ullam Prælationem prætensurum, vel oblatam acceptaturum, nisi præcepto ejus, qui mihi præcipere poterit, adstringar.

2. Fra-

2. Fratres Laici, quando faciunt Professionem (quam vulgari lingua facere debent) post emissionem trium essentialium Votorum, continuo emittant quartum non transeundi ad statum Clericalem, nec Sacros Ordines suscipiendi, juxtà præceptum fel. rec. Alexandri Papæ VII. per suas Litteras in forma Brevis expeditas die 13. Januarii anno 1663. Incipit. *Pastoralis Officii*: Fiatque sequenti modo, & lingua etiam vulgari:

Præterea promitto, me numqnam transiturum ad statum Clericalem, aut recepturum primam Tonsuram, neque directè, vel indirectè per me, aut per alium dictum transitum, sive receptionem prætensurum.

3. Professio facta scribatur in libro Professionum, notando quod fuit facta prævisa, & approbata informatione judicidica de genere, moribus, & vita, juxta tenorem Bullarum Summorum Pontificum, & nostrarum Constitutionum, & subscribatur à Religioso, qui Professionem fecit, à Prælato Domus, à Magistro Novitiorum, & ab aliis duobus Religiosis, qui præsentes Professioni fuerunt, & ab illo etiam, in cujus manibus illam fecit Profitens, si forte distinctus fuit a Prælato. Et confestim informatio igne comburatur.

4. Insuper omnes, & singuli nostræ Religionis Professi tàm ad Chorum destinati, quam Laici, tam Prælati, quam Subditi, semel in singulis annis in die Vespertino Festi omnium Sanctorum Ordinis post horam quintam repetant, & denuo confirment suam Professionem, unoquoque iterum sigillatim faciente, & renovante quatuor vota, quæ primo in sua Professione emisit, juxta formam præscriptam in hoc paragrapho. Omnesque illam repetant coram Communitate in manibus Prælati, seu Præsidis Communitatis ipsius, & ante omnes ipse Præses coram ipsa Communitate. Initio vero formæ supraposita mutent verbum *-facio-* in verbum *-repeto-*, & verbum *-promitto-* in verbum *repromitto* - Et Superior Generalis Ordinis loco verborum ad ipsum attinentium in eadem forma, dicat: Nec non Sanctissimo Domino Nostro Papæ N. Ejusque, & B. Petri Apostoli legitimis Successoribus. - Superior Generalis Familiæ, & Diffinitores Generales Ordinis, omittere debent illa verba: *Aliisque meis Superioribus*; quæ omnes alii Prælati, & Subditi dicere tenentur. Quod si aliquis, propter infirmitatem assistere non valuit Functioni isti, repetat Professionem quamprimum possit in manibus Prælati in Cella sua, præsentibus duobus Religiosis; Qui verò ob aliquam legitimam causam absens fuerit, quamprimum eam repetat in Choro etiam coràm Communitate.

§. II.

De recenter Professis, & eorum Domibus.

1. IN qualibet Provincia ex designatione Superioris Generalis sit una, vel duæ Domus, ubi recenter Professi cum suo Magistro in habitatione separata, & clausa vivant, & perseverent saltem post triennium, post Professionem, vel quousquè in Collegium mittantur, aut ad ætatem Sacris Ordinibus sufficientem pervenerint. Dum tamen in his Domibus fuerint, in spiritualibus exercitiis, quibus instructi fuerunt in anno probationis exerceantur. Interim vero etiam studiis humanarum litterarum (non solum Grammaticæ, operam dare possint, & debeant, juxta instructionem, & præscriptum decretorum Sanctissimi Domini Nostri Clementis VIII.

2. Cum Magistro Professorum quoad ejus assignationem, & reliqua omnia observetur totum, quod in diversis partibus harum Constitutionum dictum, expressumque manet de Magistro Novitiorum: Et quod Ministri nihil disponant erga Professos, inconsulto dicto Magistro.

3. Dicti recenter Professi destinati ad Chorum, dum fuerint in Domo Professorum, non exeant ad Oppidum, nec aliorsum, nisi cum Communitate, Prælato aliquo, vel Magistro: nec propriam Patriam adeant (nisi ibi Conventus sit, & pro Conventualibus ejusdem designentur) donec Sacerdotes sint. Postquam autem a dicta habitatione separata, & clausa recenter Professorum exierint, quousque Sacerdotio initientur, disciplinæ Vicarii subjaceant, præterquam in Collegiis Artium, ubi sunt Magistri.

4. Si quis jam Sacerdos nostrum Habitum accipiat sub instructione Magistri, sit etiam integrum annum post Professionem, & non amplius, nec à Domò egrediatur, nisi post expletum dictum annum, nec in propriam Patriam pergat, donec quatuor annos post Professionem expleverit, nisi ibi sit Conventus noster, & pro Conventuali in eum adeat.

5. Fratres Laici similiter sub disciplina Magistri recenter Professorum sint primo anno post Professionem, & insuper duobus aliis annis sub ipsius Magistri, vel ubi ipse non sit, sub Vicarii Instructione; Nec primo dicto anno è Conventu exeant, nisi in Communitate, neque in Patriam pergant, nisi post quatuor annos transactos à Professione, vel nisi in ea sit Conventus Ordinis, & pro Conventualibus mittantur.

§. III.

De Bonis, & Hæreditatibus Profitentium & Professorum.

1. DEcernimus, quod bona illorum, qui in nostra Religione profitentur, dividantur, & medietas detur Conventui, in quo Professionem fecit, & altera medietas sit Collegio, in quo recepit Habitum, vel à quo directus, & missus fuit, ut Habitum reciperet. Quod si non fuit in aliquo Collegio receptus, neque ab eo directus, sive missus, talis bonorum medietas, quando totum dividendum non excedat summam octoginta scutorum Romanorum argenti, juxta præsentem eorum valorem, deserviat pro expensis à Diffinitorio Provinciali designandis: Si autem excesserit, pro designandis à Diffinitorio Generali, ad quod quotannis mittere debent Magistri Novitiorum cujuscumque Provinciæ notitiam fideliter enarratam, & à se, Ministro, & Consiliariis subscriptam de Profitentium hæreditatibus, & bonis. Quod illis præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub præcepto formali, & sub pœna inhabilitatis in perpetuum, aliter facienti.

2. Ut autem Redemptor Captivorum non tertiam partem cujuscumque medietatis accipiat separatim, sed simul totius integram totum dividendum est in tres partes, & tertia separata pro Captivis, quod reliquum fuerit, dividatur, ut supra. Si vero aliter factum fuerit, declaramus deberi in conscientia reddi, ac restitui dicto Collegio, vel Diffinitorio, & Redemptioni. Hoc autem tantum intelligatur, quando noster Professus non fecit Testamentum ante Professionem in favorem alicujus Personæ extra Ordinem nostrum, si enim fecit, ejus ultima voluntas adimpleatur. Dum tamen Testamentum, aut Renunciatio sit sine gravamine Missarum, aut alterius piæ memoriæ, & si imponatur hujusmodi gravamen: semper intelligatur, Novitium Fundationem facere in favorem Religionis, & non alicujus determinatæ Domus, aut Personæ intrà Religionem; quia cum Conventus nostri nullum possint recipere onus sine licentia Superioris Generalis, & aliunde istius Conscientiæ, juxta canonicas sanctiones, sit non permittere, quod Conventus graventur ultra posse, ad ipsum deinceps pertinere debet, quod in Ordine adimpleantur ultimæ voluntates Novitiorum post Professionem eorum, sine alicujus Conventus jure.

3. Præterea præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali, omnibus, & singulis nostri Ordinis Religiosis tam Prælatis, quam Subditis, ut nullus moneat Novitios, neque eos inducat, ut Testamentum, aut Renunciationem ante suam Professionem faciant in favorem alicujus Personæ extra, nec intra Ordinem nostrum.

4. In exigendis bonis per Fratres in nostra Religione professos relictis nobis, vel ad nos pertinentibus maxima servetur charitas, & præ oculis habeatur indigentia, & qualitas Fratrum, & Sororum Religiosi; & specialiter hoc observetur cum ejus Patre, vel Matre, quando per mortem alterutrius Hæreditas obvenit nobis; Tunc enim (si Charitas exigit) volumus, ne talium bonorum fructus exigantur, vel petantur, donec alter superstes moriatur.

Emanavit deinde à Congregatione eorumdem Cardinalium re undique mature discussa Decretum tenoris sequentis: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, referente Eminentissimo Domino Cardinali Gentili Ponente, re undique mature perpensa, suprascriptas Constitutiones censuit esse approbandas, prout præsentis Decreti vigore benigne approbat, atque confirmat. Romæ die XXIII. Augusti MDCCXXXVII. Cardinalis Franciscus Barberinus Præfectus. C. Archiepiscopus Damiatæ Secretarius. Loco ✠ Sigilli: Quare prædictus Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut præinserlentes

tas Constitutiones, & Decretum hujusmodi Apostolicæ confirmationis patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes eumque à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab Homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibos quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas Constitutiones præinsertas, & in eis contenta quæcumque, nec non dictæ Congregationis Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuó confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve, quoslibet etiam formales, & substantiales defectus, si qui in præmissis principaliter, vel accessorie, aut alias quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possint penitus, & omnino supplemus, & sanamus. Decernentes easdem præsentes Litteras, ac Constitutiones, & Decretum præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & facultate fungentes, & functoros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & litteris Apostolicis etiam Ordini prædicto, illiusque Superioribus, Fratribus, & Personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Augusti 1738. Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Cardinalis Passioneus.

Pra-

Præcepta nostri Ordinis.

I. *PRæceptum*, ne quis extrahat, nec expendat (quovis titulo non spectante ad Redemptionem) aliquid pertinens ad ipsam Redemptionem Captivorum. *Pag.* 150. *num.* 10.

II. *Præceptum*, ut in omnibus nostris Conventibus, dicatur inviolabiliter Matutinum, media nocte, nisi urgens obstet necessitas, vel in Ordinis instructione fuerit statuta recreatio. *Pag.* 156. *num.* 2.

III. *Præceptum*, ne quis aliquam quantitatem (quocumque titulo) expendat ex pecunia recepta in Eleemosynam pro Missis perpetuis, & similibus, dum investita non est. *Pag.* 158. *num.* 4.

IV. *Præceptum*, omnibus nostris Religiosis tam Prælatis, quam Subditis, quod singulis annis faciant per decem dies Exercitia spiritualia in Cellis suis, vel in alio loco separato ad id destinato, modo, & forma in Ordinis instructione præscriptis, *Pag.* 161. *num.* 5.

V. *Præceptum*, omnibus Religiosis, ne comedant extra Domos nostræ Religionis in locis prohibitis per Regulam, nec carnes comedant extra Domos nostræ Religionis in diebus prohibitis per illam, absque licentia Prælati sui juxta tenorem Regulæ. *Pag.* 162. *num.* 2.

VI. *Præceptum*, Patribus Ministris, ut curent solvere confestim debita suorum Antecessorum, & ante illorum solutionem, nullas expensas faciant, nisi præcise pro victu, & vestitu Religiosorum. *Pag.* 175. *num.* 2.

VII. *Præceptum*, omnibus, & singulis Superioribus nostræ Religionis, quibus per has Constitutiones nulla fuerit commissa facultas, qood minime dispensare præsumant, nec audeant dissimulare quando culpis in eisdem statuitur pœoa suspensionis, privationis, aut inhabilitatis. *Pag.* 176. *num.* 1.

VIII. *Præceptum*, ut Patres Ministri inviolabiliter curent, & ad id obligent omnes Confessarios, tam Virorum, quàm Fæminarum, (exceptis qui sunt, vel fuerint Prælati Superiores, vel Ministri, vel Theologiæ Lectores) ut semel in hebdomada habeant inter se conferentiam moralem, nullo eorum deficiente, nisi propter infirmitatem. *Pag.* 178. *num.* 4.

IX. *Præceptum*, ut nullus noster Religiosus petat, nec sibi procuret mediis intercessionibus extra Ordinem nostrum, studia, Ordines, licentias audiendi Confessiones, concionandi, pergendi in Patriam suam, conventualitates, & alia hujusmodi. *Pag.* 181. *num.* 6.

X. *Præceptum*, ne quis præbeat, nec alienet, nec portet, nec mittat ad alium Conventum, libros, manuscripta, & similia existentia in Bibliotheca alterius Conventus, vel ad illam pertinentia, vel, quæ Religiosi habent ad usum suum. Nec similiter illa commodet, aut portet extra Conventum, ad quem pertinent. Nec item prædicta extrahat è Bibliotheca absque licentia. *Pag.* 184. *num.* 2., & *ibidem num.* 5.

XI. *Præceptum*, ut Scrutatores Capituli, si tempore electionis aliquod reperiatur suffragium pro subjecto, qui ex eligibilibus non fuerit, vitium declarent Electoribus, ne procedant ulterius. *Pag.* 192. *num.* 2.

XII. *Præceptum*, ad hoc ut Superior Generalis, & Diffinitorium Generale alterius Familiæ illico, ac habeant notitiam electionis novi Vicarii Generalis, illi per suas litteras authenticas obedientiam promittant. *Pag.* 196. *num.* 8.

XIII. *Præceptum*, tàm Clavariis consentientibus, quam Procuratoribus Generalibus extrahentibus ex Archivio Romano nostri Conventus S. Caroli aliqua Instrumenta, ad sua negotia pertractanda, ut ea restitui curent, quam primum. *Pag.* 199. *num.* 23.

XIV. *Præceptum*, ne quis defuncto Provinciali, aperiat, nec aperire permittat ejus manticas, nec videat, seu legat scripta, quæ apud se defunctus habebat. *Pag.* 209. *num.* 14.

XV. *Præceptum*, omnibus Religiosis subditis, & Prælatis, nec investigare audeant Zelatores occultos, quos Prælati pro bono regimine habere debent. *Pag.* 216. *num.* 3.

XVI. *Præceptum*, Patribus Ministris, & Consiliariis, nec non Procurato-

toribus, & Administratoribus Conventuum, ut nec primi audeant aliquid exigere, aut accipere à Procuratoribus, & Administratoribus, præter ea, quæ solutis solvendis, factisque expensis, libera recipiantur pro Conventu; nec Procuratores, & Administratores aliud ipsis petentibus reddant. *Pag.* 223. *num.* 17.

XVII. *Præceptum*, Patribus Magistris Novitiorum, ut mittant quotannis ad nostrum Diffinitorium Generale notitiam fideliter enarratam, & à se, Ministro, & Consiliatiis subscriptam de profitentium hæreditatibus, & bonis. *Pag.* 230. *num.* 1.

XVIII. *Præceptum*, omnibus Religiosis, Prælatis, quam Subditis, ut nullus moneat Novitios, neque eos inducat, ut testamentum, aut renuntiationem ante suam Professionem faciant in Favorem alicujus Personæ extra, nec intra Ordinem nostrum. *ibidem num.* 3.

Censuræ nostri Ordinis.

I. EXcommunicatio ipso facto contra vagantem extra Conventum sine Habitu absque licentia Superiorum, aut etiam cum Habitu, si per octo dies extra Claustra permanserit. *Pag.* 174. *num.* 1.

II. Excommunicatio ipso facto contra exeuntem è Conventu de nocte sine licentia *Ibidem*.

III. Excommunicatio latæ Sententiæ, & aliæ pœnæ contra se transferentem ad aliam quamcumque Religionem, sive Congregationem (excepto Ordine Carthusianorum, petita, & obtenta licentia à Superioribus nostri Ordinis.) *ibidem num.* 4.

Festivitates nostri Ordinis.

1. FEstum Sanctissimi Nominis JEsu.
2. Festum Sanctæ Agnetis secundo.
3. Festum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
4. Festum Sancti Gabrielis Archangeli.
5. Festum Sancti Joseph Confessoris.
6. Festum Sancti Raphaelis Archangeli.
7. Festum Inventionis Sanctæ Crucis.
8. Festum Pentecostes.
9. Festum Sanctissimæ Trinitatis.
10. Festum Corporis Christi.
11. Festum Transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi.
12. Festum Sancti Bernardi Abbatis.
13. Festum Sancti Angeli Custodis Ordinis Nostri.
14. Festum Sanctissimi Nominis Mariæ.
15. Festum Dedicationis Ecclesiarum Nostri Ordinis.
16. Festum Sancti Patris nostri Felicis de Valois.
17. Festum Omnium Sanctorum Ordinis Nostri.
18. Festum Sanctæ Catharinæ Virginis, & Mart.
19. Festum Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ.
20. Festum Sancti Patris nostri Joannis de Matta.

Præter dictas autem Festivitates solemnes etiam numerari debent, Festum titularis Familiæ in Familia, Provinciæ in Provincia, & Domus in Domo.

ADDITAMENTUM XLVIII.

DE INSTITUTIS CONGREGATIONIS ORATORII S. Mariæ in Vallicella de Urbe, A S. PHILIPPO NERIO FUNDATÆ.

OBSERVATIO CRITICA.

Inter varias Congregationes pro sæcularium Presbyterorum institutione à variis piissimis viris erectas eminet præ primis ea à S. Philippo Nerio instituta non ad normam quidem aliorum Ordinum Religiosorum, quia sine votis, sed sola Charitatis lege proximorum saluti procurandæ unice intenta, proindèque aptissima, ad quam Clerici sæculares omnes, præcipue curati, tanquam ad normam suo sancto statui convenientem ut respicerent, omnino optandum esset. De hac igitur Congregatione hic agentes de ipso ejus sancto Auctore sequentia ex diversis vitæ ejus Scriptoribus compendiose collecta ipsis institutis præmittenda duximus una cum brevi ipsius Congregationis notitia.

Natus est igitur S. Philippus Nerius Florentiæ Hetruriæ Metropoli 22. Julii anno 1515. Parentibus Francisco de Nerio & Lucretia Antonii Soldi Filia: à quibus magna cura pie educatus fuit, qui abs magno Parentum negotio mature pietatis sensum cum ipso lacte alto hausit pectore; tanto quippe erga Parentes ferebatur respectu, & filiali obedientia, ut idcirco à quinto ætatis anno passim ab omnibus cognomen Boni *promeruerit. Humanioribus litteris perdiscendis totam fere impendit adolescentiam; Decimo octavo ætatis anno in oppidulum S. Germani ad radices montis Cassini in* terra Labour *situm ad avunculorum suorum quemdam divitem Mercatorem sed improlem nomine Romulum missus à Patre fuerat, hac spe ducto, fore, ut omnium ejus bonorum hæres (non vero ut mercaturam disceret) inscriberetur. Nec spem fefellit eventus; Romulus enim tanto Nepotem suum studio prosecutus est, ut eum bonorum suorum ex asse destinaverit hæredem. Ast ardor, quo Philippi cor in Dei servitium æstuabat, extinxit omnem divitiarum cupidinem: ideoque spreta tam ampla hæreditate viginti, & ultra, millium aureorum, domum Avunculi sui deserens, anno 1533. Romam avolavit, studia sua prosecuturus. Istuc appulsus Nobilem Florentinum adiit Galeotum Caccium nomine, qui eum*

ob egregias suas dotes in sua domo manere jussit, assignata ei pro sua sustentatione certa quantitate frumenti, quam Philippus dare Pistori pactus est, ea lege, ut quotidie unum sibi panem subministraret. Nobilis iste Florentinus majorem in dies sancti hujus juvenis æstimationem concipiens duos Filiorum suorum ei concredidit bonis moribus, & litteris humanioribus imbuendos. Eo Præceptore in utrisque insignes fecerunt progressus; nec minus ipse in Philosophicis & Theologicis studiis profecit, adeo ut pauci honestioris sortis homines Romæ fuerint, qui ejus consuetudine fruendi non caperentur desiderio, reconditæ ejus eruditionis audiendæ avidi. Quanquam ei verecunda sua modestia Sodalium conciliaverit venerationem, quidam tamen liberioris vitæ Nebulones conati sunt ejus incontaminatos mores seducendo corrumpere, quorum tamen impios conatus, cælesti præventus gratia, adeo feliciter elusit, ut semper cor & corpus mundum conservaverit. Absoluto studiorum cursu, iis quidem seductionis periculis ereptus, per plures tamen annos æque periculosos inire conflictus contra effrontem insolentiam prostibulorum coactus est, quæ ut ejus labefactarent constantiam, nullum non lapidem moverunt, sed lacymarum jejunii, & continuæ orationis armis de malitia antiqui hostis & licentiosa harum prostitutarum fœminarum impudicitia feliciter semper triumphavit. Frequenter Nosocomia, quotidie septem Ecclesias Romæ visitabat, & magnam noctis partem super sepulchra Martyrum in Cemeterio Callisti orationi consecrabat. Ejus exemplo animati plures se socios ipsi junxerunt ad easdem cum eo stationum preces persolvendas. Hæc devotio tam ordinate & modeste diu protracta, totam supra modum ædificavit urbem; & hoc ex præcipuis mediis unum erat, quo sanctus vir usus est magno animarum emolumento licentiosam juventutem à sua inordinata vivendi ratione ud virtutis semitam perducendi.

Hæc tam prospera initia animos illi addidirunt salutem proximi ardentius procurandi; decrevit igitur cum Persiano Rosa conscientiæ suæ arbitro fundamenta jacere celeberrimæ Confraternitati sanctissimæ Trinitatis: & quidem anno 1548. erecta fuit in Ecclesia S. Salvatoris in Campo, primique ejus albo inscripti erant quindecim pauperes, qui in ista Ecclesia singulis primis cujusque mensis Dominicis conveniebant ad vacandum iis pietatis exercitiis, quæ à sancto Fundatore præscripta erant, & ad audiendas ibidem exhortationes, quas ad ipsos habebat, ut eos excitaret ad serventem acquisitionem virtutum & fugam vitiorum: quas exhortationes tanto mentis ardore pronuntiabat, ut ad eum audiendum confluxerint plurimi etiam nobiles, qui non exiguo honori sibi ducebant tam sanctæ Societati sua nomina dare; Unde S. Fundatori accreverunt media exequendi pium animi propositum erigendi Hospitale pro excipiendis pauperibus peregrinis Romam venientibus ad Sacra Apostolorum Petri & Pauli limina, aliaque antiqua primorum Christianorum pietatis monumenta visitanda, qui alids cogebantur pernoctare in plateis & portis Ecclesiarum ob defectum commodioris loci, ut reclinarent capita sua: Sancti enim Viri viscera adeo commovebantur erga miseros istos, ut obligaret pecuniosiores de sua Confraternitate sanctissimæ Trinitatis ad hospitalitatem iis exhibendam; quod & libenter præstiterunt, conducta in eum sanctum finem perampla domo, ubi hospitio exciperentur; largéque provideretur iis de cunctis necessariis per tres dies: quod Charitatis opus per octo annos continuarunt; donec Paulus Papa IV. anno 1558. tanto Charitatis erga Peregrinos exemplo ædificatus, isti Confraternitati donaverit Ecclesiam Parochialem S. Benedicti, ob id nunc appellatæ sanctissimæ Trinitatis; juxta quam fuit hospitale tantæ capacitatis, ut durante anno sancto Jubilæi 1600. ultra quadringenta quadraginta quatuor millia quingenti viri præter viginti quinque millia quingentas fœminas excepti fuerint, & lauta gratis habitæ per tres dies juxta leges hujus Hospitalis. Etsi quidem anno 1700. numerus peregrinantium non tantus fuerit, erat tamen satis magnus, quippe ducenta septuaginta millia centum quinquaginta utriusque sexus præter octoginta quinque millia quadringentos octoginta quatuor Reconvalescentes in eo hospitati sunt, siquidem Hospitale istud destinatum etiam erat excipiendis reconvalescentibus. S. Philippus Nerius in istis Charitatis exercitiis longo se tempore exarcuit, in laicali adhuc statu existens: sed ejus confessarius recte judicans, eum bono publico longe utiliorem futurum, si Sacris initiaretur Ordinibus, persuasit ei eosdem sumere: idcirco anno 1551. Mense Martio sanctus vir primam tonsuram cum quatuor minoribus Ordinibus; & sacrum Subdiaconatum accepit ætatis suæ anno trigesimo sextò; & sequenti Sabbato sancto

(*quod erat* 29. *dies ejusdem Mensis*) *in Diaconum*, *tandemque in Presbyterum* 23. *Maji ejusdem anni fuit ordinatus.* *Brevi post adiit Ecclesiam* S. Hieronymi à Charitate *dictam*, *ibidem residuum vitæ consummaturus*; *ubi plures quoque alii Sacerdotes*, *nempe* Persianus Rosa *ejus confessarius*, Bon-Signore Caccia Guerra, *Nobilis Florentinus*, Franciscus de Arezzo, *& Franciscus alius natione Hispanus*; *qui*, *licet simul cohabitarent*, *singuli tamen eorum more suo separatim vivebant.* *Quam primum sanctus vir hujus Ecclesiæ ministerio sese addixit*, *ibidem sui in proximum amoris & Charitatis mox præclara edere specimina cæpit*, *excipiendo Confessiones tanta assiduitate*, *quanto lucrandorum JESU Christo animarum desiderio flagrabat*, *amorem virtutis*, *& horrorem peccati eorum animis instillando.* *Nec satis illi fuit hoc Sacrum intra Ecclesiam Ministerium exercere*, *nisi etiam cubiculum suum omnibus cujusvis status & conditionis indiscriminatim aperiret*, *qui se ejus directioni subjicerent*, *ibique Conferentias suas Spirituales incepit successu prorsus admirando*, *quibus initio sex aut septem tantum interevant homines*, *Simon scilicet Garzini*, *& Montinazzera*, *ambo Florentini*, *Michael del Prato*, *duo aurifabri*, *& Domesticus famulus familiæ Massini-Processu vero temporis hic exiguus numerus Auditorum insigniter auctus est accessu etiam Personarum tum natalibus*, *tum doctrina illustrium*: *Quales erant Joannes Baptista Salviati ejusdem nominis Cardinalis Frater*, *cognatus Catharinæ de Medicis Gallorum Reginæ*, *Franciscus Maria Tarruggi postea ad Cardinalatum promotus*, *Constantius Tassovi nepos Cardinalis Bertrandi alias appellati Cardinalis* Defano, *Joannes Baptista de Modio magni nominis Medicus*, *Antonius Succi*, *pluresque alii.*

Magni harum Conferentiarum fructus magis, *magisque incendebant ignem Charitatis*, *quo cor ejus inflammatum erat*, *adeo*, *ut cogitaverit una cum Tarruggio*, *Modio*, *Succi*, *& quibusdam aliis in Indiam migrare ad lumen Evangelii illuc transportandum*, *ad illuminationem Idololatrarum*, *& Infidelium*: *Verum Prior* Monasterii ad Tresfontes *Ordinis Cistertiensis*, *quem ea super re consuluit*, *ei indicavit*, *eum à DEO vocatum esse Romam & non ad Indias*: *quod consilium cælitus intellexit huic sancto Religioso fuisse à DEO inspiratum ad declarandam sibi DEI voluntatem.* *Ideo mutato consilio Romæ subsistere statuit ad continuandas suas Spirituales Conferentias in suo cubiculo*, *quod cum ob angustiam tantæ multitudini capiendæ haud sufficeret*, *obtinuit à deputatis aut Administratoribus Ecclesiæ S. Hieronymi locum amplum & spatiosum supra eandem Ecclesiam*; *qui locus cum ebusque vacuus remansisset*, *in justam Oratorii formam redactus est*, *in quem exercitia Spiritualia fuerunt translata anno* 1558. *quo auditorum numero in dies crescente S. Fundator primùm pro conferentiis habendis Tarruggium & Modium adhuc tantum Laicos*, *& brevi post Succium & Baronium celebrem illum Annalium Ecclesiasticorum Auctorem sibi associavit.* *Præter conferentias aliaque exercitia ibi fieri solita*, *ordinavit*, *ut singulis diebus vesperi aperiretur in æstate hora sexta*, *& hyeme hora quinta*, *& Dominicis*, *feriis tertiis*, *quintis*, *& Sabbatis haberetur Semi-horaria oratio mentalis*, *quam exciperent Litaniæ de Beatissima V. M. aliis vero septimanæ diebus fieret disciplina.* *Aliquo post tempore primam suam methodum mutavit.* *Dum expectaretur omnium de Confraternitate adventus*, *jussit institui lectionem per quosdam*, *qui primi venerant.* *Qui pro tempore conventui præsidebat*, *interrogabat quosdam de Assistentibus circa materiam lectionis habitæ.* *Post eorum responsiones ipse summatim per recapitulationem totam lectionem in memoriam reducebat*, *semperque concludebat per quasdam reflexiones Auditorum animos disponentes ad amorem DEI contemptum mundi & exercitia virtutum.* *Instruebantur quoque in Historia Ecclesiastica*; *sicque Congregatio dimittebatur per preces & hymnos*, *qui canebantur ad Gloriam DEI.* *Postmodum S. Fundator diversas visitavit Ecclesias*, *comitantibus pluremis suorum Discipulorum*, *qui Divinis officiis tam diurnis*, *quam nocturnis assistebant summa cum pietate ac devotione in odorem suavitatis JESU Christo.* *Ex omnibus suis Discipulis triginta aut quadraginta elegit specialiter*, *quos in certas turmas distributos ad serviendum infirmis in Hospitalia mittebat*: *certis quoque diebus per annum præcipue Bachanalibus*, *quotquot poterat*, *congregabat ad visitandas septem Ecclesias*, *ut*, *si non omnes à Dæmonis servitute diebus hisce periculosis*, *& perniciosæ licentiæ dicatis liberare posset*, *plurimos saltem ab eo abstractos ad Divinum cultum his sanctis exercitiis attraheret*, *alias ejus laqueis forte perituros.*

Et

Et hæc pia praxis quotannis usque hodie Romæ in usu est diebus istis Bacchanalibus : ubi idem ordo observatur , quem sanctus Vir instituit , adeo , ut quandoque quatuor aut quinque millia hominum his sanctis exercitiis & processionibus intersint , quibus porrigitur victus eadem frugalitate , sicut ipse sanctus Fundator præscripsit præcipue iis , qui eum comitabantur in his Sacris peregrinationibus , nempe cuilibet frustum panis cum una alterave sectura Botuli quem Itali vocant Mortatella , ovum , frustum casei , & pauxillum vini. Et hæ dapes porriguntur in magno quodam horto , per quem transitur , in quo omnia prædicta præparata inveniuntur : ita , ut quamprimum illuc ventum fuerit , turmatim sedeant super herbam quilibet ad turmam suo statui & Conditioni convenientem. Siquidem quælibet turma componitur ex hominibus certæ Conditionis & status , qui ab invicem separantur parvis claustris seu repagulis in hunc finem factis ; ita ut Religiosi cujuscunque Ordinis habeant suam propriam clausuram , quæ proxima est clausuræ Cardinalium : & sic de cæteris Sæcularium turmis. Durante hac refectione , quæ circiter semihora spatium protrahitur , tota Congregatio exhilaratur concentu musico , qui collocatur in omnium medio , ut ex omni parte æqualiter audiri possit ; quo finito puerulus aliquis ad hoc selectus octo aut decem annorum sermonem brevem habet de fine & scopo hujus devotionis ; quo dicto omnes surgunt , & ordine prosequuntur inceptam peregrinationem , quæ continuatur usque ad quartam , aut quintam Vespertinam.

Tam sanctum exercitium non poterat evadere maledicta & calumnias hominum improborum : Dispersi sunt per urbem falsi rumores contra sanctum Virum : Eum comitantes in hac Sacra septem Ecclesiarum visitatione accusabantur de gula , acsi propter exquisitas dapes , quas eis porrigebat , hanc peregrinationem susciperent. Jamque canina labiorum murmura in altas prorumpebant querelas , usque adeo , ut ad aures Vicarii Papæ pervenerint , ante cujus tribunal S. Philippus tanquam homo superbus & ambitiosus fuit delatus quasi introducens novitates & conventicula periculosa & de fide suspecta. Hic Prælatus à malevolis contra virum sanctum præoccupatus eum coram se sisti jussit , & satis dure increpato interdixit Confessionale , & Cathedram Concionatoriam additis minis carceris , si amplius Conventus hominum institueret. Sanctus vir objectarum calumniarum Innocens , tanquam verus Ecclesiæ Filius respondit humillime & submississime Vicario Vicarii JEsu Christi , se sicut hoc opus ex obedientia incepisset , ex obedientia pariter paratum esse ab eo desistere ; nec ullum alium finem habuisse , quam pro Gloria DEI , & salute animarum laborandi. Prælatus ille , qui tam humili responsione ædificari debuerat , contemptum potius Viri DEI concepit , quem cum indignatiane à conspectu suo abegit : Quod nostro sancto importuno admodum tempore accidit ; siquidem ab eo tempore plurimis etiam Ecclesiasticis Viris persuasum fuit , ne ejus quasi ambitiosi hominis consuetudine amplius uterentur. Quo factum , ut quos ante Socias laboris habuerat , jam adversarios experiretur. Verum DEUS , qui quandoque humiliat suos Sanctos , ut postmodum majore cum Gloria erigat , brevi Sanctum suum in hoc probationis camino velut aurum purgatum extraxit. Dum ejus Sanctitatem cunctis innotescere voluit , permissum ei fuit sua exercitia continuare : quod tanto præstitit fervore , ut Discipulorum ejus numerus non solum maxima indies incrementa caperet , sed etiam ipse (ut par erat) maximi ab omnibus æstimaretur , adeo , ut anno 1564. Florentini , qui maximo numero Romæ habitabant , ædificaverint Ecclesiam sub titulo S. Joannis Baptistæ pro sua gente , sanctumque nostrum deprecati sint , ut eam administrandam susciperet. Sanctus vir eam Provinciam ægerrime sane & non nisi coactus in se suscepit , Florentini enim à Papa Pio IV. expressum obtinuerunt mandatum , quo cogebatur eorum precibus annuere ; sicque ex obedientia prædictæ Ecclesiæ gubernationem in se suscepit. Ideo necesse ei fuit , ut quosdam è suis Discipulis ad Sacros Ordines promoveri peteret ; Primi fuerunt promoti Baronius , Fideli , & Bordin , quem Clemens Papa VIII. postea in suum Confessarium elegit. Hic idem factus Archiepiscopus Avenionensis fuit.

Hi iidem tres viri fuerunt primi ex S. Viri Discipulis , qui Ecclesiæ Florentinorum servierunt , quibus brevi accesserunt Tarruggi & Velli , qui fuit primus Superior Congregationis post mortem S. Fundatoris : & proprie loquendo istud tempus haberi debet pro vera epocha fundationis hujus Instituti ab

Oratorio *dicti*, *propter Oratorium*, *quod S. Vir instituit in Ecclesia S. Hieronymi à Charitate*, *de quo supra*, *ubi adhuc Sanctus vir morabatur*, *ad quem ejus Discipuli*, *qui morabantur in Ecclesia Florentinorum*, *ter accedebant per diem. Mane ei confitebantur*, *posteaque ad suam revertebantur Ecclesiam. Post prandium iterum ad Oratorium accedebant*, *ibi Concioni interfuturi*, *aut concionaturi ipsi sua quisque vice*, *unde revertebantur ad suam Ecclesiam ad decantandas Vesperas ; quibus finitis iterum Oratorium repetebant ad assistendum reliquis Sacris officiis*, *quin aut æstatis ardor*, *aut byemis algor*, *aut aliæ quævis tempestates eos impedire potuissent. Tam perfecta erat animorum conjunctia*, *ut officia domestica inter se distribuerent alternis vicibus à Singulis obeunda*, *modo serviendo ad mensam*, *modo providendo de necessariis pro culina : quæ officia tanto sibi honori ducebant*, *ut Baronius Culinarium agens*, *optansque semper eo in bumili statu permanere*, *camino majoribus Characteribus inscripserit bæc verba :* Baronius Culinarius perpetuus. *Sæpe Magnates & viri litterati volentes tam docti viri consuetudine frui*, *eum invenerunt perizonio cinctum in aheno aut Caldaria scutellas aliaque vasa culinaria purgantem. Germanus Fideli*, *Frater illius Fideli*, *de quo supra locuti sumus*, *& Octavius Paravicini Discipulus Baronii*, *quem sua merita*, *sicut & Magistrum ejus Baronium ad Cardinalatus dignitatem elevarunt*, *ad mensam legebant*, *& quilibet sua vice verrebat templum singulis Sabbatis*, *ornabatque altaria præparando singula necessaria pra sequenti Dominica*, *qua*, *sicut & diebus festis*, *qui erant Sacerdotes*, *occupati erant aut audiendis Confessionibus*, *aut verbum DEI populo annuntiando.*

Vita adeo sancta, *& proximo proficua Florentinis ita placebat*, *ut de mediis cogitarent viros istos in Ecclesia suæ Ministerio stabiliendi ; quapropter considerantes*, *quod isti boni viri non possent tribus vicibus per diem Oratorium S. Hieronymi*, *quod longius à sua Ecclesia distabat*, *sine defatigatione & incommodo adire*, *rogarunt S. Philippum Nerium ; dignaretur sua sancta exercitia transferre ad eorum Ecclesiam : in quem finem erexerunt novum Oratorium satis amplum & commodum ; quo acceptato anno* 1574. *annuente Gregorio Papa XIII. ibi incepit*, *continuavitque suos Conventus*, *aliaque exercitia Spiritualia. Crescente in dies Congregatione ista*, *S. Fundator cum suis Sociis è re sua fore judicavit habere domum propriam*, *ubi majore cum libertate independenter ab ullis aliis sua exercitia obire possent. Oblatæ fuerunt eis duæ Ecclesiæ utraque in honorem B. V. M. dedicata*, *altera sub titulo B. V. de* Monticelli, *alteraque de* Vallicella. *Hæc ultima quidem angustior erat*, *ejus tamen situs erat eo commodior*, *quia in urbis medstullio*, *consequenter magis juxta S. Fundatoris mentem*, *qui nihil aliud quærens nisi proximi emolumentum prætulit commoditatem communem propriæ suæ satisfactioni. Interim metuens*, *ne deciperetur in sua electione*, *Papæ Consilium desuper audire voluit*, *qui ei persuasit mansionem suam figere apud Vallicellam ; quia erat Ecclesia Parochialis*, *cujus Parochus eam vira DEI libenter cessit anno* 1575. *pro pensione ad dies vitæ ; sicque loco ejusdem Parochi sanctus vir Germanum Fideli & Joannem Antonium Luccia ad functiones Sacras in eadem Ecclesia obeundas misit. Ibi postmodum jacta sunt fundamenta magnificæ Eccesiæ*, *in qua anno* 1577. *incepta sunt celebrari Divina officia ; eodemque anno Constitutiones*, *quas biennio ante sanctus Fundator pro sua Congregatione condiderat*, *observari cæpta*, *approbante Gregorio Papa XIII. quo etiam consentiente translatum est Oratorium de Ecclesia Florentinorum ad hanc B. M. de* Vallicella, *quam nunc appellant* Chiesa nuova, *id est Ecclesiam novam. Hæc mutatio occasio fuit S. Philippo mutandi methodum primorum suorum exercitiorum. Nam loco conserentiarum instituit ibi quatidie (excepto Sabbata) lectionem Spiritualem*, *quam quatuor Sermones excipiebant. Qui usus bodiedum ea in Ecclesia perseverat tanta bominum ædificatione*, *ut sanctus quidam Sacerdos*, *qui nunquam per suam vitam omisit interesse bis sermonibus*, *in sua ultima voluntate expressè jusserit suum corpus nullibi*, *nisi hac in Ecclesia terræ mandari*, *& quidem è Regione Cathedræ concionatoriæ*, *ubi stare solebat*, *utque tumulo suo inscriberentur hæc verba Ezechielis Prophetæ :* Ossa arida, audite verbum Domini. *S. Fundator instituit*, *ut finitis concionibus cantarentur aliqui bymni*, *& cantica Sacra*, *oraveturque publice pro necessitatibus Ecclesiæ.*

An-

Anno 1577. *perfacta jam Ecclesia B. M. de Vallicella, jamque exercitiis Spiritualibus habendis accommodata (ut jam diximus) absolutisque Sacerdotum habitaculis, aliquis Sacerdotum, Ecclesiæ Florentinorum deservientium, venerunt etiam apud Vallicellam habitaturi. In Superiorem elegerunt S. Philippum Nerium, qui propterea nequaquam reliquit Ecclesiam suam S. Joannis Florentinorum, ubi mansit usque ad annum* 1583. *quo ad instantiam sacerdotum Vallicellentium, & mandato summi Pontificis venit ipsis cohabitaturus. Remanserunt adhuc aliqui apud Florentinos, qui virtute Decreti Congregationis anno* 1588. *editi, omnes jussi sunt Vallicellam commigrare. Sicque omnes Sacerdotes ad oratorium spectantes in unum sunt conjuncti.*

Hoc Institutum erat tam bene constitutum, tantaque pietate fundatum, ut brevi inceperit latius propagari. Anno enim 1586. Tarruggi *Institutum extendit Neapolim & Mediolanum, eodemque anno apud S. Severinum, Fermum, & Palermum; quibus in locis Oratoria erecta sunt: Mediolanense autem non diu stetit. Patres Oratorii Romæ cernentes, suum Institutum dilatari, decretum ediderunt nunquam habendi domos extra Romam dependentes à sua administratione (exceptis Neapolitana & illa ad S. Severinum) ne tamen crederetur, eos improbare talia Oratoria, decreto suo addiderunt, Oratorium Romanum habere potestatem (si velit) eo mittendi viros idoneos ad instituendum Domos ejusdem Instituti, ea tamen Conditione, ut re perfecta reverterentur Romam, quin tamen tales domus necessario connecterentur cum Romana, aut ab ea immediate dependerent; neque Sacerdotes istarum fundationum possent denominari* ab Oratorio *Congregationis ejus urbis; sanxerunt quoque, suscipi posse Sacerdotes alios peregrinos, quos consuetudines Congregationis edocerent, ut & ipsi possent in sua patria similia Oratoria instituere. Pater Marcianus refert, anno* 1595. *hoc decretum vulgatum fuisse, postquam Patres Oratorii Romani cum Oratoriis, quæ sunt in Palermo & Fermo, recusarunt uniri. Nihilominus tamen anno* 1598. *contra hoc decretum permiserunt novum oratorium Lanciani in Abruzzo uniri secum & cum Oratoriis Neapolitano & S. Severini. Hæc domus de Lanciano possidet Abbatiam S. Joannis* in Venere, *prope idem oppidum, & Patres istius Congregationis fundarunt ibi Seminarium pro Juvenibus ad statum Ecclesiasticum aspirantibus. Ab ista Abbatia decem pagi dependent.*

Anno 1587. *S. Philippus Nerius in Congregationis perpetuum Generalem fuit electus. Lege quidem tunc cautum erat, ne Generalis officium suum teneret ultra tres annos aut ad summum sex continuos; sed in favorem sancti Fundatoris ea in lege dispensatum fuit, ut maneret Generalis perpetuus; sed ejus Successores deberent tantum esse triennales, continuabiles tamen per aliud triennium. Interim mortuo S. Fundatore visum eis erat abrogare istud decretum anno* 1596. *statuendo, posse continuari Generalem in officio suo, quanto tempore bono Congregationis utile videretur. Ipse S. Fundator suis Constitutionibus addidit, in Congregatione hæc vota non esse emittenda; si autem aliquis cuperet vitam ducere perfectiorem, liberum ei fore Congregatione relicta statum Religiosum amplecti, volens suæ Congregationis membra sola lege Charitatis ligari. Inseruit insuper statuta circa Ordinem in Capitulo Congregationis observandum, ordinans, ut, si quis forte inobediens, aut alios pravis moribus scandalizans inveniatur, ex Congregatione expellatur.*

Quia frequentes sancti Viri infirmitates sæpe impediebant eum in publico apparere, Gregorius Papa XIV. anno 1591. *indulsit ei Sacrum facere in Capella ad latus sui cubiculi, ubi cernens se majore cum libertate suæ devotioni satisfacere posse, quin aliis tædio esset, plerumque duas integras insumebat horas meditando inter* Domine non sum dignus, *& Communionem Sacram, adeo, ut Minister abiret, emaneretque per totum illud tempus; quo effluxo primum rediit ad vinum ei porrigendum, & assistendum, dum absolveret Sacrum. Idem Pontifex quoad Breviarium dispensando annuit, ut ejus loco per Rosarium officio Divino satisfaceret. Qua dispensatione usus fuit durantibus infirmitatibus suis; recuperata tamen valetudine noluit ea dispensatione uti.*

Tan-

Tandem vitam privatam ducere cupiens Generalatui renuntiavit , & Baronius in Generalem electus fuit ; quod officium per sexennium gessit , postea sublimatus ad Cardinalatus dignitatem sicut & Tarruggi per Papam Clementem VIII. qui in alia Cardinalium promotione Alphonsum Visconti ejusdem Congregationis Sacerdotem ad eam dignitatem promovit. Sanctus Fundator abdicato Generalatu adhuc tribus fere annis vixit , in omnibus exercitiis solidissimæ pietatis , se incessanter præparans ad mortem , cujus momentum visione cælesti ipsi fuit revelatum. Missas facere consueto suo fervore nunquam intermisit usque ad ultimum vitæ diem , quo etiam die aliquot hominum Confessiones excepit , quibus & Sacram Synaxin propriis porrexit manu. Residuum istius Diei transegit sine ullo morbi indicio ; sed circa undecimam noctis horam vehemens sanguinis Vomitus eum ad extrema redegit , adeo , ut media nocte innocentissimam in manus Creatoris tradiderit animam 25. Maji anno Domini 1595. ætatis suæ prope 82. Ob miracula ab eo vivente patrata & post mortem continuata processus ejus Canonizationis incepit sub Clemente Papa VIII. qui continuatus fuit sub Ejus successore Paulo V. ad instantiam Regis Franciæ Henrici IV. qui sancti Viri Canonizationem promovere studuit , eoquod hic Sanctus , dum viveret , ejus cum sancta Matre Ecclesia reconciliationi allaboraverit. Ipsa Canonizationis Solemnitas habita fuit anno 1622. per Gregorium XV. ad preces Ludovici XIII. & Reginæ Mariæ de Medicis ejus Matris ; quem jam anno 1629. Urbs Neapolis inter suos Patronos adlegit ; quod & fecerunt plurimi alii Fideles ob miracula creberrima quotidie patrata , raræ ejus Sanctitatis indicia ; Charitate enim DEI , adhuc vivens, vulneratus languebat jugiter : tantoque cor ejus æstuabat ardore , ut cum intra fines suos contineri non posset , illius sinum , confractis atque elatis duabus costulis , mirabiliter Dominus ampliaverit. Virginitatem perpetuo adeo illibatam servavit , ut assecutus sit donum eos , qui puritatem colerent , ex odore ; qui vero secus , ex fætore dignoscendi. Absentibus interdum apparuit , iisque periclitantibus opem tulit. Ægrotos plurimos & morti proximos sanitati restituit. Mortuum quoque ad vitam revocavit.

Circa vitam & miracula sanctissimi Fundatoris hæc hoc loco posuisse sufficiat ; cum jam sæpius & passim in voluminibus de Sanctorum vitis tractantibus plura Lector benevolus invenire queat. De ejus Instituto pauca adhuc prosequi juvat , quod mox eo mortuo latius propagari cæpit. Gallonius enim , primus ejus vitæ Scriptor , quam publicavit anno 1600. (quæque inserta habetur actis Sanctorum Maji Bolandianis) dicit , præter Oratoria Romanum , Neapolitanum , Septempedanum S. Severini , & Anxanum , quæ (ut supra vidimus) unita erant , adhuc quatuor alia fuisse , Lucense scilicet , Firmanum , Panormitanum , & Camerinense ; quo tempore sex aliis ædificandis occuparentur Fanensi nempe , Patavino , Vincentino , Ferrariensi , Tononiensi in Diæcesi Genuensi apud Allobroges , & B. M. V. de gratia in Diæcesi Forojuliensi in Provincia apud Francos. A quo tempore plura alia in Italia , Germania , alibique excitata sunt Oratoria , cum insigni ubique animarum lucro. Præter Cardinalet supra nominatos ex oratorio Romano , alios insuper Ecclesiæ dedit hæc Congregatio Octavium nempe Paravicinum , Nicolaum Sfondrete , & Leandrum Colloredo , aliosque insignes Prælatos , quorum inter celebriores erat Joannes Juvenalis antiquus Episcopus de Saluces unus ex primis Sociis S. Philippi Nerii , ob eminentem suam virtutem præcipue commendandus. Hæc Congregatio Ecclesiæ peperit nominatissimos Scriptores , Cardinalem nempe Baronium Annalium Ecclesiasticorum Authorem , Oldericum Raynaldum , eorundem Annalium Continuatorem , Antonium Gallonium Thomam & Franciscum Bozios. Pater Joannes Marcianus ejusdem Congregationis Historiam conscripsit anno 1693. duobus voluminibus in folio. Congregationis hujus arma sunt Virgo ante se tenens Infantem JESUM in Luna crescente radiis circumamicta. Hæc Congregatio variis à diversis summis Pontificibus privilegiis fuit donata : Presbyteris enim ejus Sixtus V. sub die V. Septembris 1586. indulsit per dimidium horæ ante auroram & post meridiem Missas celebrare , & dummodo à Vicario Papæ prævio examine fuerint approbati ad Confessiones audiendas in urbe , extra eam quoque absque alio examine illas audire. Alia insuper indulta iis concessit Paulus V. in Constitutione 92. qua approbavit Ordinationes & Instituta ejusdem Congregationis paulo inferius danda. S. Philippum Nerium hujus Congregationis Fundatorem SS. Confessorum numero adscripsit quidem Grego-

ri-

rius XV. sed morte præventus Bullam desuper expedire non potuit: eam tamen expedivit Urbanus VIII. in Constitutione 2. quæ incipit: Rationi congruit &c. *Tom. 4. Bullarii Rom. pag. 6. Idem Gregorius XV. insuper concesserat huic Congregationi Ecclesiam S. Caciliæ in monte Jordano pro Sacristiæ & Oratorii ædificatione, ac Domus dilatatione, suppressa prius animarum cura eidem incumbente, & alio translata, ut videre est in ejusdem Gregorii Constitutione XI. quæ incipit:* cum ad Uberes &c. *Tom. 3. Bullarii Rom. pag. 442. Ipsius Congregationis approbatio facta est per Papam Gregorium XIII. anno 1579. Idibus Julii sequentis tenoris.*

Institutio Congregationis Clericorum sæcularium de Oratorio nuncupatæ in Ecclesia S. Mariæ de Vallicella de Urbe.

Copiosus in misericordia Dominus, & in cunctis Gloriosus operibus, a quo omnia dona defluunt, hoc nobis licet immeritis suæ sponsæ universalis Ecclesiæ regimen committere, & nostræ debilitati jugum Apostolicæ servitutis imponere voluit, ut inter alias multiplices curas, operarios, quos ipse Dominus in Messem suam, multitudinem utique magnam populorum ad fructum Divinæ gratiæ dispositam, ne pereat, quotidie pro sua misericordia dignatur emittere, conducere non differamus; eosque ad suscipiendam ipsius Domini misericordiam in medio Templi sui, ejusque vias Christi fidelibus demonstrandum, eorumque corda Divinorum sermonum declaratione illuminandum, novas etiam interdum piorum virorum Congregationes propterea constituendo nostræ sollicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensius excitemus.

1. Dudum siquidem omnia beneficia Ecclesiastica cum & sine cura apud Sedem Apostolicam tunc vacantia & inantea vacatura, collationi & dispositioni nostræ reservavimus: decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque postmodum Parochialis Ecclesia B. Mariæ Vallicellæ nuncupatæ, Regionis Pontis seu parionis de Urbe, per liberam signationem dilecti Filii Antonini de Adjuto, nuper ipsius Ecclesiæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat in manibus nostris sponte factam, & per nos admissam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad præsens, nulliusque de illa præter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis. Et sicut dilectus Filius Philippus Nerius Presbyter Florentinus, ac Præpositus non nullorum Presbyterorum, & Clericorum Sæcularium, tam suo, quam aliorum Presbyterorum & Clericorum præfatorum nominibus nobis nuper exposuit, quod hi in ipsa Ecclesias introduci cupiant, ac ita illis gratia assistente Divina circa Missarum, & aliorum Divinorum Officiorum in eadem Ecclesia celebrationem, & verbi Dei populo in ibi interessenti prædicationem, aliaque salubria monita ad salutem animarum Christi fidelium procurandam, & quamplurima pietatis opera exercenda intendere sperent, ut ex eorundem Presbyterorum & Clericorum laudabili vita & doctrina dilecti Filii ipsius Ecclesiæ Parochiani non parvam consolationem spiritualem suscepturi sint, si in eadem Ecclesia una Congregatio Presbyterorum, & Clericorum de Oratorio nuncupanda, perpetuo erigeretur, & institueretur, Ipsaque Ecclesia cum onere curæ animarum ipsius Parochianorum præfatorum eidem Congregationi concederetur, ex hoc profecto divinus cultus, ac ministrorum Ecclesiasticorum numerus, in ea ad Dei laudem & eorundem Christi fidelium animarum salutem maximum susciperet incrementum. Quare dictus Philippus asserens dictæ Ecclesiæ, & illi forsan annexorum, fructus redditus, & proventus, super quibus pensio annua quadraginta sunt, monetæ certæ personæ Ecclesiasticæ illam annuatim percipienti, Apostolica Auctoritate, ut dictus Philippus etiam asserit, reservata existit, centum & triginta Ducatorum auri de Camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere, eisdem nominibus nobis humiliter supplicavit, quatenus præmissis annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

2. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique Divini cultus augmentum & Christi fidelium animarum salutem sinceris desideramus affectibus, pium & laudabile Philippi præpositi, ac Presbyterorum & Clericorum præfatorum desiderium summopere commendantes, ipsosque Philippum Præpositum, ac Presbyte-

byteros & Clericos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, in dicta Ecclesia unam Congregationem Presbyterorum, & Clericorum Sæcularium de Oratorio nuncupandam, sine alicujus præjudicio, Auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus & instituimus.

3 Illique sic erectæ & Institutæ Ecclesiam præfatam, sive præmisso, sive alio quovis modo aut ex alterius cujuscunque persona seu per similem resignationem dicti Antonini, vel cujusvis alterius de illa in Rom: cura vel extra eam etiam coram Notario publico & testibus sponte factam, cut constitutionem fel. rec. Joannis Papæ XXII. Prædecessoris nostri, quæ incipit; *Execrabilis*: vel assecutionem alterius beneficii Ecclesiastici quavis Auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem præfatam legittime devoluta, ipsaque Ecclesia dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad nos hac vice pertineat, cum onere curæ animarum illius Parochianorum præfatorum, aliisque omnibus & singulis oneribus & honoribus ac annexis, nec non omnibus bonis, censibus, jurisdictionibus, fructibus, redditibus & proventibus, aliisque juribus & pertinentiis suis eidem Congregationi, Auctoritate Apostolica & tenore præfatis etiam perpetuo concedimus, & assignamus; ita quod liceat ipsi Congregationi, illiusque Rectori, Presbyteris, Clericis & Procuratoribus seu agentibus, vel deputatis per se, vel alium seu alios, eorum & dictæ Congregationis nomine, Ecclesiæ & annexorum ac bonorum juriumque & pertinentiarum præfatorum, corporalem & realem & actualem possessionem propria Auctoritate libere apprehendere, & etiam perpetuo retinere, curamque animarum eidem Ecclesiæ imminentem per se ipsos Presbyteros, seu unum, vel plures ex iis, sive per alium, vel alios Presbyteros, illis tamen prius a dilecto filio nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis in dicta urbe, & ejus districtu, Vicario in spiritualibus Generali seu sede præfata approbatis, exercere vel exerceri, eidemque Ecclesiæ in divinis deservire seu deserviri facere, illiusque fructus, redditus & proventus, jura, obventiones & emolumenta quæcunque percipere, exigere & levare, ac in suos & Congregationis ac Ecclesiæ præfatorum usum & utilitatem convertere.

4. Nec non eidem Congregationi, illiusque Rectori, ac Presbyteris & Clericis pro tempore existentibus, ut pro salubri statu & directione Ecclesiæ & Congregationis hujusmodi, illiusque personarum quæcunque statuta & Ordinationes rationabilia honesta, ac sacris Canonibus & Concilio Tridentino non contraria edere, & edita reformare, limitare, & mutare, ac alia de novo condere, prout & quoties eis secundum rerum & temporum qualitates videbitur expedire, quæ quidem statuta & ordinationes postquam edita, reformata, limitata, & mutata, ac de novo condita fuerint, a Sede præfata approbari, & per singulares personas de gremio dictæ Congregationis existentes inviolabiliter observari debeant, libere & licite possint & valeant, Auctoritate Apostolica & tenore præfatis indulgemus, liberamque desuper facultatem concedimus & elargimur.

5. Decernentes præsentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, & ex eo, quod interesse prætendentes vocati non fuerint notari, impugnari, aut in jus vel controversiam vocari nullatenus posse neque debere, minusque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, annullationibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus a Sede præfata etiam in favorem quorumvis quomodolibet emanatis & emanandis nullatenus comprehendi posse aut debere, nec non quoad concessionem & assignationem prout est: & attentatum forsan est hactenus, ac tam quoad illas quam omnia alia supradicta ex tunc irritum & inane si secus super his à quoquam quavis Auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

6. Quocirca venerabilibus Fratribus nostris Patriarchæ Alexandrino, ac Amerino & Aquinatensi Episcopis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes Litteras in eis

eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Philippi Præpositi ac Congregationis præfatorum, & singularum ipsius personarum nunc & pro tempore existentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio, assistentes, faciant Auctoritate nostra præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque firmiter observari, ac singulos, quos ipse Litteræ concernunt, illis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscunque contra præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores Auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

7. Non obstantibus priori voluntate nostra præfata, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus, privilegiis quoque indultis & Litteris Apostolicis venerabili Fratri nostro Alexandro Episcopo Tusculanensi Cardinali Farnesio nuncupato, ad quem ratione Ecclesiæ S. Laurentii in Damaso etiam de Urbe, aut alias dictæ Ecclesiæ S. Mariæ Vallicellæ dum vacat, collatio, provisio, præsentatio, & omnimoda alia dispositio pertinet, ac dilectis filiis populo Romano sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia deque Apostolicæ potestatis plenitudine ac Fratrum nostrorum consilio, etiam iteratis vicibus etiam per recol. mem. Leonem Papam X. aliosque Romanos Pontifices similiter prædecessores nostros, ac forsan etiam nos & Sedem præfatam concessis, approbatis & innovatis; illis præsertim quibus inter alia caveri dicitur expresse, quod de quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis dictæ Urbis vacatione illorum pro tempore occurrente, aliis quam civibus Romanis, & originariorum Civium Romanorum filiis, & forsan alias certo modo qualificatis provideri, vel aliàs disponi non possit, & aliter de illis etiam per sedem præfatam pro tempore factæ collationes, concessiones, uniones & aliæ dispositiones nullius sint roboris & momenti; quodque eisdem privilegiis & indultis nullatenus aut non nisi modo & forma in illis expressis derogari aut derogatum censeri possit, & si illis aliter derogari contingat, derogationes hujusmodi nemini suffragentur. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quævis expressio habenda, aut etiam aliqua etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus. Quodque de gremio dictæ Congregationis diversæ personæ & dicta Urbe oriundæ vel alias juxta dicta statuta qualificata non existant; contrariis quibuscunque. Aut aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in ipsa Urbe speciales vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint; etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem Litteras & processus habitos per easdem & inde secuta quæcunque ad dictam Ecclesiam *B. Mariæ* volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari. Et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis; proviso, quod ipsa Ecclesia *S. Mariæ* debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarum cura nullatenus in ea negligatur, sed illius congrue supportentur onera consueta.

Nulli ergo omnino &c. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Idibus Julii, Pontificatus nostri anno quarto.

Post hanc Gregorii XIII. Bullam, qua ipsam Congregationem approbavit, restat jam demum, ut paulo superius promissam ipsorum Institutorum Confirmationem à Paulo V. factam etiam benevolo Lectori demus. Congregatio enim hæc Oratorii à sanctissimo Confessore Philippo Nerio moribus potius erudita, quam legibus astricta, nullam ad Religiosorum hominum consuetudinem propriam sibi Regulam habuit, ad quam consultationes dirigeret rerum gerendarum. Etenim Pater optimus omnium consilia pro cujusque ingenio solitus paterno moderari affectu, satis habuit ad pietatem simul instimmatos in ipsa rerum humanarum despicientia Christi amore ferventiores videre suos, & quæ diuturna experientia ad probitatem assequendam, Deumque promerendum eis placere noverat, & in dies prodesse, tanquam à Domini spiritu probare, & confirmare. Et haac viam merito sæcularibus Presbyteris ille monstravit, licet à Religiosorum institutis distantem, qui Congregationem non se Auctore, sed DEO Optimo Maximo duce, ac perfectore institutam sæpe dicebat. Ea igitur, quæ vel ipse hac ratione condenda curavit, vel ab ejus Institutione inter Congregationis istius, homines consuetudine recepta, ac perpetuo deinceps servata, ut breviter cognosci possint, summatim collecta sunt.

I. De Oratorio & oratione.
II De Ecclesia, Divinis officiis.
III. De Salutari familiarium sermonum usu.
IV. De statu Congregationis Oratorii perpetuo
V. De Præpositi & quatuor Presbyterorum Deputatorum electione & munere.
VI. De admittendis in Congregationem, & ejiciendis.
VII. De Tyronum institutione.
VIII. De præcipuis hujus Congregationis observationibus.
IX. De vestitu, & consuetudine familiari.
X. De triclinio, & communi mensa.
XI. De Lectore & Lectione Mensæ.
XII. De Rebus dubiis in Mensa proponendis.
XIII. De Exercitationibus, in quibus versari solent Dominicis diebus.
XIV. De aliis à prandio exercitationibus, tam in Dominicis, quam in aliis Festis diebus.
XV. De externorum in Oratorio muneribus.
XVI. De horum electionis Ordine.
XVII. Admonitio.

Sequitur jam ipsa Bulla Pontificia, cui ipsa Instituta de verbo ad verbum inserta sunt.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam Rei memoriam.

CHristi fidelium quorumlibet, præsertim altissimo in humilitatis Spiritu famulantium votis, quæ felicem eorum prosperamque directionem, & gubernium concernunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

I. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Præpositus, & Presbyteri Congregationis Ordinis Oratorii, in Ecclesia S. Mariæ in Vallicella nuncupata de Urbe Institutæ, quod ipsi quasdam Constitutiones, & Ordinationes pro felici dictæ Congregationis regimine, & Spirituali progressu conscripserunt, illasque non semel examinatas, ac etiam mandato nostro recognitas, in unum volumen redegerunt, tenoris subsequentis.

CA-

CAPUT I.

De Oratorio, & Oratione.

VEre locum orationi destinatum Oratorium dicimus. Nam familiaris in ipso nata divini Verbi tractatio, post hæc tractanda, jam adulta, & in Ecclesiam nostram translata nomen minus accommodate retinuit Oratorii, in quo scilicet tam exteri, quam nostri quotidie vesperi post orationem, quam dicimus mentalem, consuetas Litanias recitant, aut singulis ter hebdomadis, quæ est Voluntaria corporis castigatio, supplicio flagellorum sese afficiunt. Festis item diebus à Calendis Novembris, usque ad sanctam Christi Domini Resurrectionem, non modo supplicationibus, sed etiam familiari cohortatione, & musico concentu excitantur ad Cœlestia contemplanda. A Resurrectione vicissim Dominica usque ad Calendas Novembris, post officium vespertinum in Ecclesia à nostris decantatum, & auditum sermonem in suburbanum quempiam locum, vel (si per calores æstivos non liceat,) in templum aliquod ad has rerum divinarum tractationes intra Urbem convenire solent. Singulis præterea diebus Dominicis, nisi nostro sit in templo concionandum, mane lectis Litaniis, & sermone opportuno de documentis præsertim Evangelicis familiariter habito, declarantur ex exteris, qui septem primarias Urbis Ecclesias, ac tres domos infirmorum publicas hospitales infra hebdomadam aliquando visitent. Harum omnium cura rerum Præfectum attingit Oratorii, e nostris constitutum Sacerdotibus, vel adjutorem; ut alteruter his ritibus præsit, salutisque confluentium consulat externorum, quibus etiam præsenti ope pietatis officia, in valetudinariis erga ægrotos festis diebus proponat exercenda. Ex exteris item fratribus idoneo ad certa Oratorii munia deligat, & in primis Rectorem, caveatque ne ulla ex parte constitutioni derogetur, quam Congregatio his verbis expressam voluit.

Præfectus Oratorii nostri nullo modo permittat exteris Officialibus in eo constitutis, ut in aliquid se rerum, aut negotiorum ingerant, ad ipsum locum, vel institutum quoquo modo pertinentium, quod ipse non eis præscripserit: nullum enim hujusmodi jus, aut potestatem habere possunt. Ne quid præterea innovetur, ibi hactenus observatum, de rebus præsertim gravibus ad Oratorium spectantibus quibuscumque Præpositum Congregationis nostræ consulat, penes quem rerum Oratorii, & Congregationis eadem est gubernatio.

Hæc satis, ut appareat, qua via sint externi frequentiores in Oratorio ad contemplationem, & amorem divinorum promovendi. Nostris autem ejusmodi instituto magis deditis, id etiam maxime adhibendum, quod à Sancto PHILIPPO Patres edocti ad hunc modum constituerunt.

Horas suas quilibet habeat meditationibus præstitutas, in quibus majores quotidie progressus faciat, Deum, cælestiaque amando, & apperendo; quod superiores pro sua charitate, ac prudentia sæpius unumquemque admonere, & qui hujusmodi studiorum fructus constet, animadvertere debebunt. Habent igitur, quæ orationi, & meditationi seponant stata tempora, & præter hora.orem Præpositum, quem audiant, etiam Sacerdotem sacris familiæ nostræ confessionibus audiendis Præfectum, qui pro sua quemque prudentia ad hæc divina studia vel segniorem incitare solet, vel nimis incitato, cum fuerit consentaneum, moderari.

Cæterum ob alias plurimas occupationes sibi, proximisque salutares, aliud nullum mane, vel die orandi tempus, ac spatium sibi præfinitum capiunt, & consignatum, quam quod arbitratu quisque suo ejusmodi meditationibus, & sacris precibus pie, sancteque dederit. Ad Vesperum autem, sicuti dictum est, in Oratorium publicum externis etiam quibusque viris patens, & expositum ad orationem, unde nomen accepit, sedulí convenire debent. Sed de omni orationis, & flagellorum in Oratorio ritu, & consuetudine, deque piis externorum officiis, infra post alias constitutiones, in hujus capitis appendice agendum est.

CAPUT II.

De Ecclesia, & Divini officiis.

CONGREGATIONIS nostræ Sacerdotes, ut pote divinorum administri, in Ecclesia, festis præsertim diebus, frequentes adsunt. Alii confluentibus divina Mysteria præbent, alii ad sacras confessiones audiendas intenti, à prima luce ad horam usque prandii, è subselliis suis, non nisi necessitate impulsi recedunt. Sacrum omnes quotidie peragunt, & cæteri inserviunt, potissimum

mum Clerici, qui cum res ipsa sacra solemniori ritu, & musico concentu celebranda est, bene mane descendentes in Sacrarium, Sacerdotes pia diligentia sacris vestibus ornat, & solemni sacrificio præsentes; ac diversa munera obeuntes ab ipsa Sacrorum custodia, aut Ecclesia, dum datur divinis opera, nunquam recedunt. De rebus autem ad Ecclesiam spectantibus hæc sunt nostris proposita decreta.

In Ecclesia nostra nullæ erunt statuæ vita functorum, sive ex marmore, sive ære, sive gypso, aut alia materia.

Diebus Festis semper solemni apparatu, tam Missa, quam Vesperæ celebrabuntur. Erunt etiam Vesperæ solemnes in Vigiliis Corporis CHRISTI, Nativitate Beatæ MARIÆ Virginis, & Consecrationis Ecclesiæ nostræ ad X. Cal. Junii, cujus octavæ redditur officium, & infra eam gratissima nobis recurrit memoria dormitionis Sancti Philippi Patris nostri, ad VII. scilicet Cal. Junias. Præterea intra octavam Corporis CHRISTI Vesperas quotidie decantamus.

Singulis similiter annis IV. Cal. Februarii dies Festus Sanctis PAPIAE, & MAURO Martyribus solemni apparatu celebratur, & mane ejus diei festi res sacra Diacono, & Subdiacono ministris peragitur. Vesperæ in Vigilia, & ipso die festo musico concentu decantantur. Porrò in Vigilia etiam matutinæ laudes ante cænam, coram sacris eorum Reliquiis à Sacerdotibus, & Clericis nostris una recitantur, ut debitus honor patronis Ecclesiæ, & Congregationis exhibeatur.

In translatione vero, quæ contingit III. idus Februarii idem servatur; Missa tamen, & Vesperæ solemniter non decantantur.

Dies etiam festus Sancti Gregorii Papæ Congregationis, & Ecclesiæ nostræ Patroni IV. Idus Martii est nobis, tam in primis Vesperis, quam in Missa admodum solemnis.

Alios item Sanctos, quorum sacris Reliquiis, vel insignioribus aucti sumus, Ecclesiasticis officiis singulariter veneramur. Nam

IV. Nonas Maji NEREUM, ACHILLEUM, & DOMITILLAM Martyres, duplici.

VII. Nonas Julii PATERMUTHIUM, COPRETEM, & ALEXANDRUM Martyres, quibus dicatum est Altare, semiduplici.

VI. Calendas Augusti PANTALEONEM Martyrem, semiduplici.

XI. Calendas Novembris URSULAM, & Socias Virgines, & Martyres, semiduplici.

XIX. Calendas Jan. SPIRIDIONEM Episcopum, Confessorem, semiduplici similiter prosequimur.

Quamvis vero nostri Ecclesiasticis officiis, Vesperis dierum Festorum exceptis, Ecclesiam non frequentent: cum tamen habetur aliqua singularis celebritas anniversaria, ut die festo Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis ad candelas, in capite jejunii ad Cineres, Dominica Palmarum ad Olivas, consuetis majoris Hebdomadæ diebus ad matutinas, Missam aliasque solemnes ejus temporis ceremonias. Die insuper Festo omnium Sanctorum ad Vesperas, præter consuetas, etiam defunctorum, item ad matutinas, sicut mane ad Missam. Nocte tandem Nativitatis D. N. JESU CHRISTI ad matutinas, & Missam in Chorum Ecclesiæ convenire solent.

Sed jam ab hisce Feriis veniamus ad funera.

Cum enim aliquis è nostra Congregatione è vita decesserit, singuli Sacerdotes tres Missas celebrabunt pro vita functo: qui verò Sacerdotes non fuerint, novem coronas recitabunt; in loco verò, ubi defuncti corpus fuerit præsens, recitabitur officium defunctorum; si manè fuerit, celebrabitur Missa solemnis, sin minus sequenti die Diacono, & Subdiacono ministris, sex candelis accensis in Altari, & quatuor facibus juxtà corpus. Absoluto autem officio duæ ex illis remaneant usque ad sepulturam. Quod si absens obierit, privatim recitabitur à Sacerdotibus nocturnum officium Defunctorum: Missa vero solemnis, ut suprà. Singulis item annis infrà octavam omnium Sanctorum celebrabitur Missa solemnis pro defunctis nostræ Congregationis.

Sine consensu Præpositi, & Deputatorum res sacra non celebrabitur solemni apparatu pro vita functis exteris, videlicet Diacono, & Subdiacono ministris; nec id ipsi facilè concedent, nisi mortuus Prælatus extiterit, aut eximiæ dignitatis, & honoris inter Laicos, aut certè valde benemeritus de nostra Congregatione.

Nul-

Nullum recipietur à Congregatione nostra legatum de re sacra perpetuò peragenda, nisi fortè justissima causa intercedat, & ex consensu Patrum expleti decennii.

Quæ autem hoc in loco de sacris confessionibus videntur ponenda, hæc habemus. Singulis diebus ferialibus aliquis ex Sacerdotibus ad hoc muneris delectis morari debet in Ecclesia ad confessiones audiendas: Feria verò quarta, & sexta, mane usque ad horam prandii omnes, & festis pariter diebus omnes excubare.

Nemo tamen eorum admittitur ad audiendas confessiones sine Patrum consensu, qui exegerint decennium in nostra Congregatione.

Caput III.

De salutari familiarum sermonum usu, tam in Ecclesia, quam in Oratorio.

IN Ecclesia nostra, die Sabbtho ad vacandum excepto, quatuor quotidie, nisi etiam dies festi sint, cum aliquis tantum unus sermocinari solet è sacerdotibus nostris, qui fuerint ad hoc oneris munerisque delecti, ordinata successione, verba ad vulgi præsertim captum accomodantes, & ad nullam prorsus pompam, vel vanum populi applausum declinantes, genere dicendi verè fructuoso, audientium animos pascunt; Sanctorum præsertim exemplis, ac probatis Historiis sermonem confirmantes. Vitandæ enim sunt eis quæstiones difficiles, dogmatum tractatus, & quæcunque scholas decent magis, quam Oratorium. Est autem ejus consuetudinis, qui proinde negotium id curet, stato tempore ad Ecclesiam descendere, & inter alia, quæ paranda sunt, horologium arenarium juxtà sedem sermocinantium ponere, & librum aliquem de salutaribus scriptum præceptis, aut de Sanctorum dictis, & factis, ubi octo, aut decem Auditores præsentes viderit, lectitare; cum verò quindecim, vel ut summum viginti, ære campano hora consueta signum dare, quo ille quidem audito, cui primo dicendum est, ad locum festinat, & postquam legentem paulisper audierit, ligneam sedem sex, vel octo circiter graduum ascensu sublimem conscendit, arenarium horologium juxtà positum invertit, quod semihoræ spatium præfiniat, & nullo usus procemio, ab argumento præsertim, quod in libro lectum est, sermonem orditur. In medio ejus sermone surgit custos ad signum eadem grandiori campana iterum dandum, quo habito alter dicturus secundo loco huc properat, & tantisper expectat, dum primus finem dicendi fecerit. Eodem penitus modo secundo succedit tertius, & tertio quartus. Nec horum cuiquam amplius hora dimidia datur, nec horologio solum, sed tintinnabulo, cum opus est, ad finiendum admonentur.

Sermonibus absolutis sacer concentu musico canitur hymnus, quo expleto is, qui dixit ultimus, ad orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem ter secreto recitandam invitat, & concio dimittitur. At Dominicis, cæterisque diebus festis eorum unus, quibus ad dicendum sunt ejusmodi dies consignati, in Ecclesia post vespertinum officium decantatum sermonem habet, cui semihoram aliquantulum præterire, non tamen certas jam enarratas dicendi leges, liberum esse debet. Eisdem diebus à Kal. Novembris, usque ad celeberrimum Christi Domini Resurrectionis diem, sicut etiam Dominicis, mane toto anno ab aliquo ex nostris sermo in Oratorio habendus est: Sed hac de re alias; Nunc satis est referre nostras Constitutiones huc pertinentes.

Ad sermonem habendum in Oratorio nullus admittetur ex nostris absque consensu Patrum, qui decennium expleverint in Congregatione.

Ex exteris verò nullus invitandus ad concionem habendam in Oratorio, vel Ecclesia, nisi ex Præpositi, & quatuor Deputatorum consensu.

Caput IV.

De statu Congregationis Oratorii perpetuo.

NUnc statum, & formam Congregationis nostræ penitus immutabilem in promptu ponimus duobus decretis expressam. Horum primum his verbis sancitum est.

Cum nostra Congregatio solo charitatis mutuæ nexu, neque ullis astricta votorum, juramenti, aut promissionibus hujusmodi vinculis olim per S. Patrem PHILIPPUM NERIUM, fuerit divina inspiratione instituta, atque hæc fuerit ejus, & omnium Congregationis Patrum meos semper unanimis, ac sit, ut ita perseveret, decretum est, si quando

do aliqui ex nostris putaverit ab hoc statu recedendum, & alligare Patres, fratresque ullis votorum jurisjurandi, aut promissionis vinculis, etiam si isti majorem partem conficiant, ut sit ipsis quidem liberum, quam velint ingredi Religionem, sed altera pars quamvis numero longe impar habeat omnia bona Congregationis quocunque loco posita, quandiu perseveraverit in hoc statu, nec alteri quicquam dare, vel acquisitum, vel acquirendum teneatur. Sic enim conservabitur in Ecclesia Dei circumdata varietate. Hactenus decreti verba; ut inde etiam appareat Parentem optimum in Christo nostrum adduci non potuisse, ut suos alia via filios duceret, qui pro Christiana charitate Religiosos homines, tam religiosè coluit, & pro singulari prudentia sanctissima tot ordinum instituta votorum vinculis religare se volentibus eo tempore ad omnem Christianæ disciplinæ præstantiam satis esse novit.

Alterum decretum est. Ne quis prætextu ampliandæ Congregationis, eam dissipet, atque ut confusio vitetur, quam multitudo parere solet, arctiusque inter se, qui sunt è Congregatione, amoris vinculo colligentur, quem quotidiana consuetudo conciliat, ac mores cuiuslibet ipsorum ex hoc cognosci possint, & notorum vultus conctis revereantur, statutum est, ne Congregatio alibi ullom locum recipiat, neque alterius Congregationis regendæ suscipiat onus: Si quæ vero aliorum locorum Collegia, & Congregationes nostra instituta obtinuerint, & servare voluerint, non sint illa quidem nostræ annexa, neque Clerici eorum sint è Congregatione Oratorii Romani. Quemadmodum esse debet instituti, ut unaquæque Domus, aut familia nostræ formam imitata separatim ab aliis se per se regat, & moderetur.

Caput V.

De Præpositi, & quatuor Presbyterorum deputandorum electione, & munere.

AD Congregationis, rerumque ad ipsam spectantium gubernationem, & curam Præpositos primum eligitur, quem etiam Patrem appellamus; deinde quatuor Presbyteri deputantur. De quorum omnium electione, & munere sic decernit Congregatio.

Nullus Præpositus eligetur, qui in nostra Congregatione quindecim años non permanserit, quo temporis spatio Deputati, vel ministri sit functus officio, & qui ætatis suæ annum quadragesimum saltem non attigerit.

Electio Præpositi pertinebit ad omnes Sacerdotes Congregationis, qui exacto decennio fuerint admissi ad jus suffragii ferendi: Laici vero certo sciant, se nihil ad electionem Præpositi, Deputatorum, prætectorumque juris habere, munia assignata ex præscripto dumtaxat obituri.

Tam Præpositus, quam Deputati, & cæteri Officiales eligi possunt etiam absentes.

Præesse debet in electione, absentiaque Præpositi, quasi Superior, qui primum è Sacerdotibus nostris tenet post Præpositum in Congregatione locum.

Fiet autem Præpositi electio hoc modo. Qui erit à secretis singulis electoribus schedulas dabit, in quibus scriptum, vel typis impressum sit, nomen eligendorum, ut illas in vas conjiciant, videntibus duobus ad id muneris deputandis. Eductus autem iisdem duobus cernentibus à Secretario clara voce legetur, & electus is erit Præpositus, in cujus electionem convenerint Electores medietate plures. Hunc sanè modum eligendi, donec consentiant, decies repetere possunt: post decimum verò scrutinium, si nec dum in unum pars major media conspiraverit, compromissum fiat, ut scilicet quinque solum ex electoribus Præpositum è duobus tantummodo deligant, in quos plura suffragia ex quacunque disquisitione hactenus collecta concurrerint. Quod exemplo declaratur: Si enim duo, vel plures octavum sibi numerum in suffragiis obtinuerint, vel unus, aut plures octavum, alii verò septimum; tunc cæteris omnibus rejectis, horum tantum delectus electoribus habendus est. Ipsi autem Electores quinque compromissarii quibus scilicet datum est arbitrium eligendi Præpositum, in ipsa tunc simul Congregatione ita sunt deputandi, ut singuli ad eam electionis potestatem plures sibi suffragantes habeant (non enim plura medietate suffragia in ipsis diligendis requiruntur) & ex illis constituantur, qui non fuerint inter primos eligendos numerati. His enim duobus eo tempore, nulla ad hujusmodi electionem relinquitur facultas; sed activa simul, ut dicitur, & passiva voce privantur.

Si

Si quando tandem schedulis eductis compromissarii pares exiterint, electus habeatur, qui debito in Congregatione sibi loco aliis pariter concurrentibus præstat.

Tres annos duret Præpositi munus, & confirmari possit tertio quoque anno, Congregationis arbitrio. Ad eandem mensam unà cum cæteris accedet; & assidebit; nisi impediat invaletudo.

Nihil singulare habeat in Ecclesia, mensa, cubiculo, domi, forisvè præter locum primarium, & laicum ex nostris à Deputatis assignandum, qui omnem in ejus obsequium conferant operam.

Circa rem familiarem, & bona Congregationis, administratione utatur accurata, præstetque nostris ad victum, & vestitum necessaria. At vero pauperibus, aut aliis, qui non sunt ex nostra Congregatione, quolibet mense nummi aurei summam poterit elargiri. In majori quidem summa, quotiescunque ejusmodi largitionum se dederit occasio, quatuor Deputatorum requiret consensum: Cum vero decem nummos aureos excedere contigerit, totius Congregationis. Idem in aliis cujuslibet completi operis, aut negotii servet impensis extraordinariis, & in victum, aut quotidianum familiæ nostræ usum nihil attinentibus.

Totius Congregationis gubernandæ, omniumque curandorum, quæ ad eam spectant, prima potestas sit penes Præpositum: ad ipsum enim solum pertinebit Congregationem, cum opus fuerit, convocare, tractanda proponere, rite constituta perficienda curare: exigere quoque rationem actorum, vel agendorum à singulis nostrorum, quibus est aliquod munus, vel onus quomodolibet ubique locorum mandatum, & videre, ut singula rectè expediantur. Convocabit ad hoc Congregationem quatuor Deputatorum saltem qualibet hebdomada, sine quorum consensu nihil aget, quod spectet ad universalem gubernationem domus, & eligendos, aut amovendos officiales. A proposito enim, & quatuor Deputatis cæteri officiales, & ministri triennium duraturi eligentur, excepto Confessario, ad quem eligendum plures ex Electoribus convenire debent in ipsa Congregatione proxime post Præpositum, & Deputatos electos: horum enim nullus ei muneri præficiendus est.

Domesticis autem officiis præfecti, quos officiales dicimus, suis nominibus satis noti, sunt qui sequuntur.

Sacerdos à Confessionibus.

Corrector ex Senioribus, qui secreto corripiat errantes.

Minister, qui rebus domesticis administrandis, Præpositi sententia consulta, & explorata det operam.

Præfectus Sacrarii, cujus paternæ curæ Sacrarii ministerio assignati committuntur, sicut Ministro cæteri Laici omnes.

Custos Sacrarii.

Præfectus Oratorii, & Adjutor.

Præfectus Sermocinantium in Ecclesia.

Præfectus Cæremoniarum.

Præfectus Musicæ.

Receptatores hospitum duo.

Monitor precum, quas debemus commendatis in mensa Vesperi.

Tyronum Præfectus.

Custos depositæ pecuniæ.

Negociorum domesticorum Procurator, & adjutores.

Bibliothecarius, & adjutor, qui non permittant è communi Bibliotheca libros extrahi.

Minister infirmorum, & auditores.

Præfectus ædificiorum, & adjutor.

Præfecti corrigendis legentium erroribus in mensa duo.

Aromatariæ Præfectus, & Aromatarius.

Pecuniarum Exactor, & Dispensator.

Custos Supellectilium.

Cellæ Penariæ Custos.

Cellæ Vinariæ Custos.

Custos Triclinii.

Janitores.

Hoc præsertim Congregatio singulos hujusmodi constitutione voluit admonitos.

Nemo munus à Congregatione, seu Præposito, & Deputatis demandatum recuset, sed omni animi demissione suscipiet. Quod si aliqua ex causa sibi recusandum judicabit, postquam ea, quæ senserit, debita modestia, semel, aut iterum exposuerit, nec Præpositus, & Deputati approbaverint, injunctum munus sine ulla amplius excusatione accipiet.

De Deputatis autem cum Præposito eodem tempore eligendis hæc habentur.

Post electionem Præpositi statim eligentur ei quatuor ex Presbyteris, qui decennium transegerint in Congregatione; ex quo sunt admissi ad primam probationem, & jus habeant eligendi à tota Congregatione, de quorum consensu, ut dictum est, cuncta à Præposito agentur, quæ ad universalem Congregationis gubernationem pertinere ipse judicaverit.

Ab eisdem ergo Presbyteris omnibus exacti decennii eodem modo, quo suprà, usque ad tertium scrutinium, eligentur quatuor Deputati, singuli separatim, in eadem Congregatione: post tertium vero scrutinium, nullo facto compromisso, duo eligantur, in quos plura fuerint suffragia in illa trina disquisitione collata: Si verò plures pariter concurrant eligendi, duo tantum, cæteris rejectis ad electionem pervenire possunt; illi scilicet, qui aliis de more præire debeant in Congregatione. Exemplum proponimus. Si scrutinio ter peracto, in octavum alter suffragiorum numerum pervenerit; alter vero in septimum, hos dicimus duos, cæteris omni suffragio privatis, ad Deputati munus per scrutinium provehendos. Quod si plures septimum illum numerum obtineant, illi ex eis scrutinio similiter eligendus erit, exclusis aliis, qui debeat eis in Congregatione antecedere: si rursus paria duorum fuerint eligendorum suffragia, is similiter habeatur Deputatus, qui ex instituto alterum inter nostros sit solitus antecire.

Unus è quatuor deputatis triennii præteriti (tres enim annos durat, cujusque munus) aut etiam, si placebit, duo confirmentur in tres alios annos, qui post illos confirmari amplius non possint.

Ex Deputatis item eligetur aliquis à Secretis ex ipsorum consensu Deputatorum, qui singula decreta à Congregatione Universali, vel à Præposito, & quatuor Deputatis in libro ad hæc conficiendo notabit, & litteras, ad quos contigerit, scribet. Literæ autem omnes, quæ negotia continent in alio libro sunt exscribendæ.

Deputatorum erit præterea, cum Præpositus decesserit, vel finierit ejus munus, seniorem prædictum monere, qui ejus vice interim fungitur, ut convocet ad electionem Præpositi convocandos. Quod si ille negligat, ipsi convocabunt.

Si nemine dissentiente ipsis videbitur cessatio muneris concedenda, vel indicenda Præposito ob justam causam, quatuor è Sacerdotibus exacti decennii advocabuntur. Quod si his videbitur, iidem convocent Congregationem, à qua deponatur, & eligatur novus Præpositus, sicut jam supra dictum est; eo modo tamen servato in Præposito deponendo qui in ejiciendis tenendus est.

Singulis annis mense Januario aliquis ex Deputatis cum altero non Deputato rationem omnium expensarum, quæ toto anno fiunt, singillatim inibit, eamque initam in publica Congregatione referet, ut appareant omnibus, quæ superiori anno factæ sunt expensæ, pateatque singulis contractum ne sit æs alienum & quota sit summa rei familiaris, & bonorum omnium nostræ Congregationis.

Caput VI.

De admittendis in Congregationem, & ejiciendis ex ea.

Nostræ Congregationis Patres Beati PHILIPPI Institutoris optimi morem secuti, nonnisi homines probatæ vitæ, maximè idoneos, & quasi ad institutum natos recipi volunt ad suorum numerum aggregandos, etiam ad hunc modum factis decretis.

Minores duo de viginti annis, ac majores quadragintaquinque ad primam probationem non recipiantur, neque ii, quos canones ab ordinibus arcent, nisi in ordine laicorum sint omnino permansuri: non infirmæ valetudinis: non ii, qui ingressi sunt aliquam Religionem: non nisi bonæ apud omnes famæ, qui Oratorii nostri frequentes fuerint auditores, & orationibus interfuerint, & sæpius alicui ex nostris Sacerdotibus soliti fuerint confiteri, & experimentum ceperint instituti nostri. In his tamen omnibus, si ita videatur Patribus, qui decennium expleverint in Congregatione, poterit dispensari.

Duo ex nostris Presbyteris à Congregatione eligentur, qui diligentem adhibeant curam circa eos, qui admittendi sunt in Congregationem; vel ut antequam admittantur, eorum vita, & mores omni studio explorentur. Ea propter crebra cum illis inibunt colloquia, una cum ipsis versabuntur: nec his contenti, ab illis etiam certiores reddan-

tur-

tur, qui ejusdem erunt patriæ, & quibuscum anteacto tempore, quam recipiantur, fuerint versati. Referre autem debent duo electi ad Congregationem iterum convocandam, quæcunque de illis habuerint, si quomodo scire interfint, antequam secreto suffragia ferantur.

Præter duos Patres, quos eligendos ad id muneris diximus, alii etiam Patres diligenti cura exquirent, quæ hactenus præfati sumus, & num animo veniant permanendi semper usque ad vitæ obitum in Congregatione, non alio prætextu, quam ut Deo inserviant, & observent nostræ Congregationis instituta, seu constitutiones, quas propterea antequam recipiantur, legendas Patres offerent, quo rem totam maturiori consilio deliberent.

Quomodo autem oporteat admittendos expeditas habere res suas familiares, & domesticas, habetur cap. 8. Antequam enim per secreta suffragia admittantur, debent esse expediti ad vivendum nobiscum, & habitandum, ne sic admissi extrà Congregationem degant, præter tempus dierum aliquot, ut ad summum quindecim.

Admissi ad primam probationem, non continuo tyronibus aggregabuntur, sed mensem, veluti hospites in nostris ædibus morabuntur, ut interim omnia nostra cognoscant, ac maturius deliberent, & è contra ipsorum periculum fiat, si prompti sint in omnibus parere, vel in humillimis, ac durissimis: si exercitationibus sanctarum meditationum, & Sacramentorum sint à se ipsi devoti: non contentiosi, non pertinaces, non superbi ulla omnino in re adversus majores, aut minores.

Si bonum sui specimen dederint, post mensem eorum nomina in libro ad hæc destinato notabuntur, & inde annus primæ probationis incipiet, per quod anni spatium, si fuerint in vitæ laudabilis ratione versati, in secunda probatione biennium consistent, alioquin dimittentur à Præposito, & Deputatis, quorum est munus ad primam, & secundam probationem admittere. Exacto autem triennio, si landem simili modo probatæ vitæ habuerint in convictu, ut esse possint è Congregatione nominatim decernendum est. Aggregabuntur ergo per secreta suffragia, poteruntque deinceps ad omnia ministeria, excepto Præpositi, & Deputati munere, eligi. Jus autem ipsi alios eligendi post decennium solum habebunt, nisi de consensu Deputatorum Præpositus hoc jus ex causa statuerit differendum.

Quod si quis eorum, alia nulla intercedente causa, nisi oblivionis, aut modestiæ ad tempus non petierit, quod à Congregatione fuisset acceptutus, cùm in nostrorum Catalogum admissus referetur, ab eo tempore censeatur aggregatus, quo expletum fuerit consuetum triennium, vel decennium.

Admittere ad Congregationem, & ad omnia supradicta pertinebit ad Sacerdotes expleri decenoii, & stabitur majori parti suffragiorum; ad primam tamen, & secundam probationem, ut dictum est, ad Præpositum, & Deputatos.

Nemo possit expelli è Congregatione, nisi primo in unum locum congregati fuerint omnes Presbyteri, qui decennium exegerint in Congregatione, numerandum à die, qua sunt admissi ad primam probationem, & singuli suum suffragium dederint, & quod duæ è tribus partibus statuerint, id fiat. Quod si in tres partes non poterit fieri Presbyterorum æqua distributio, tunc servabitur ratio, quæ est octo ad tredecim, ad quatuordecim, ita, ut octo, exempli gratia conficiant duas partes, sive tredecim sint Presbyteri, sive quatuordecim.

Nemo possit expelli è Congregatione, nisi propter iteratam, gravemque pertinaciam, vel grave delictum; sed qualia sint singula hujusmodi, stabitur judicio duorum partium è tribus numerandarum, ut supra.

CAPUT VII.

De Tyronum institutione.

Admissi ad primam probationem, sive Clerici, sive Sacerdotes, donec fuerint expleto triennio nostris adscripti, ejus curæ commendanrur, qui id muneris in Cóngregatione sustinet. Is ad fructum animorum omnia referens, præter virtutum singulare studium, quarum maxime compotes esse nostros oportet, cura alia quædam proponere, quæ sunt hactenus observata, ut videlicet.

Sacro quotidie inserviant.

A studiis literarum Superioris arbitrio abstineant: Hæc enim moderanda primum, ut Divioa sapientia imbuti discant amare nesciri.

Ad mensam signo dato sine ulla mora conveniant, ibique ex præscripto, Ministratoris, vel Lectoris officio fungantur.

Singuli ministrent, vel legant singulis diebus, aut hebdomadis, tam prima, quam secunda prandii, vel cænæ hora: qui vero ex eis Sacerdotes fuerint, ad primam, non nisi mane ministrare solent.

Lectionem similiter in Ecclesia, ut cuique sua fuerit constituta hebdomada, sermonibus præmittant; intersint, dum habentur, atque etiam cureot, ne quid omittatur eo tempore, quod esse solet instituti. Eam vero ministrandi, & legendi consuetudinem jam aggregati ad decennium usque retineant, vel circiter, Superiorum arbitrio, Præpositi scilicet, & deputatorum.

Ubi finem sermones habuerint, quorum quotidie duos, vel saltem uoum audierint, ut etiam valetudini quadam ex parte inserviant, in aliquam ambulationem veniant.

Vesperi ad orationem in Oratorium se conferant.

A prandio, & cæna animi recreandi gratia per horæ spatium eorum quisque in unum cum aliis locum adveniat, & omni mitigata severitate, vultu hilariori, modeste tamen sic se getat, ne alium vel joco tangat.

Si quis eorum per janitorem accersatur ab aliquo, statim ad portam domus descendat, se paucis expediat, & neminem externorum in cubiculum suum, vel omnino io ædes nostras, inscio Superiore admittat.

Nec domo, nec soli, nisi facultate ab eodem data aliquando exeant.

Nulla externorum pegotia, vel quæcunque in Congregatione degentibus, sive consuetudine, sive decreto aliquo sunt deoegata, sive Præpositi etiam licentia, administrent, aut conficiant.

Ab administratione Sacrorum, ipsoque Sacrario Festis diebus, vix necessitate coegeote recedant.

Altare cujus quisque curam suscepit, ut tempori congruit, ex vicissitudine Ecclesiastici misterii ornet.

Ter in hebdomada assignato Confessario peccata sua confiteantur, & qui non fuerint Sacerdotes, ejus arbitrio Eucharistiam accipiant.

Curent, si quid erraverint, ut sponte se correctioni subjiciant.

De Congregatione autem, ad quam convenientes in aliqua se culpa esse demonstrant, extat hujusmodi nostrorum constitutio.

Congregatio culparum Tyronum, idest eorum, qui nondum triennium in nostra Congregatione exegerint, sive Sacerdotes sint, sive Clerici, singulis fit hebdomadis, ut scilicet ad omnium communem veniant, & ea hebdomada, in qua non habetur communis, privatim apud illum, cujus curæ sunt commendati, ad suas culpas coarguendas congregentur.

Adhibere etiam, loco accusationis jam dictæ, aliquaodo solent probati cujusque auctoris lectionem, ex qua saluberrimis vicissim documentis per communicationem, & divinorum collationem imbui possint.

Caput VIII.

De præcipuis nostrorum observationibus.

Ad excolendos diviniore disciplina suorum animos, & ad Christianam, veramque pietatem magis cooformandos hæc præsertim interposita decreta servat Congregatio.

Ter in hebdomada sua peccata Sacerdoti ad hoc delecto quilibet confiteatur (nisi aliqua ioterdum de causa permittatur ab ipso quispiam aliter facere.) Hanc tamen consuetudinem à Sancto PHILIPPO Patres instituti perutilem ad salutem æternam volunt, & prædicant. Ad Eucharistiam similiter sumendam se paret, sumatque si videatur eidem, cui confessus fuerit.

Congregatio (ut dicimus) culparum decimoquinto quoque die perpetuo fiat, in qua non modo Sacerdotes interserunt, sed clerici, laicique omnes nostræ Congregatioois, & à novissimis ad primos quisque commissam à se aliquam in consuetudine familiari culpam, etiam levem flexis genibus accusat, & quoquo modo alicujus animum offenderit, petit ab illo veniam. In hac tamen accusatione publica nulla earum rerum mentio est, quarum secreta apud Sacerdotibus debeat esse confessio.

Nemo

Nemo ex Sacerdotibus alios corrigat, qui decennium Sacerdotii non expleverit in Congregatione.

Statuto igitur die congregatis omnibus, invocato primum, ut moris est, à Præposito in facris precibus Spiritu sancto, ille è Sacerdotibus, cujus est ex ordine alios corrigere (solent enim in hujusmodi munere sibi invicem succedere) in sella ad Præpositi dexteram locata vocatus assider, & perbrevi sermone ad inflammandos in Deum animos utiliter præmisso fungitur in spiritu lenitatis officio Correctoris, ac dum clericos corrigit, & Sacerdotes, caput detegit, quod in laicis corrigendis non solet. Præpositum insuper corrigendum detecto capite stans admonet.

Laici, & Clerici, ubi suas culpas accusaverint, correcti, & à Præposito de aliqua vitiosa consuetudine emendanda, vel laudabili retinenda quam brevissime etiam admoniti simul discedunt. Singuli deinde Sacerdotes, qui adhuc infra triennium approbationem expectant, se se culpant: his pariter abeuntibus remanent cæteri Sacerdotes, quorum accusatione expleta, & correctione adhibita Præpositus Deo gratias agit precibus consuetis.

Præscribetur autem forma, ut dici solet, pœnitentiarum, quam in illis conscribendis nullo modo transgredi liceat. In schedulis autem scriptæ eodem die, quo fuerint accusatæ culpæ, vesperi in triclinio sub cœnæ finem per manus è sacculo singulis distribuantur.

Hac distributione facta, ut sorte obvenerit, ordinatim, & aperte legat coram omnibus quisque suam.

Eligetur præterea, ut supra diximus, aliquis ex senioribus, qui Correctoris officio fungatur. Hujus erit unumquemque è nostra Congregatione etiam Deputatos, & Præpositum clam corrigere: quod tamen munus omni mansuetudine, & animi lenitate exequetur, se ipsum, ut ait Apostolus: considerans, ne & ipse tentetur, itaut se potius, & vita sua corrigere videatur, ut hac ratione fratres ad meliorem frugem reducat.

Quod domesticæ tandem disciplinæ studium postulat, ea hebdomada, in qua nulla est communis accusatio culparum, Laici omnes nostræ Congregationis cujus ministerio assignati apud Ministrum convenire debent, ut ab illo erudiantur, & ad tenendam salutis æternæ viam benigne instituantur.

Ad hæc, ne nostri inflammentur avaritia, vel ambitione prolabantur, ne modestiam leniter abjiciant, vel temere auctoritatem teneant, his, quæ sequuntur, constitutionibus, aliqua ex parte cautum est.

Quo Deo, divinisque rebus expeditissimè quicunque admittuntur in Congregationem se tradere possint, id maxime videbunt in primis, ne quid litigiosum sit ullo modo in rebus familiaribus, quas habens, sciantque cujuslibet anni redditus expendendos in bonos, quos ipsi judicaverint usus, neque quicquam cumulandum; ne quis scilicet è nostra Congregatione ullam curam ponat in divitiis parandis; imò verò ex censu pro suis cuique facultatibus in commune commodum Congregationis libere conferendum est; quod à nostris adeo servatum est hactenus, ut si quis ob inopiam id non præstiterit, vel præstare intermiserit, statim atque de suo abundantior quoquo modo factus est, pecuniam pro rata portione dare, ac solvere non destiterit; ita eis conveniens, ac consentaneum semper visum est stipendiis propriis militare, & à rebus etiam Congregationis tanquam ab alienis abstinere, quibus ipsa debet in primis non habentes unde vivant sustentare suos. Nec propterea pecuniam imperat Congregatio, dum exigit, quod ab hilari datore ex instituto pro victu offertur, idque etiam prout cujusque facultates ferunt.

Possunt etiam Præpositus, & Deputati partem, vel totum assignatorum proventuum remittere, si eis videatur aliqua de causa id faciendum.

Omnia secularia negotia interdicuntur nostris, nisi aliquid justa de causa mandetur expediendum à Præposito, & quatuor Deputatis.

Nulli ex nostris, quamvis fuerit requisitus, profiteri licebit sub aliqua Congregatione, vel Societate, extra domum, vel aliquod onus suscipere sine consensu Congregationis.

Cùm sint multi in Ecclesia Dei, qui audiendis Monialium confessionibus aut dant operam, aut dare optimè possunt; propterea nequis ab instituto Congregationis nostræ proprio possit adduci, statutum est, ne nostrorum aliquis se se obliget, aut dedat confessionibus audien-

dis, moribus reformandis, rebusque earum gerendis. Idem dicimus de Seminariis, Collegiis, Congregationibus, Societatibus, aut aliis universitatibus, rebusvè earum quomodolibet tractandis.

Nemo Episcopus, Præsul, aut aliqua quæcunque ea sit dignitate ornatus recipiatur in ædes Congregationis, ut in iis una cum nostris moraturus habitet, etiam si id fiat ad aliquod tempus.

Nolla Ecclesiastica beneficia petere, aut accipere unquam omnino possit; habita olim, si residentiam personalem non requirant, poterunt retinere.

Dignitates ullas nemo possint accipere, nisi Pontifex jubeat.

Nec licebit absque Præpositi, & quatuor Deputatorum consensu frequentare Curias, neque officia, vel beneficia pro se, vel pro aliis exposcere.

Nulli sit proprius famulus: si qua aliquem necessitas premet, deferet ad Præpositum, qui una cum quatuor Deputatis, quid eis opus sit, curabit.

Nec sinat quis pueros ingredi cubiculum suum, nisi ducantur ab aliis, qui testes intersint, reliquos admodum parce admittant, sed vocati deorsum ad illos se conferant.

Non admittatur aliquis ad quoscunque ordines Ecclesiasticos absque consensu Sacerdotum, qui decennium exegerint in nostra Congregatione. Eodem modo, nec ad sermones habendos, vel ad confessiones audiendas, sicut alibi dictum est.

Nemo librum imprimendum det absque licentia Præpositi, & Deputatorum.

Nulla lex à Sanctissimo confirmanda proponatur, nisi prius in eam consenserint Presbyteri exacti in Congregatione decennii.

Quando lex aliqua universalis constituenda est, Sacerdotes omnes intersint, qui expleverint triennium, votumque consultivum habeant; decisivum vero tantum qui decennium compleverint.

Cum aliquid gerendum proponitur, antea publica, & libera de ea re habeatur a Patribus consultatio; deinde aliquot transactis diebus suffragia erunt secreta, nisi fortè rei necessitas, utilitas, vel etiam aliquando modicitas, expediri statim post consultationem, de Congregationis sententia per secreta suffragia, cogant. Sed sicut dictum est, licet Sacerdotes omnes admittantur, qui exegerint triennium in Congregatione, votumque consultivum habeant; decisivum tamen solummodo illi, qui decennium expleverint.

Caput IX.

De vestitu, & consuetudine familiari.

Has præterea constitutiones, & observationes ad externam nostrorum hominum modestiam exhibemus. Ipsi ad interiorem animi virtutem habendam adhibere non negligant.

Nemo ex Fratribus nostris, aut Patribus sericum quicquam in suis vestibus gerat, præter breve, pressumque verticis operculum, confovendo capiti, & velum interiori pileo insuendum.

Forma item vestium semper servabitur conveniens clericis sæcularibus.

Nostri laici gerent vestem demissam usque ad genua; paulo vero inferius pallium.

Qui ex domesticis impensis vestiuntur, quoties opus fuerit, ministrum adeant, vel, ipso absente, Præpositum, eique proponant, quibus indigent; ipsi autem ad subveniendum expositi, quo charitatis affectu valent, eorum petitionibus satisfaciant.

In vestitu, incessu, sermone, actione, gestuque omne decorum servent, modestiamque omnem singuli præseferant; nulla tamen appareat nostrorum actio, ut dicitur, singularis à vulgari, & communi bonorum, & simplicium virorum moribus discrepans.

Quamquam vero nostrorum est consuetudo peculiaris, ut se invicem honore prævenientes, & sibi invicem obsequentes, quisque velit ad demittendum animum infimum inter alios tenere locum; ne tamen perturbetur quasi cujusdam antecessionis, aut ætatum ordo, præsertim publice in sedendo, & incedendo, aliisque actibus hujusmodi, ex Sacerdotibus præcedent illi, qui priores fuerint Sacerdotes, ex quo admissi sunt in Congregationem, ita tamen, ut si quis ex clericis exacti triennii, promotus fuerit ad Sacerdotium, tyronibus Sacerdotibus, illis videlicet, qui nondum triennium in Congregatione exegerint, præferatur. Laici autem semper clericis postponentur.

Post

Post prandium, & cœnam morabuntur omnes nostræ Congregationis homines in loco deputato per horæ unius spatium, quo elapso omnes in suum cubiculum se se conferant.

In electione vacantium cubiculorum erit optio penes seniores Sacerdotes, nisi aliter visum fuerit Præposito, & Deputatis.

Domo non egrediatur quisquam ex nostris sine permissu Præpositi, nisi expleverit decennium in Congregatione: exacto enim triennio ad usque tempus illos, vel maxime Sacerdotio nondum præditos, præpositus per se, vel per alium, peculiari quadam cura ad virtutum progressus juvare solet.

Invitatus ad prandium, vel ad cœnam extra domum nemo accedat absque permissu Præpositi.

Nemo externorum ad prandium, vel ad cænam, inscio superiore invitetur, multo etiam minus h spitio; nisi uno omnium consensu Præpositi, & Deputatorum.

Ex exteris aliquem nullus Patrum, aut Fratrum invitet ad prædia quæcunque nostræ Congregationis, nec recipiet, ut secum ibi moretur sine consensu Præpositi Congregationis.

Nullus abesse ultra mensem à Congregatione permittatur à Præposito, sive in patriam profecturus sit, sive aliò, nisi de consensu etiam Deputatorum.

Nullus è nostra Congregatione in baptismate, aut alio Sacramento quempiam suscipiet.

His apte, congruenterque addenda sunt etiam nonnulla, quæ diuturna consuetudine recepta, & probata studiosè retinentur à nostris.

Litanias enim in Oratorio vesperi singulis hebdomadis singuli Sacerdotes recitant.

In divinæ Sacrificio Missæ, non solum singuli quotidie Clerici, Laicique deserviunt, sed Sacerdotes complures laude quidem digni, sunt administri.

Mensæ præter laicos, & clericos, qui perpetuo ministrant alterni; singuli etiam Sacerdotes vespere singulis diebus ministratores adsunt.

Neque desunt ex nostris, qui se frequentet ad domos infirmorum hospitales conferant, ut opera sua ægrotantes juvent.

Domi vero cum quis nostrum ægrotaverit, omnes frequentes adsunt, subveniunt, consolantur, inserviunt, confirmant quam diligentissime.

Cum autem morti proximus quis fuerit, signo dato conveniunt omnes, tam Sacerdotes, quam cæteri, ut divinam morienti misericordiam unanimiter exposcant.

Si quando alterum quis verbo offenderit, vesperi inter cœnandum, re dubia jam explicata, flexis in medio triclinio genibus, faciens se reum; veniam ab illo petit, quem offenderit; Is vero assurgens, idemque faciens, culpam in se saltem convertit, quod occasionem dederit; injuriosus autem merita afficitur à Præposito pœna, aliquando levi, aliquando nulla.

Pœnæ autem, quæ culpis in Congregatione bis in mense accusatis imponi solent, sunt hujus fere generis. Trium priorum Sacerdotum, aut novissimorum pedes in mensa deosculari: Psalmum, cujus initium, De profundis, submissa voce, extensis brachiis, vel Psalmum Miserere, conjunctis manibus medio in triclinio recitare: in novissimo mensæ loco recumbere: humi sedendo cibum capere: Auxiliares preces ab ingredientibus triclinium flexis genibus flagitare, vel easdem petere ad delenda ante obitum pœnitendo peccata: Ante mensæ accubitum aliquid à singulis recumbentibus eleemosynæ nomine petere: Secundæ mensæ ministrare; vel in ea Lectoris officio fungi: Sacram Beatæ MARIÆ Virginis coronam pro summo Pontifice, aut pro beneficis in Congregationem nostram, aut pro mortuis nostris recitare: Infirmos, qui sunt in domibus hospitalibus, invisere, & aliis his persimiles.

CAPUT X.

De Triclinio, & communi mensa.

Assumenda tandem est tractatio mensæ ad pium in Triclinio convictum instructæ, ubi singulis nostrum idem genus, eadem portio cibi, potionisque suppetit: Legitur ipsa Italice, quandoque inter cœnandum, arbitratu Præpositi, vel ministri, hoc fere scripta exemplo.

Cum primum prandii, aut cœnæ datum fuerit signum, unusquisque nostrum in omni prorsus opere, ac negotio cessans, ad triclinium se confert. Inter eundem silentium facit, etiam dum à mensa ad locum pervenerit, in quem homines nostri ad animum recreandum convenire debent.

In

In ipso primum ingressu capite inclinato veneratur imaginem sacram è conspectu propositam ; deinde cousueto reverentiæ signo salutans alios, modestus, ac silens prope mensam, ut suo stat quisque loco, nec epulas appositas, nec alios ingredientes curiose circumspicit.

Præpositum, vel qui ejus absentis locum obtinet, postquam tantisper expectaverit, dum ex cubiculis convenire huc omnes potuerint, clare, ac distincte ex præscripto S. Romanæ Ecclesiæ mensæ benedicit, & in primo loco ipse Præpositus assidet ; deinde alii, ut quotusquisque solet in Congregatione præcedere ; Si quis vero tardior, lectione tamen Latina nondum absoluta, advenerit, stans propè januam orat paulisper tacitus, & Præposito reverentiam exhibens, proxime post alios omnes assidet : Præposito enim absenti reverentiæ, & obsequii causâ, non autem aliis, proprius relinquitur in mensa locus. Post latinam tamen mensæ lectionem non ingredietur, donec ad mensam iterum instructam consueto signo convocetur, ut ad benedictionem, & gratiarum actiones omnes conveniant. Excipiuntur tamen Confessarii, quibus permissum est festis diebus, etiam absoluta mensæ lectione, ad prandium venire. Mensæ initio donec Præpositus ad cibum capiendum se expediat (antequam enim incipiat, duos ad summum versus lectionis attendit) nemo quicquam attingit in mensa : Cavent etiam ne strepitus à principio nimius audiatur.

Singuli ex nostris iis contenti erunt, quæ ipsis apponuntur in mensa, nihil præterea exposcentes, vel per se ipsi deferentes, nisi Præpositi, vel Ministri fruantur licentia ; qui & promptiores largientur, & providebunt, quæ opus esse, & expedire unicuique judicaverint. Si earum rerum, quæ in mensam inferri solent, & apponi, aliquid cuiquam deerit, ipse quidem per se à ministris exiget, ejus tamen curæ potius erit, qui proprior consideat.

Fit in mensa silentium semper, modo non incurrat exceptio : fit enim loquendi potestas proponenti, vel respondentibus ad rem dubiam explicandam.

Præterea denunncianti post cœnam nostrorum precibus commedandos ; Præposito demum vel Ministro, cum quid occurrerit, quod Lectori committi non potuerit, nec differri debeat ; alioquin silentii lex, qua etiam Præpositus astringitur, est observanda.

Nemo in mensa literas legat, nec janitor eas deferat, vel alicui quicquam denunciet comedentium. Quod si qua imminens urgeat necessitas, negotium cum Præposito, aut cum eo, qui in illius loco succedit, collatum prius exequitur ex consensu. Idipsum servet, donec ex triclinio eo perventum fuerit, quo animi causa nostri omnes conveniunt.

Post epulas ablata mensa singuli, surgente Præposito, surgunt, & egressi ita stant prope mensam, ut, si commode id fieri possit, qui sedentes extremos occupabant locos, stantes occupent medios, & qui sedebant medii, stent extremi, singuli recto consistentes ordine. Præpositus solus dignitatis causa paululum à cæteris disjungitur. Hic igitur situs, & ordo, quo Deo optimo maximo gratiæ referuntur ; Quibus peractis egrediuntur bini ex triclinio ut qui lo mensa primus post Præpositum sedebat, ipsi egredienti se adjungat, ac cæteri deinceps eodem ordine.

Nemo in triclinio, vel in proximo vestibulo, ubi solum ad abluendas manus licet consistere, aliquam præterea moram faciat.

CAPUT XI.

Lector, & lectio Mensæ.

NOn solum corpori, sed etiam menti proprius suppeditari debet in mensa cibus. Sacra igitur ante alios libros leguntur Biblia ; deinde pia quæcunque commentaria, vel monumenta, postremo Superioris arbitrio, liber alius, in quo vel probatæ Sanctorum historiæ, vel salutaria documenta Italicè habeantur. Lector autem ante prandium, vel cœnam in suggesto se, librosque parat ad legendum ; stat nutato capite, dum preces adhibentur ad mensam, & ubi versum illum protulerit : Jube Domne benedicere ; expectaveritque donec omnes consederint, ipse etiam sedens, tecto, ac recto capite, clara voce, distinctè, atque explicate legit. Lectione jam in suas partes sapienter distributa, ab ultima non cessat, nisi jussus à Præposito ; nec is jubet, nisi ultra dimidium prandium, vel cœnam. Quod superest in mensa temporis, in quæstione, ut moris est, ponenda, ac respon-

sionibus declaranda traducitur. Lectoris erit non modo in mensa, quos diximus, legere libros, sed ad rem dubiam ponendam invitare: singulis item hebdomadis, semel, ut minimum, eorum, qui benefici fuerint in nostros, scripta nomina recitare; quæcunque tandem verbis, aut scriptis à Præposito, seu ministro jussus fuerit, referre. Nihil enim præterea legere, aut nunciare debet, quam quod sibi fuerit ab ipsis impositum. Correctus Lector verba correctoris eodem syllabarum sono, quo ille pronunciavit, repetat: Corrector autem ad hoc electus, vocabulum solum, in quo erratum est, corrigere modeste, nec alia verba interponere curet.

Legendi finem Lector faciet, cum Præpositum audierit verba illa pronunciantem: Et reliqua. Tunc ille prolato versu: Tu autem Domine miserere nobis, & Sacerdote clara voce admonito, cui sit res dubia ex ordine proponenda, descendit, & exhibita Præposito reverentia assidet in mensa, ut comedat.

Caput XII.

Res dubiæ in mensa proponendæ.

POst lectionem continuo unus aliquis ex Sacerdotibus (id enim ipsi singuli, quorum est expletum in Congregatione triennium, præstare solent) singulis diebus manè, & vespere ex litteris Sacris, ex morali disciplina, vel ex præceptis optimæ mentis, & conscientiæ aliquid proponit, quod possit in dubium, vel controversiam venire; cavet tamen, ne quid arduum, obscurum, aut nimis exquisitum ponat, quominus valeant singuli respondere. Si quando tamen aliquis non aliud responderit, quam se aliorum communi judicio stare, datur id modestiæ potius, quam inscitiæ. Is autem, cui muneris ejusmodi dies obvenerit, etiamsi lector, ut moris est, non commonefecerit, per se proponit: Si quis tamen externorum ad mensam vocatus adsit, non nisi jubente Præposito, vel alio in ejus locum constituto: neque enim tunc Lector, ut alias ipsum præmonere debet. Absenti is ad proponendum succedit, qui proximus post illum in mensa sedere consuevit. Si quis etiam tardior ad proponendum videatur, quod oblivione, vel negligentia accesserit imparatus, Præpositi est exposcere altiori voce, aut vicinioris convivæ submissa commonefacere. Duæ quidem quæstiones esse solent, quæ dubitationem habentes ponuntur in mensa: explicant alterutram singulis; solus qui proponit, ut omnem dubitationem ultimus tollat, præmeditatus ad utramque respondet. Respondentium is primis esse debet, qui proponenti proximum inferiorem locum in mensa tenet; deinde alii Sacerdotes expleti in Congregatione triennii eodem ordine. A responsis, quæ debent esse quam brevissima, recedat omnis apparatus, & ostentatio: Proponitur enim explicandum, quod dubium est, omnium nomine, ut quisque quasi discipulus à Præceptore interrogatus respondeat, etiam is, qui proposuit.

Appendix.

DE ipsis tamen constitutionibus hæc habentur.

Si quid ambiguum fuerit in nostris constitutionibus, Præpositus, & Deputati declarabunt: nullo tamen modo possint eas immutare, derogare, aut aliqua ex parte innovare, vel novas condere.

Appendix primi cap. consulto seposita.

IN Oratorio nostro ad Vesperum quotidie, dato signo, lampade, ac luminibus accensis, horologio tem arenario super Altare posito antè Sacram Beatæ Virginis MARIÆ Imaginem à solemni Christi Domini Resurrectionis die usque à Calendas Septembris hora die xxiv. ex Cal. autem Septembris ad Sanctum Pascha prima noctis orationi præfinita est: Festis verò diebus à Cal. Novembris etiam secunda; habetur eoim sermo, sitque concentus musicus.

Est autem orandi ritus, ut ubi dimidiam horam taciti in oratione, ut dicitur, mentali traduxerint, accensis ab Aedituo reliquis in Altari luminibus, & signo dato, Sacerdos, ad quem per hebdomadam pertinet, Litanias incipiat, & preces consequentes, alternis etiam multitudinis congregatæ vocibus recitandas, sibi solas reservans orationes: Cum vero ad Pacis orationem pervenerit, cujus est initium: Deus à quo sancta desideria, &c. duo confestim ex oratorii fratribus, vel ministris Sacras clementissimi JESU, ex Altari sumentes imaguncolas, Sacerdoti primum genuflexo osculandas præbent: Exosculanti autem, dicentique hinc, atque inde, Pax tecum, inclinato ipsi capite respondent: Et cum spiritu tuo. Deinde singulis, qui sunt in Oratorio, cum salutatione, qua Sacerdos usus

usus est, eas ad osculum sanctum offerunt. Cæteris interim orationibus absolutis petit ab omnibus clara voce, ut à Deo jugem in ejus cultu, & servitute perseverantiam precentur, quinquies secreto orationem Dominicam, & Angelicam salutationem recirantes: dicit enim: Petamus quæso nobis in Divinis perseverantiam, recitantes, &c. His adhibitis precibus petit iterum, ut pro summo Pontifice, Cardinalibus, aliisque Sacerdotum primarii pro Christianorum Principum concordia, Fidei propagatione, & hæresum extirpatione, atque improborum hominum obtinenda conversione utramque bis repetant. Tum inde semel pro fratribus Oratorii vita defunctis precantes illis requiem sempiternam. Postea versu illo prolato: Dominus det nobis suam pacem, Antiphonam Beatæ MARIÆ pronunciat, vel Salve Regina, vel aliam tempori magis congruentem. Tandem, qui pacis osculo per Sacras imagines primum alios, deinde se ipsos invicem salutarunt, quæcunque acceperint eo tempore orationibus commendanda, referunt Sacerdoti, qui omnes ad huc obsecrat, ut velint pro ejusmodi rebus orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem semel repetere, & Sanctissimum JESU nomen quinquies invocare. Ea prece completa, cum ipse versum pronunciaverit: Divinum auxilium maneat semper nobiscum, & ad osculum usque terræ se se omnes inclinaverint, Oratorium dimittitur.

Hic perpetuus est Orationis usus, exceptis secunda, quarta, & sexta feriis, tota præterea majori Hebdomada: His enim diebus ob memoriam flagellorum, quibus innocens pro nobis Christus Dominus cæsus fuit, se omnes in Oratorio flagellis cædunt. Est autem consuetudinis, & instituti (nisi hujusmodi dies festi sint, aut hebdomadæ Resurrectionis Domini nostri JESU CHRISTI) ut post horæ dimidiæ tacitam orationem, quam mentalem appellant, statim aliqui ex Oratorii Custodibus, vel Curatoribus flagella ex funiculis crebris contexta nodis distribuentes, missis foras (si qui sint) pueris, januis, fenestrisque diligenter clausis, lucernula tantum accensa, quæ sit intra ejus artificii laternam super Altare tunc positam, ut tantum inde Christi crucis affixi nitida, nihil tamen fulgoris emittens appareat imago, cæteris extinctis luminaribus, tenebras obducant. Tunc Sacerdos clara, lugubrique voce pronunciat versum: Iube Domne benedicere.

Passio Domini nostri JESU CHRISTI sit semper in cordibus nostris.

Recordemini Fratres charissimi, quod Dominus noster JESUS CHRISTUS fuit pro nobis venditus, osculo traditus, ad Annam primum, deinde ad Caipham Pontificem ductus, & postremo in Prætorium ad Pilatum, ubi fuit ad columnam ligatus, & flagellatus, spinea corona coronatus, ac veste purpurea circumdatus, alapis percussus, atque consputus, & Judæis traditus, ut crucifigerent, ad Calvariæ locum deductus, & crucifixus, & cum eo crucifixi sunt latrones duo, unus à dextris, & alter à sinistris; & cum dixisset: Sitio, porrexerunt ei acetum, quod cum accepisset, dixit: Consummatum est, & inclinato capite emisit spiritum (Hic singuli sibi pectus pugno tundunt) Deinde unus militum lancea, latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua, & de cruce depositus fuit in monumento novo sepultus, tertia autem die resurrexit à mortuis. Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias: Sequitur.

Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite disciplinam, &c.

Ad hæc verba arreptis funiculis nudatum corpus tamdiu verberant, donec Psalmi L. nempè Miserere, cum versu Gloria Patri, &c. & Psalmi CXXIX. cujus initium: De profundis. In cujus fine dicunt, Requiem æternam, &c. versus alterni devote pronuncientur. Insuper orationes; Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor, & Deus, qui culpa offenderis, &c. ad cujus finem fit, signo dato, flagellorum finis. Sacerdos autem ad orationem Dominicam, & ad salutationem Angelicam quinquies repetendam hortatur: deinde bis pro Pontifice, &c. & semel pro fidelibus defunctis, &c. ad eundem plane modum, quo aliis diebus orare solent, in quibus abstinent à verberibus. Hoc interim spatio singuli in tenebris, & silentio suis se vestibus induunt. Post hæc Cantici Simeonis videlicet: Nunc dimittis servum tuum Domine, &c. versus alternos recitant. Parat interim se Custos, ut cum illa verba audierit: Lumen ad revelationem gentium, &c. laternam aperiens, lumina rursus accendat. Sequitur Sacerdos orans: Da pacem Domine, & oratione illa absoluta: Deus, à quo sancta desideria, &c. offeruntur ad pacis osculum Imagines Sacræ eodem peni-

nitus ritu, quo aliis feriis. Additis interim orationibus aliis consequentibus, subdit orans. Dominus det nobis suam pacem: Respondent: Et vitam æternam Amen. Postremo Sanctam Virginem Deiparam salutant Antiphona consueta, ut anni tempus apte, congruenterque postulat; itemque cætera, ut in aliis feriis, in quibus nullus est flagellorum usus.

CAPUT XIII.

Exercitationes, in quibus versari solent Dominicis diebus.

AEdituus, vel quivis alius Custos mature diebus Dominicis fores Oratorii mane aperit: Lector succedit ad lectitandum librum optimi cujuspiam argumenti, ac salutaris tractationis, donec frequentiori concursu facto Præfectus, vel adjutor flexis genibus ad piè meditandum aliquid proponit; postea Litanias, ac cæteras orationes prosequitur, sicut Vesperi moris est quotidie facere. His absolutis unus aliquis Sacerdotum, qui ad audiendas confessiones non sunt deputati, ex Evangelio Sermonem habens ad diem recurrente, simplici stylo, ad peccata cavenda, ad optimos mores retinendos, ad omnem denique conservandam pietatem, hora non amplius dimidia adhortari solet auditores. Sermone habito, & oratione Dominica; Angelicaque salutatione repetita interrogat Præfectus, adsitne aliquis, qui noverit quempiam ex fratribus ægrotare, ut statim ad hoc muneris delectos, vel quos maluerit, mittat, qui languentem visitent, consolentur, mœrore, vel inopia sublevent, ad peccatorum confessionem, atque ad dolorem patienter, placideque ferendum hortentur. Infirmi fratris nomen, & habitatio scribitur in tabella, nè visitationis, & orationis prætermittatur officium. Septem deinceps ex fratribus ad septem Urbis Ecclesias religione, & sacris Pontificum Indulgentiis toto Orbe celebres, ac tres ad tria publica infirmorum hospitia mittuntur, ut quisque suam, quæ fortito obtigerit, vel Ecclesiam, vel domum hospitalem semel infra hebdomadam visitet: Festis enim diebus ad hæc pietatis officia fere omnes commeant. In his autem exercitationibus impendunt fere horam cum dimidia. Die autem Dominica quæcunque ultima mensis erit, præmonentur, ut ad Sinaxim se præparent, ad Eucharistiam scilicet sumendam: hoc enim Sacramenta prima quavis die mensis Dominica se communiunt, & a prandio in Oratorio, vel in schedulis compendiaria quædam documenta scripta, vel Sanctorum Imagines chartaceæ distribuuntur, ut suam quisque accipiat, & quid per Sanctum, cujus imago sibi obtigit, à Domino petere debeat, subscriptum in illa cognoscat.

CAPUT XIV.

Aliæ à prandio exercitationes, tam in Dominicis, quam in aliis Festis diebus.

POst officium Vespertinum festis quibusque diebus in Ecclesia nostra decantatum, & sermonem habitum, statim ex Presbyteris nostris, ac Laicis, cum externis Oratorii fratribus, aliisque plurimis ad suburbanum peculiarem locum frequentes conveniunt, ubi super herbam considentes, primum, qui musici sunt, pium aliquod, sacrumvè carmen concinunt; deinde quispiam sermonem non minus pietate, quam elegantia ornatum, ab Oratorii Præfecto in scriptis traditum, recitat memoriter: Quo habito rursus concinunt. Surgit post hæc Oratorii Præfectus, vel alius, cui sit à Patribus demandatum, qui aliquod ad piè, christianeque vivendum quam brevissimè proponens argumentum, alterum ad dicendum invitat, ac deinceps tertium, imo, si tempus id postulet, etiam quartum, qui omnes ad rem propositam pari brevitate, ac pietate ad suam, & audientium utilitatem sermocinantur. Cum fuerit dicendi finis, hymnus concinitur, ac demum omnes ad propria, vel ad Oratorium revertuntur. Dum vero per æstivi caloris molestias ad hujusmodi loca non licet exire, in aliquod Templum ad eas exercitationes se se conferunt. At hyeme ex Calendis Novembris usque ad Sanctum Pascha Festis diebus vesperi ad salutationis Angelicæ signum in Oratorium itur. Durat dimidiam horam mentalis oratio, Litaniæ recitantur vel à musicis conciduntur: Oratio Dominica, Angelicaque salutatio ad solitum numerum repetuntur (cum fit concentus musicus, trina est hæc repetitio) Antiphona Sanctæ MARIÆ Virginis pro temporis opportunitate mutata canitur, pium aliquod canticum musicis legibus concinitur. Sacerdos est nostris, quotusquisque est in serie sermocinantium, Dei verbum adstanti populo, qua potest utilitate, ac facilitate, per dimidiæ horæ spatium ministrat: rursus concentus efficitur: Ter prece consueta oratur Deus, Virgoque Deipara salutatur, ac cætus dimittitur.

Caput XV.

Externorum in Oratorio munera.

Ex externis Orarorii Fratribus eligitur à Præfecto in primis Rector, qui aliorum officiis præsit; Aeditui, vel custodes duo, aut quatuor, qui Oratorium scopis vettant; lampades, & candelas accendant, flagellorum, horologii, & Altaris ornandi curam gerant. Duo Item, vel quatuor ægrotantium curatores, qui infirmos frarres visitent, aliqui etiam eliguntur, qui oblatam sponte pecuniam, vel ægrotantium frarrum, vel domorum hospitalium, vel domum Oratorii commodo sincere, ac diligenter artribuant; nec omnino accipiant, nisi quam sciunt sponte oblatam, ut illud Apostoli dictum re vera servetur: Non vestra, sed vos, A secretis etiam aliquis deligitur, qui in libro quæcunque tractantur, notat. Præterea Lector, qui pias lectiones diebus festis præmittit orationi. Ad infirmos item, qui sunt in Valetudinariis, quoliber festo die perferunt corporis refectioni utilia, Medico probata.

Expensarum autem Rectori, & Oratorii Præfecto singulis mensibus, imo quoties eis libuerit, rationes ex præscripto referant: Nihil enim juri, aut potestatis est hominibus externis, & laicis in Oratorii rebus, præter administrationem à Præfecto Oratorii traditam.

Caput XVI.

Horum Electionis Ordo.

Quarto quoque mense eliguntur externi Frarres ad ejusmodi munera, hoc plane modo. Oratione Dominica, & salutatione Angelica recitatis, his Præfectus solet precibus Divinum auxilium invocare, videlicet: Veni creator Spiritus, reple, &c. Respondetur, Et tui amoris, &c. ℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur: Respondetur: Et renovabis faciem Terræ. Oratio: Deus qui corda fidelium &c.; Actiones nostras, &c. Declaratis, & publicatis recitatur hymnus. Te Deum &c. Antiphona Beatæ Mariæ. Oratio: Gratiam tuam. &c. Antiphona Da pacem. &c. Oratio: Deus à quo Sancta desideria, &c. Item oratio Dominicæ, eo tempore recurrentis, vel Sancti, cujus festum celebrari contingat. Electis pia aliqua documenta, aut observationes brevissimè leguntur.

Caput XVII.

Admonitio.

Cum sit Congregationi nostræ liberum omnes graviter delinquentes, vel statum ejus perturbantes, de convictu, & familia suorum dimovere, ac depellere: Cum satis item persuasum sit vix quemquam suæ negligentem saluris diu permansurum, ubi & progressus ad virtutes, & perfectorum pia æmulatio esse debet, Sanctus Institutor asseruit, neminem penitus has constitutiones obligare ad peccarum velle. Ipse Deus arbiter, præmia pro pietate daturus æterna, sit sua nobis benignitate propitius. Amen.

II. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, Præpositus & Presbyteri prædicti plurimum cupiant constitutiones, & institutiones hujusmodi pro firmiori earum substantia, & inviolabili observatione, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, quatenus eorum votis in præmissis annuere, aliasque desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur desiderii hujusmodi justitiam attendentes, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum duntaxat præsentium consequendum,

dum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; hujusmodi ſupplicationibus inclinati, conſtitutiones & Ordinationes prædictas, ſicut præfertur. examinatas, & recognitas, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium confirmamus & approbamus, illisque omnibus & ſingulis perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris quam facti, & quosvis alios etiam quantumvis ſubſtantiales defectus; ſiqui in præmiſſis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

III. Decernentes, modernos & pro tempore exiſtentes Præpoſitos, & Presbyteros dictæ Congregationis, ab eis prout illæ quemlibet eorum adſtringunt, nullo unquam tempore reſilire poſſe aut debere, ſed ad plenariam eorum obſervationem teneri, & obligatos eſſe, & ad id pœnis in conſtitutionibus & ordinationibus hujusmodi contentis, cogi & compelli poſſe.

IV. Sicque per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

V. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus privilegiis quoque indultis & Litteris Apoſtolicis, eidem Congregationi, illiusque Præpoſito & Presbyteris & quibusvis aliis Superioribus & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter ex expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Februarii, 1612. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Finiunt Instituta Congregationis Beati PHILIPPI, sive Oratorii Romani S. S. MARIÆ in Vallicella, Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate condita, recognita, & confirmata.

ANTE CONGREGATIONEM.

VEni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Memento Congregationis tuæ,
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

POST CONGREGATIONEM.

℣. Tu autem Domine miserere nobis.
℟. Deo gratias.

OREMUS.

DEus cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut si quid in hac tua Congregatione erroris contraximus, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster. ℣. Et ne nos. ℟. Sed lib.
℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis fratres propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Hic tandem subjicimus ejusdem Papæ prohibitionem, ne quævis Congregatio Ordinationes sub denominatione B. Philippi Nerii promulgare, aut ejusdem Instituti domos in Urbe instituere possit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei Memoriam,

I. CUm dilecti filii Præpositus & Presbyteri Congregationis Oratorii S. Mariæ in Vallicella nuncupatæ de Urbe, quibus pridem à Sede Apostolica indultum fuit, ut pro felici regimine dictæ Congregationis, statuta & ordinationes ab ipsis observandas facere & condere valeant, indulto hujusmodi inhærentes, statuta & Ordinationes condiderint, quæ de mandato nostro revisa, & per nos Apostolica Auctoritate confirmata fuerunt. Et sicut accepimus in diversis locis aliæ Congregationes ad instar primo dictæ erectæ fuerint, quæ à primo dictæ Congregationis regulis declinare noscuntur.

II. Nos

II. Nos primo dictæ Congregationis institutum in suo vigore perpetuo manere cupientes, motu proprio non ad Præpositi & Presbyterorum prædictorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero quævis Congregationes ubivis locorum institutæ, Constitutiones & instituta sub denominatione B. Philippi Nerii primo dictæ Congregationis Fundatoris, promulgare audeant, minusque in Urbe aliæ domus ejusdem instituti absque prædictorum Præpositi, & Presbyterorum licentia institui possint, sub pœnis arbitrio nostro imponendis, & per contrafacientes ipso facto incurrendis, tenore præsentium prohibemus.

III. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

Dat. Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 26. Junii 1613. Pontificatus nostri Anno octavo.

AD-

ADDITAMENTUM XLIX.

DE ORDINE ET REGULA FRATRUM HOSPITALARIORUM S. JOANNIS DE DEO.

OBSERVATIO CRITICA.

Inter Religiosos Ordines, qui S. Augustini profitentur Regulam connumeratur quoque Ordo Religiosorum Hospitalariorum institutus à S. Joanne de Deo Lusitano. Hi Religiosi diversis juxta diversas Regiones, in quibus floret, appellari solent nominibus. In Hispania enim, ubi originem habuerunt, appellantur Fratres Hospitalitatis *propter Hospitalitatis Charitatem, quam exercent erga ægrotos, quæ Charitas Ipsorum Instituti finis est. In Italia non alio veniunt nomine, quam* Fate ben Fratelli, *vel brevius,* Ben Fratelli*; quia olim ipsis mos erat sic Eleemosinas colligendi (ut a suo Fundatore didicerant) & quia eos, à quibus Eleemosinas petebant, Fratres nominabant, eos hortando ad compassionem erga Pauperes habendam. In Gallia* les Freres de la Charitè *seu Fratres a Charitate vocantur ob eximiam prorsus Charitatem & singularem curam, qua eos Henricus IV. Galliæ Rex infirmis ministrare in Hospitali suo S. Germani cernebat; quapropter idem Hospitale insignivit nomine* domûs Charitatis Joannis de Deo*: quod nomen imposterum per totam Galliam appropriatum est non solum huic Hospitali S. Germani, sed etiam omnibus Religiosis & Hospitalibus istius Ordinis in toto regno, etsi verum istius Congregationis nomen sit Congregatio S. Joannis de Deo; sic enim determinatum est à Papa Sixto V. In Germania demum* Barmherzige Brüder *seu Fratres Misericordiæ audiunt, ob misericordiam insignem, & Charitatem, quam exhibent Pauperibus ægrotis in suis Hospitalibus. Videamus jam, qualis, quantusque vir fuerit S. Joannes de Deo tantæ Charitatis instituti Fundator.*

Anno post Virginis partum trigesimo octavo supra sesqui millesimum, Carolo V. Imperatore Hispanicam Monarchiam feliciter gubernante, Granatensi Civitati Archiepiscopus præerat Don Gaspar de Avalos, ad Cujus plurima ornamenta, ea quoque accessit felicitas, quod sub Ejus Pontificatu multos Diœcesis illa eximiæ sanctitatis laude florentes habuerit viros; quos inter unus, Joannes de Deo cognominatus eminebat, humilis quidem abjectusque in oculis hominum, sed meritis apud Deum, & gratiæ donis longe clarissimus.

Huic origines Lusitano Mons-Major*, quem novum dicunt, in Eborensi Episcopatu patria fuit: Parentes media fortunæ homines, a quibus ad octavum usque annum altitis enutritus, ab iisdem, nil tale metuentibus per Clericum quemdam fuit Oropesam abductus, ubi multis annis vixit, in familiam admissus Viri*

ri probi, cui ab eo, quod profitebatur, pecorum curandorum negôtio nomen vulgo fuit el Majoral. *Hic eum, ut primum domesticis ministeriis aptam ætatem attigit, una cum cætero famulitio, gregum custodiæ destinato amandavit in campos, victum, & cætera necessaria pastoribus subsidia ministraturum: quod ille, ut tenera in ætate a parentibus avulsus ea cum diligentia, atque observantia fecit, ut & Dominis suis charus esset, & acceptus omnibus. Eo in exercitio factum jam viginti duorum annorum Juvenem vitæ militaris experiundæ cupido incessit, inscriptusque peditum numero est, quos sub Centurione, Joanne Ferrux, Oropesanuscomes ea tempestate colligi jusserat ad Imperatoris obsequia in subsidium Fonterabiæ, cui Galliarum Rex cum exercitu imminebat. Orbis nempe videndi desiderium, & amor libertatis degustandæ, quam ii fere sectari solent, qui castra sectantes solutis feruntur habenis, per latum non minus ac difficile iter vitiorum; quæ ei fuit multorum laborum periculorumque occasio, ex quibus divinitus ereptus, supernoque lumine illustratus agnovit tandem, quanto in discrimine indies versaretur, quam infelici mercede Sectatores suos mundus remuneretur: quare consultius arbitratur ad priorem Dominum Gregisque curam Oropesam reverti, dorni berilis securiorem, quam militiæ vitam ducturus. Reducem Dominus ea amplectitur Charitate, qua Filium Pater; quippe fidei, ac diligentiæ probatæ famulum & domi suæ educatum: illumque secum quatuor annos retinet: quibus expletis, cum forte inter pascendas oves sermo illatus esset à Sociis de Comite Oropesano, in Hungariam abituro, sub auspiciis Imperatoris Viennam versus moventis cum exercitu, ad probibendos earum partium accessu Turcas; Joannes (ut est diuturnioris quietis impatientior inexperta rerum ac juvenilis ætas) in familiam comitis transire statuit, parum memor, quæ sibi in priori militia accidissent. Qua in expeditione Comiti suo adeo fideliter servivit, ut nullis strenui Militis & Ministri partibus defuerit; eoque nomine Comiti & toti Famulitio gradus extiterit. Repulsis tandem Turcis, finitoque bello redierat in Hispaniam cum Comite suo, tactusque Patriæ revisendæ desiderio, quo ipsa eum itineris opportunitas invitabat, & Parentum, Cognatorumque, jam inde à prima pueritia nunquam conspectorum, trahebat amor, ad Montem-Majorem novum se contulerat: sed qui tenellus adeo discesserat inde, nec Parentum quidem suorum noverat nomina, Ei interroganti nemo certi aliquid potuit respondere; donec varie oberrans suum in avunculum incidit, senem probum ac perquam honestum, qui paterni vultus lineamenta in ipso recognoscens, omnemque ejus fortunam, postquam a patria domo abfuerat, ordine edoctus; Mater inquit, tua, Fili, paucos intra dies morte consumpta est, non ferens desiderium tui adeo tenera in ætate ita furtive abducti, ut nulla posset diligentia resciri, quis te, vel quo abstulisset: Pater autem tuus, ut se viduum simul & orbum circumspexit, protinus Olysipponem properavit, Franciscani Ordinis habitum suscepturus, in quo felici, sanctoque fine diem clausit extremum. Quare si tibi bis in partibus, meaque in domo libitum fuerit commorari, filii loco mihi eris; idque ipsis experiere rebus, quamdiu mea in familia vixeris. Mulsum doluit Joanni funestus Parentum, Matris præsertim suæ excessus, cujus ipse potissima causa fuisse videbatur; animique affectum prodebant lacrymæ, querelæque, quibus bonum quoque senem ad fletus provocabat; seque & Parentibus orbum, & Agnatis cæteris ignotum videns, magno quidem pro beneficio primum habuit oblatam ab eo hospitii tam amici commoditatem; at postea re maturius expensa, quandoquidem, inquit, mi domine, Deo placuit, parentes hinc mihi meos subducere, nihil est, cur hic cupiam commorari diutius: multa vero ratio urget, ut Patris optimi secutus exemplum procul à domo & cognatione mea locum exquiram, in quo Deo meo fideliter serviam; & quod reliquum est vitæ, hactenus peccatis inquinatæ, iisdem pœnitentia salubri expiandis impendam. Equidem confido in Domino JEsu Christo futurum, ut mihi gratia concedatur, qua hocce animi mei propositum executioni mandare valeam: quam & tu precibus ab eodem mihi satage impetrare, faustaque apprecatione donatum dimitte, ut sua me dextra deducat is, quem tibi opto Charitatis, hospitiique benigne oblati remuneratorem. Fecit senex, quod rogabatur, tenerrimoque amoris amplexu nepotem stringens, non sine ingenti copia lachrymarum, Eia, inquit, Joannes, consilia tua fortunet Deus, optimorum Parentum tuorum intercessione propitiatus, ut eorum aliquando in cœlis consortio perfruare. In hunc modum Patria denuo sua egressus Boeticam transiit, in Hispalensi territorio pascendis Fœminæ cujusdam opulentioris gregibus operam elocavit; non enim parum*

eo afficiebatur exercitio, in quo fuerat à teneris educatus. Ut omnino videatur Sapientissimus Deus in militari, ac pastoritio opere, cujus utriusque rei tanta est cum spiritualis vitæ exercitationibus similitudo, aliquanto tempore occupatum voluisse habere eum, quem illius instituendæ Magistrum pluribus ad eamdem vocandis elegerat. Cum enim in Comitis Oropesani ministeriis pingues beneque habitos intueretur Caballos; Pauperos autem ex adverso defectos viribus, nudos corpore, macie deformes: Quanto (inquiebat ipse sibi) conducibilius esset, o Joannes; curandis Te Christi membris, pascendisque intendere, quam ratione destitutis jumentis? itaque hoc incensus desiderio, cum nulla eo potiundi tunc pateret via, tristem molestamque ducebat vitam, adeo, ut ipsa quoque ovium jam dispiceret quondam gratissima cura. Aliquot interim diebus cogitabundo Illi, qua potius ratione mundo nuntium remittens, divinis sede obsequiis manciparet, meus injecta divinitus est, non inepte facturum se, si Africanas transmissus in partes, aliquando istic tempore commoraretur. Nec tardius, quam cogitarat executus propositum, bona cum novo heræ suæ gratia Calpen profectus est, ibique (res ita disponente Deo, qui heroicæ Charitatis opere aliquo promoveri volebat Eum partem illius gratiæ, quæ tam copiose esset deinde implendus) in hominem equestris ordinis nobilem incidit, de mandato Lusitani Regis cum uxore & quatuor filiabus juvenculis, ac familia reliqua eo adductum, ut in pœnam quorundam delictorum suorum, propter quæsfacultatibus etiam omnibus exutus erat, Septam (firmissimum in Africa Lusitanorum propugnaculum) transveheretur, ad aliquot inibi annorum servitutem. Huic cum suum de trajiciendo in Africam consilium aperuisset Joannes, liberali, quod Nobilis ille offerebat, si sibi adhæresceret, stipendio invitatus, una cum eo navim conscendit, & Septam appulit. Ibi per aliquod tempus commoratus, Pauperum & relegatorum Christianorum inopiæ pro viribus subveniebat, eos sustentans mercede, quam laborando propriis manibus comparabat; donec tandem Confessarii sui jussu in Hispaniam remavigavit: & Granatam profectus est, ubi in Eremitorio S. Sebastiani Martyris verba ad frequentem populi concionem faciente eximio viro Joanne Avila sacræ Theologiæ Magistro, totiusque Hispaniæ celebratissimo Concionatore, Ejusdem efficacissimis rationibus Joannes noster jam antea piis operibus bene præparatum cor habens tantopere compunitus & commotus est, ut finita concione egressus voces dure misericordiæ Divinæ imploratrices, solo sterni, homo caput parietibusque allidere, barbam, capillos supercilia vellere, aliaque agere, quæ mentis impotem significarent: tum saltuatim iisdem cum clamoribus civitatem ingressus, multa pone sequente turba, atque ingenti numero puerorum ad stultum, ad stultum, clamantium, suum prosecutus iter est, usque dum veniret in locum, ubi tabernaculum fixum habebat: manuque in libros profanos injecta, unguibus, dentibusque dilacerare omnes, pios vero utilesque gratis elargiri cuicunque petenti cæpit, nec non & imagines, & quidquid inibi habebat librariæ supellectilis. Ita brevi factum est, ut, non deficientibus, qui peterent, acciperentque, brevi spoliatus omnino, nudusque appareret. Siquidem eo, quod diximus, haud contentus, ipsas sibi quoque detraxit vestes nihil præter indusium & femoralia retinens verecundiæ tegendæ gratia. Cum pedibus ac capite discoopertis denuo per Granatæ plateas præcipuas cæpit cum magna vociferatione discurrere; nudum Christum nudus sequi appetens, seque omnibus pauperem exhibere pro eo, qui, cum esset dives, pauper factus est, ut sua omnes paupertate ditaret, eisque viam humilitatis ostenderet. Ventum erat ad templum Cathedrale non sine affectatione multitudinis plurimæ: hic cum in genua provolutus nullum finem faceret alapis, pugnisque cædendi faciem suam, vellendi crines, misericordiam à DEO cum fletu & clamore magno exposcendi. Ex honoratioribus civibus aliqui, moti compassionis affectu, neque amentiam judicantes, quæ vulgo amentia videbatur, humo sustulère afflictum, amicisque solati verbis, ad Magistri Avilæ, cujus oratione sic commotus fuerat, hospitium deduxere. Ille rem altius introspiciens exesse omnes è cubiculo jussit, solum secum Joannem retinens; qui ei ad pedes supplex accidens, postquam totius vitæ suæ cursum compendio explicasset, peccata quoque sua eidem aperuit, cum magnis veræ Contritionis indiciis, rogans atque obsecrans, suam ut in clientelam, tutelamque ipsum reciperet, quo mediante divina in eo gratia cæpit operari, quemque ex hac hora in Patrem, Dominum, Doctoremque susciperet, promptus, paratusque eidem ad extremum vitæ spiritum in omnibus obedire. Non se continebat Avila, pœnitentiæ tam sinceræ visis indiciis, quin plurimas

Deo

Deo ageret gratias ; eumque in Filiorum spiritualium numerum adsciscens, curam ejus dirigendi omnem in se suscepit : Confortare, inquit, Frater Joannes, confortare in Domino JEsu Christo, & in potenti Misericordia ejus fiduciam colloca : qui cœpit, idem & perficiet opus suum : Tu modo vide fidelis sis in eo, quod incitante exorsus es, cave ne retro oculos, mentemve reflectas, cave, ne superari te ab inimico Dæmone patiare. Quicunque in spirituali Domini nostri militia bonum ad extremam usque vitam certamen certaverint, æterna cum eo gloria perfruentur ; qui vero terga verterint pusillanimes, æternum eos exitium manet in suorum hostium redactos potestatem. Cum te tristem, afflictumque, & nova aliqua tentatione (quales recens ad hæc bella conscriptis Tyronibus deesse non solent) pulsatum senseris, ad me fidenter, amanterque recurrito ; qui animæ tuæ cognoscens vulnera, assultusque & insidias, quibus potissimum impeteris ab hoste, salubre continuo Consilium suggeram, & certam animæ medicinam, unde novas in Adversarium vires accipias. Vade, age, mea Divinaque benedictione munitus, certusque de Misericordia Numinis nunquam Tibi defutura. His Avilæ verbis monitisque recreatus, novas ad edomandam carnem vires, seque dispiciendum collegit, insanus ab omnibus, sceleratusque haberi, & quavis ignominia desiderans affici. Ergo à Magistro digressus, locum, qui Bibarrambla dicitur, petiit, ibique se in obvium luti acervum projecit, immersoque aliquoties vultu cœpit coram omnibus, qui plurimi circumstabant, præteritæ vitæ, quotquot in memoriam veniebant, peccata confiteri ; & qui in talibus, inquit, ac tantis DEUM meum, Creatoremque peccator indignissimus offendi, ecquid promereor, ut ab omnibus percussus, maleque habitus omnium fiam peripsema, ac tanquam totius mundi vilissimam pargamentum in sterquilinium contemptus abjiciar ? Nemo erat è vulgo, qui non crederet, sana eum mente penitus excidisse. Ergo, ut reipsa assequeretur, quod tantopere exoptabat, divina inflammatus gratia (ut erat luto oppletus & stercore) celeriter exurgens, rursum per vias publicas cursitare cœpit, inconditis saltibus, & clamoribus omnia amentis hominis indicia præferens. Perrexere post eum pueri, multique de vulgo, & turmatim lapillis lutoque impetebant, multa cum patientia, internaque animi lætitia tolerantem cuncta, nec cuiquam malum reponentem, quia oppleri, satiarique probris pro ejus amore, quem tantopere diligebat, votum ipsi erat præcipuum. Ligneam ferebat manu crucem, quam omnibus porrigebat osculandam : & si quis forte pro DEI amore imperasset, ut terram exoscularetur, parebat extemplo, quantumcunque fœdo in luto constitisset, aut puer esset, qui imperabat, tanto vero cum fervore hæc faciebat, ut sæpenumero lassus in terram caderet, contususque inter conclamantium verbera, colaphosque : ita enim studiose simulabat insaniam, ut insanus revera possim crederetur ; ita atterebatur molestiis, quibus eum cuncti afficiebant, & cibi, quem corpori subtrahebat, penuria, ut pedibus ægre posset insistere. Neque tamen satis erat illius ardori, sed hilari fronte, & citra querelas ultro offerebat sese iis, quibus eminus, cominusque per pueros impetebatur, lapidibus, verberibusque. Hæc cum duo primæ notæ cives permittenda diutius non putarent, Misericordia ducti arreptum per manus, extraque vulgi tumultuantis coronam protractum, in regium deduxerunt Hospitale : istuc nempe, quo curandos induci mos est eos, qui ea in urbe inciderint in Maniam ; ipsiusque Hospitalis præfecto commendarunt, ut procul à conspectu hominum haberi juberet, ea quiete fortassis ad debitam mentis temperiem revocandum.

Ille, qui nihil eorum, quæ ipsi acciderant in civitate, cognorat ; ut hominem ita male habitum, vestibus lacerum, cute lividum, plagis undique deformem conspexit ; nihil dubius, quin cerebro vitiato mens esset è suo statu dimota, continuo duci intro jubet, & de remedio adhibendo cogitari. Et principio quidem deliciarum ei aliquid ministri fecerunt, ne omnino deficeret ; verum quia major curæ, ægris istiusmodi adhiberi solitæ, pars in eo consistit, ut plagis, vinculis, carceribusque perdomiti ferociam ponant, atque ad se malo suo edocti redeant : haud multo post manus ei pedesque colligant, contortoque ex duplici funiculo verbere plagarum numerum, sane non exiguum nudum ejus in corpus congerunt. Quod fuisset amentiæ remedium aliis, Joanni nullo alio morbo laboranti, quam ingenti desiderio acerba multa pro Christi amore perferendi ; stimulus fuit, ut ea ageret, quibus satis per se promptos ad eam medicinam infirmis faciendam magis etiam animaret, irritaretque : & ó Proditores, inquiebat, omnisque boni inimici, quid est, cur tam cru-

deliter , maleque habentis miseros pauperes hosce , pauperes hosce , Fratres mei , qui mecum in hac DEI domo versantur ? satius erat vos eorum laboribus compati , ciboque reficiendis , atque à padore & sorditie emundandis intendere : siquidem pecunia annua abunde in eum finem constitutum à Regibus Catholicis est. Ergo curatores ejus , cum amentiæ junctam nequitiam crederent , utroque eum mala liberatum volentes , duplicabant ei mensuram verberum , quæ aliis , quos sola amentia tenebat infirmitas , de more infligebantur. Nec tamen cessabat ipse eo sub velamine graves eorum excessus , vitiaque à se observata arguere ; rationem sibi non aliam reddendam sciens , quam multiplicatas dupla portione plagas : ut perdifficile omnino sit vel explicare dicendo , vel cogitando æstimare , quantum perpessus Joannes fuerit ea de causa , ejusque intuitu , quem habebat hujus sui propositi Auctorem. Interim Magistro Avila nuntiatur , regio in Hospitali vinctum asservari Joannem amentem inter amentes : itaque is , qui & morbi & amentiæ genus & causam noverat , Discipulum è suis unum ablegat , qui suo ipsum nomine consolaretur. Quæ optimi Patris , Magistrique humanitas summa animi gratitudine suscepta à Joanne , visa est ei ingentis beneficii loco habenda ; quod nempe sui extra memoriam hominum in carcere positi dignaretur etiamnum recordari , deque solatio suo auxilioque cogitare. Tandem Doctoris sui Avilæ Jussu amentiæ suæ simulatæ larvam paulatim deposuit , & quietiorem se deinceps exhibere , rectique ac sani judicii manifesta cœpit signa dare. Lætus ergo Præfectus Ministrique exemptum carceribus restituunt libertati , solutumque vinculis tota domo sinunt impune spatiari. Ille autem continuo impatiens otii , quamvis nec admonente , nec jubente quoquam , manum domesticis ministeriis admovere vasa tergere, pavimenta everrere , sordes evehere magno cum infirmorum commodo pariter & gaudio , quod sibi restitutus Joannes singulari cum diligentia & charitate singulorum usibus , necessitatibusque serviret. Vota demum , quæ dudum animo conceperat serviendi infirmis ac pauperibus , executurus cum bona venia Moderatoris carceris , ab eoque accepto scripto testimonio , se mentis sanitati restitutum , etsi adhuc ob acceptas plagas satis corpore imbecillis , vale omnibus domesticis dicto , sine calceis , sine pileo ac pene sine vestibus ad aquas Lupias (Guadalupe vulgo nominant) peregrinationem instituit , gratias B. Deiparæ Virgini Dominæ suæ ac Patronæ acturus pro beneficiis ab ea acceptis , novaque subsidia ad ejus , quam moliebatur , vitæ novitatem postulaturus ab ea , cujus in omni pressura sua præsentem favorem semper se expertum testabatur. Eo in itinere superatis multis ærumnis , & difficultatibus multis in fame & siti , in frigore & nuditate (tempus enim hibernum erat , & quidem perfrigidum) absque viatico ad victum , qui mendicando tantum quærendus erat , tandem aquas Lupias advenit , Ecclesiamque ingressus DEO de genibus egit gratias , pius totus perfusus lacrymis , præsentesque ei & futuras suas obtulit necessitates , deinde Confessione peracta , & Dominici corporis refectus mysterio post dies aliquot ibi lem in oratione traductot , viam , qua Granatam reduceretur , intravit. Quo regressus , cum magnum Pauperum numerum vidisset, quas ulcerosos , rigentes , nudos frigida nox sub porticubus , domorumque vestibulis occuparat , ingenti motus commiserationis affectu constituit eorum necessitatibus aliquod remedium quærere. Ergo communicato cum viris aliquot piis Consilio , quos aliàs quoque magis erga se benevolos expertus fuerat , ex eorum liberalitate suoque lucello tantum corrasit pecuniæ , quantum conducendæ sufficeret domui in foro piscario , haud longe à loco , quem vulgus Bibarramblam nominat : ubi aliisque in locis inventos Pauperes infirmos , maleque habentes sub suum colligebat tectum : quibus fovendis storeas etiam ex juncis nonnullas , vetustaque stragula coëmit : & quoniam aliam , quam eis præberet , Medicinam nullam tum temporis habebat ad manus ; medicum iis Spiritualem quæsivit peccata sua confessuris. Posthæc ad ulteriora sese animose extendens , grandem ex humero suspendebat manticam , duasque prægrandes ollas funibus inter se colligatas , utraque arripiens manu prodibat vocifernans : Ecquis sibi ipsi facturus est bene ? benefacite vobis ipsis pro DEI amore , Fratres in Christo JESU dilectissimi. Qua nova insolitaque mendicandi formula , accedente à natura hominis voce movendo commiserationis affectui accommoda , homines passim adeo commovit ad misericordiam , ut ei suis cum Eleemosynis obviam egrederentur quam plurimi. Sic brevi crescente in immensum ægrotorum pauperum numero domus nimis angusta facta est , ut necesse habuerit aliam multo spatiosiorem conducere , in quam omnino debiles propriis humeris portabat ,

bat, quibus necessaria, quoad victum, vestitumque & lectorum stramenta, abunde à fidelium charitate oblata mira humilitate subministrabat: quibus non contentus, quæ fuit ægrotis superflua erant, aliis per civitatem egentibus, quos pudor prohibebat mendicato victum quærere, præsertim vero puellis de pudicitia periclitantibus subministrabat; quibus ultimis à mercatoribus aliisque Divitibus lanam, linum, sericum, aliaque emendicabat, quibus hæ Virgines domi bene occupatæ sibi consuerent necessaria vestimenta. Et hoc geminum valetudinarium, quod (ut vidimus) Joannes ex piorum Eleemosynis conduxit, initium fuit, & fundamentum novi, amplissimique Ordinis Fratrum Hospitalitatis infirmis præclaro animarum, corporumque profectu inservientium, & longe, lateque per orbem diffusorum. Cum casu quodam maximum in Regio Granatensi Valetudinario excitatum fuisset incendium, Joannes luculento demonstravit indicio, quam promptus esset, suam pro Fratribus animam ponendo, omnes perfectæ Charitatis numeros adimplere: Impavidus enim in ignem prosiliit, huc illuc discurrens, quousque tum infirmos, humeris exportatos, tum lectulos è fenestris projectos ab igne vindicavit, ac per dimidiam horam inter flammas jam in immensum excrescentes versatus, exinde divinitus incolumis, universis civibus admirantibus, exivit, in Schola Charitatis edocens, segniorem in se fuisse ignem, qui foris usserat, quam qui intus accenderat. Demum inter tantos, tamque continuos labores, quos pauperibus juvandis impendebat, sive cum urbe noctu diuque egrediens acerba tolerabat frigora, sive cum Ordinariis domus suæ urbisque exercitiis distinebatur, mirum non est emarcuisse vires Corporis, lenteque ipsum contabuisse: quam Ille infirmitatem suam, quia studiose celabat, ne pauperibus suis ægre esset, si sibi male esse vidissent, gravissimos diu dolores pertulit; donec tandem ita debilis effectus est, ut nullus amplius locus dissimulationi relinqueretur.

Interim quidam homines, quorum zelus erat, quam prudentia major, ad Domnum Archiepiscopum Petrum Guerrerum, qui tum Granatæ præsens aderat, detulerunt, in Hospitali Joannis de DEO variam & promiscuam hominum facem appellere: inter quos multi essent laboribus idonei, nisi gratis istic alerentur; fœminæ item malæ famæ, ac vitæ pejoris, quæ ipsi Joannis famæ multam infamiam aspergerent, ingrata pro beneficiis. Audiit delatores Episcopus, & pro sua sollicitudine pastorali Joannem, quem ægrotare nesciebat, ad sese imperat accersendum.

Ille autem nihil moratus imperantem, subitoque assurgens sistit se Præsuli, manumque exosculatus, ecquid mandaret, exquirit. Audio, *inquit Episcopus,* tuum in Hospitale viros fæminasque recipi exempli non boni, qui & alios ibidem receptos pervertant, & tibi ipsi magnas facessant molestias, quos proinde jubeo confestim amandari, ut expurgato ab ea fæce Hospitali, quieti in eo degant Pauperes, & tu eorum causa non affligâre. *Hæc locutum Præsulem humiliter, mansuetêque cum audivisset Joannes, sic vicissim reverenterque respondit:* Pater mi ac Præsul dignissime! dici rectius potuisset, solum me meo in Hospitali pravum atque incorrigibilem esse, qui proinde merear ipse expelli: inter pauperes inibi degentes cognosco neminem, qui ejusmodi sit. Quid? quod Deus quoque malos æque ac bonos patiatur, & utrisque faciat pariter suum solem lucere: ut igitur non omnes æque probi essent, qua ratione tamen ii possent ab ipsius DEI Domo eliminari, præsertim omni jam alio refugio, solatioque destituti? *Tam grata Archiepiscopo fuit conjuncta cum tenero erga pauperes affectu responsio, culpam à pauperibus omnem in se recipientis, ut tanta virtute recreatus diceret:* Ito, Benedicte DEI, ito in pace: deque Hospitali velut de propria domo tua dispone, per potestatem tibi à me expressis verbis factam. *Sicque ab Archiepiscopo in pace dimissus, domum revertitur, ubi ingravescentem vim mali sensit ex febrili frigore & succedente calore facile judicabat, quid sibi immineret. Itaque omnibus Ecclesiæ Sacramentis rite, sanctèque refectus, viribus licet destitutus, propriis indutus vestibus, à lectulo furgens, ac provolutus in genua, manu & corde Christum Dominum è cruce pendentem perstringens, octavo Idus Martii, anno 1550. obiit in osculo Domini, quem etiam mortuus tenuit, nec dimisit; & in eadem corporis constitutione sex circiter horis, quousque inde dimotus fuisset, tota civitate inspectante, mirabiliter genuflexus permansit, odorem mire fragrantem diffundens. Quem ante & post obitum pluri-*

mis

mis miraculis clarum Alexander octavus Pontifex maximus in Sanctorum numerum retulit.

A Sancto Institutore ad ipsum sanctum institutum convertatur jam oratio. Ante enim quam ex hac vita migraret sanctus Fundator, Socio suo Antonio Martin commisit Hospitale regendum curandumque: qui optimis Magistri sui instructus monitis exemplisque, eam administrationem magna cum Charitate suscepit exercuitque, ad dies aliquantos in Hospitali subsistens; donec urgente eum domestica necessitate ad aulam profectus est, à Magnatibus subsidia postulaturus ad prosequenda susceptæ Misericordiæ opera. Hic ei pii homines persuasere, ut Madriti quoque Hospitale sui instituti erigeret, pauperibus infirmis commodius tractandis, eamque in rem suam obtulere opem; qua usus perlibenter illud eo loco, ubi nunc est inchoavit, tam amplum, sumptuosumque, quam hodie cernitur; & Antonii Martini Hospitale dicitur: in quo magnus infirmorum curatur numerus e & multi hujus Ordinis Fratres sunt, Granatensibus per omnia similes; nisi quod vestium color sit obscurior aliquanto, manticamque non super humeros, sed sub axilla gestent, ne impingerent in Equites, virosque primarios, quorum istic magna turba est, & quibuscum agendum necessario & frequenter. Inchoato opere, pulchreque ad futuram perfectionem comparato, Granatam denuo revertitur Antonius, lineæ, ac laneæ vestis ingentem copiam, multasque Eleemosinas pecuniarias deferens ad usum Hospitalis: ubi, cum Archiepiscopo Petro rationem reddidisset novæ suæ molitionis, petiit, impetravitque copiam eo, unde venerat, redeundi. Ubi sancta Hospitalitatis opera cum multo pœnitentiarum rigore conjungens, ad finem vitæ perseveravit; qua feliciter consummata, accurrerunt ad honestandum funus omnes Regiæ aulæ Primates, eumque sepeliendum curarunt in præcipuo quodam sacello Monasterii S. Francisci, quod Madriti est, ubi in Domino requiescit. Post ejus autem discessum (ut eo, unde digressa est, oratio revertatur) remanserunt in Hospitali Fratres cæteri, & Magistri tam consummatæ sanctitatis adeo digni Discipuli, ut operæ pretium sit eorum vitæ cursum cognoscere, & quid post hæc ab iis actum sit. Regebant hi namque & administrabant omnia eo plane modo ac ordine, quo Patrem suum fecisse viderant, uni tanquam Superiori subjecti, quem Fratrem majorem *nuncupabant. Erat pauperum ad Hospitale confluentium multitudo maxima, omni morborum genere laborantium, nec cuiquam (quod huic Hospitali & nunc & à principio proprium fuit) negabatur accessus; adeo, ut turbam locus non caperet angustior æquo, & necessarium omnino judicaretur capaciorem alibi receptum investigare. Ergo ad Archiepiscopum liberalissimum accurrunt Fratres, quanta premantur necessitate, exponunt, facileque adducunt, ut, considerato rerum statu, de remedio cogitare velit: qui inquirens diligenter, ecqua in parte locus posset idoneus inveniri, civitati quidem propinquus, extra eam tamen, aëris salubrioris causa; placuit is, ubi nunc Hospitale est, vicinus fundo Fratrum Hieronymianorum, in quo vetus S. Hieronymi Monasterium fuisse dicebatur: reque cum Magistratu civili, Fratribusque jam nominatis collata, evicit, ut ad opus tam pium ac necessarium unusquisque eorum jure cederet, quod sibi competere prætendebant in eam aream, in qua Hospitale novum extrueretur; quo ipse liberaliter esset de suo collaturus, quantum posset, reliqua è fidelium Eleemosynis istum in finem colligendis sumerentur; eodem conferentibus Fratribus quandam pecuniæ summam, quam Episcopus Accitanus Dominus Antonius de Guevara & Avillaneda testamento legarat, hac in civitate in pia opera impendendam: nullum enim magis pium posse excogitari, in quod insumeretur. His ita conclusis, continuo admotæ operi manus sunt, & Archiepiscopus mille sexcentos ducatos numeravit, quibus ingens à civibus Eleemosynarum vis accessit, hortatore Avila, qui tum forte concionabundus aderat, atque instar alterius Moysis populum invitabat ad spontaneum in usus tabernaculi fabricandi largitionem: aliis pecuniæ summas notabiles afferentibus, aliis, quæ erant ad operarum sustentationem necessaria; mulieribus autem certatim armillas, inaures, annulos, atque omnis generis vestes diripientibus sibi tanto studio animorum, ut procedente feliciter opere tria, quæ nunc extant, educta sint latera, in quæ, ut pauperes possent quam citissime transferri, pecuniam subministravit Archiepiscopus, qua portis, fenestrisque valvæ, totique domui cætera ex ligno necessaria complementa adderentur. Causam vero non perficiendi omnino operis Diabolus attulit zizaniorum sator: lites suscitans inter*

S. Jo-

S. Joannis de Deo, & Hieronymianos Fratres. Voluit autem DEUS virgente licet orco, ut opus tam pium omnino perficeretur, & quidem juxta normam majoris Hospitalis Granatensis. Ad horum duorum primorum Hospitalium Granatensis nempe & Madritensis forma plura alia in Hispania successu temporis excitata fuerunt nempe Cordubæ, Lucenæ & alibi. Granatense, erat omnium celeberrimum, cui præerat Frater Rodericus de Siguensa, tanti ab omnibus habitus, ut communitates Reliquorum Hospitalium petierint uniri ei, quas Siguensa recipiendo incorporavit suæ Granatensi Communitati, hac accessione insigniter jam auctæ. Ea propter ejus approbationem Romà petendum duxit esse necessarium; quo Consilio ab aliis quoque probato selegit in hunc finem Fratrem Sebastianum Arias supplici libello ad Papam munitum, in quo sanctissimum Dominum Papam sufficienter & fideliter instruxit de cunctis transactis in hoc novo instituto a suo exordio usque tunc.. Sebastianus Arias impigre iter suum Romam prosecutus, Neapoli opportune invenit Joannem Austriacum, devictis Naupacti Turcis Romam triumphantis more petentem, qui eum adeo benigne ad se accedentem excepit, ut generose promiserit, se ejus libellum propria manu Papæ porrecturum, adjecta efficaci causæ tam piæ commendatione. Sanctus Pius V. Qui eo tempore sanctè præerat Ecclesiæ, confirmavit hunc Ordinem per Bullam die prima Januarii anno 1572. datam tenoris sequentis.

Approbatio Congregationis Fratrum Joannis Dei nuncupatæ, ad regimen Hospitalium pro curandis pauperibus infirmis nuper institutæ, sub Ordinariorum correctione & Regula S. Augustini.

Licet ex debito Summi Pontificatus officii nobis desuper injuncti, circa piorum locorum quorumlibet profectus, non deceat intentos existere. Hospitalium tamen, ac in eis degentium pro tempore miserabilium personarum commodo, utilitati, & subventioni, tanto nos potioribus studiis insistere convenit, quanto ipsorum miserabili conditione pensata conspicimus in Domino salubriter expedire.

1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti Filii Roderici Seguenza moderni Confratris Majoris nuncupati, Hospitalis Joannis Dei nuncupati civitatis Granatensis petitio continebat, quod licet in dicto Hospitali ipsius Civitatis, in qua adest Cancellaria Regia, & ad eam maximus extraneorum numerus pro suis negotiis ibidem pertractandis affluere assolet, & unus Major nuncupatus, & alii decem, vel octo Confratres dicto Confratri Majori nuncupato, obedientiam præstantes reperiantur, qui in Eleemosynis pro ipso Hospitali, in quo diversi Christi Pauperes utpote incurabiles, senes, mente capti, & membris impotentes, ad numerum quadringentorum, & ultra ascendentes, continue suis infirmitatibus curantur, & aluntur, & pro quorum curatione & alimento, summam sexdecim millium Ducatorum, & ultra, ex Eleemosynis à piis Christi Fidelibus ipsis Confratribus erogari solitis provenientem, singulis annis exponitur quæritandis, ipsisque Christi Pauperibus gubernandis sua Charitate impendant opera, & in eodem Hospitali dictorum Christi Pauperum numerus propter bellum, anno Superiori in Regno Granatensi contra Mauros gestum, admodum auctus existat, & Eleemosynæ minus frequenter, quam antea, hodie fieri soleant, ipsique Confratres maximo cum labore, & pro eorum cæpto opere minime retardentur, sed maximo cum fervore opus ipsum adeo laudabile assidue prosequantur. Nihilominus hominum malitia crescente, non nulli laici, avaritia ducti, Deique timore postposito, habitu Caputio nuncupato panni vulgariter Layal in illis partibus nuncupati, quo ipsi Confratres indui solent, accepto, sub falso nomine tam dicti, quam Civitatis Cordubensis; nec non de Madrid. Toletan. ac de Lucerna oppidorum Corduben. respective Diœcesibus Hospitalium, ad instar dicti Hospitalis Granatensis, fundatorum, & in quibus similia Charitatis opera, quæ à Confratribus dicti Hospitalis Granatensis exerceri solent, eleemosynas quæritare, illasque in pravos, & damnabiles eorum usus convertere ausi sunt, in maximum pauperum Christi Fidelium in eisdem Hospitalibus pro tempore existentium necessariæ subventionis detrimentum.

2. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Rodericus ad præmissa e medio facilius tollenda sibi, aliisque tam Granaten. quam Corduben. & de

de Lucerna oppidorum hujusmodi Hospitalium, aliorumque ad illorum instar de cætero erigendorum Confratribus, nunc & pro tempore existentibus, scapularium ejusdem panni Layal nuncupati super veste, seu Capotto per eos gestari solito, ad genua usque, ut ipsi ab omnibus Christi fidelibus eis eleemosynas pro præmissis porrigendas, ab aliis ex eorum Confratribus non existentibus, & sub falso nomine dictorum Hospitalium, vel alicujus eorum eleemosynas dolose & malitiose petentibus, facilius internosci valeant, deferendi, nec non in quolibet eorumdem Hospitalium, & aliorum ad eorum instar erigendorum, inter eos Confratrem unum Sacerdotem similem habitum & scapularium, qui Missas, aliaque Divina officia ibidem celebrare, nec non Sacramenta Ecclesiastica tam ipsis Confratribus, quam Christi pauperibus eisdem Hospitalibus pro tempore existentibus ministrare, illosque in Dei mandatis pie observandis instruere & confortare debeat, habendi, & retinendi, nec non eleemosynas pro eorundem Hospitalium Christi pauperum subventione, non solum in civitatibus, & oppidis, in quibus Hospitalia ipsa consistunt, verum, & etiam in toto districtu, Diœcesi, & provincia earum, de loci Ordinarii licentia, petendi & recipiendi licentiam & facultatem impetrari summopere desideret, nobis humiliter supplicari fecit, quatenus pio desiderio, ac dictorum Hospitalium, & Christi pauperum in eis, nunc & pro tempore existentium statuti consulere, aliasque, in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

3. Nos, qui Christi pauperum consolationem & subventionem sinceris desideramus affectibus, volentes Rodericum, ac Confratres, in tam pio & laudabili proposito confovere, nec non eundem Rodericum a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Roderico, ac omnibus & singulis aliis dictorum Hospitalium, nunc & pro tempore existentibus Confratribus, dummodo sub Regula S. Augustini vivant, ut super eorum veste, seu Capotto per eos gestari solito, scapularium ad genus usque eiusdem panni Layal nuncupati, continue deferre, nec non Sacerdotem unum in quolibet eorum Hospitalium, qui Confrater existat, similemque habitum ejusdem panni, majorem tamen & latiorem, ac dignitate Sacerdotali decentiorem, loci Ordinarii arbitrio pro prima vice designandum deferat, habere possit, nec non eleemosynas pro præfatis Hospitalibus, eorumque Christi pauperibus, tam in civitatibus, & oppidis, in quibus ipsa Hospitalia, (ut præfertur) consistunt, quam toties eorum districtibus, diœcesibus & provinciis ab omnibus Christi fidelibus petere & recipere, illasque in dictorum Hospitalium, & eorum Christi pauperum usus & subventiones, convertere libere & licite possint & valeant, licentiam & facultatem Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuo concedimus & elargimur.

4. Nec non tam ipsum Sacerdotem, quam Majorem nuncupatum, & alios Confratres hujusmodi sub loci Ordinarii jurisdictione, correctione, visitatione, & obedientia, etiam perpetuo supponimus & subjicimus, ipsosque Majorem, & alios Confratres de eleemosynarum hujusmodi administratione singulis annis in tempore eidem Ordinario beneviso, legale computum eidem Ordinario loci tantum, & nulli alteri reddere debere.

5. Nec non quod prædicti moderni, & pro tempore existentes eorundem Hospitalium Confratres, postquam habitum prædictum susceperint, illum dimittere, minusve eum alicui exhibere, nisi de consensu omnium aliorum Confratrum Hospitalis, in quo habitum ipsum exhiberi contigerit, sub majoris excommunicationis latæ sententiæ ipso incurrenda pœna audeant vel præsumant perpetuo statuimus & ordinamus.

6. Nec non omnibus & singulis personis cujuscunque status, gradus, Ordinis, & conditionis existentibus, præterquam locorum Ordinariis, ne quovis prætextu in regimine, guberno, aut administratione eorundem Hospitalium, aut aliorum ad ipsorum instar erigendorum, sub dicta pœna per contravenientes, similiter ipso facto incurrenda, quomodolibet se intromittere audeant seu præsumant, districtius inhibemus. Decernentes, Majorem nuncupatum, & ali-

os Hospitalium hujusmodi, nunc & pro tempore existentes Confratres super libera administratione, gubernio, & regimine dictorum Hospitalium, á quibusvis personis cujuscunque gradus, status, ordinis & conditionis existentibus, etiam sub prætextu illorum in toto vel parte fabricationum, etiam ex quocunque pro legato, vel alias quomodolibet factorum molestari, perturbari, vexari, aut inquietari nullatenus posse.

7. Præsentesque litteras nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ vel quopiam alio defectu notsri, impugnari, vel invalidari, aut in jus vel controversiam quacunque ratione vel causa vocari, aut ad terminos juris reduci, vel quodvis aliud juris, seu gratiæ remedium, contra illa impetrari posse, causamque vel causas, propter quas præsentes ipsæ a nobis emanarunt coram loci Ordinario, aut quocunque alio judice, etiam delegato, ac facultate quacunque fungente, verificare non debere, nec ob id viribus carere, aut per obreptionem obtentas, nec minus dictum Rodericum ad verificandum præmissa teneri, minusque sub quibuscunque similium, vel dissimilium gratiarum, tam per nos, quam Romanos Pontifices successores nostros quomodolibet, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis pro tempore factis quorumcumque tenorum existant includi, sed illis non obstantibus in suo robore vigere, & efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie redintegratas, & sub data per dictum Rodericum, & pro tempore existentem Majorem nuncupatum Confratrem dicti Hospitalis Granatensis eligenda, de novo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ esse. Sicque per quoscunque Judices & Commissarios, quavis authoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alia judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

8. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Granatensi, ac Ameriensi, & Cordubensi Episcopis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Roderici, seu Majoris nuncupati pro tempore existentis ipsius Hospitalis Granatensis Confratres fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra prædicta, Rodericum, & pro tempore existentem Majorem nuncupatum, aliosque Confratres prædictos, præmissis omnibus & singulis, juxta præsentium continentiam & tenorem pacifice frui & gaudere, non permittentes eos, seu eorum quemlibet, à quoquam quomodolibet indebite molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes, sed censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione postposita compescendo; ac legittimis super his habendis servatis processibus, illos censuras & pœnas incurrisse declarando, nec non eas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

9. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præsentium, ultra tres dietas ad judicium non trahatur, ac aliis quibusvis Apostolicis, nec non provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus, constitutionibus; & ordinationibus, ac statutis, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, quibusvis Ordinibus & locis, illorumque Superioribus ac personis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eisdem præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus,

contrariis quibuscunque; aut si aliquibus communiter vel divisim, ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1572. Kalen. Januarii Pontificatus nostri anno. 6.

Frater Sebastianus Arias, quamdiu Romæ moratus est, hospitium habuit in palatio serenissimi Principis Joannis Austriaci, expectans, quam petitum venerat, sui Ordinis Bullam Confirmatoriam, qua accepta, reditumque parans in Hispaniam, novis favoribus à prædicto Principe cumulatus, quinque ducatorum millia accepit, ut Neapoli excitaret Hospitale sub titulo B. V. Mariæ de Victoria; quo ædificando cum occupararetur, à Civibus Mediolanensibus vocatur ad fundandum pariter ibidem Hospitale: quorum petitioni satisfacere tunc haud potuit urgente eum necessitate redeundi in Hispaniam ad reddendam rationem commissi sibi muneris: secundo autem Romam reversus insigne Mediolani ædificavit Hospitale, hodiedum percelebre, & magnificum. Gregorius XIII. mortuo S. Pio V. Apostolicum thronum conscendit, ad quem Frater Sebastianus Arias tertio à suis Superioribus ablegatur pro Ordinis sui Confirmatione denuo obtinenda; quam & facile obtinuit, una cum pluribus privilegiis, & insuper ab eodem Pontifice in Flandriam mittitur ad serviendum ægrotis ibidem contagioso morbo laborantibus Idem Pontifex statuit Romæ ædificare Monasterium pro istius Ordinis Religiosis: quem in finem scribi jussit ad Ordinis Superiorem Rodericum de Siguenza, ut aliquos Religiosos Romam destinaret. Anno 1582. eis donavit Ecclesiam S. Joannis Calibitæ, fecitque construi Hospitale eidem Ecclesiæ contiguum, ubi sexaginta lecti in ægrotorum usum habentur. Anno 1586. cum hujus instituti Hospitalia in Italia & Hispania octodecim numerarentur, Sixtus V. permisit eis celebrare Capitulum Generale Romæ, conscribereque Constitutiones, eorum Ordinem titulo Congregationis Joannis DEI insigniens. Anno 1591. Gregorius XIV. eorum privilegia de novo confirmans in Protectorem Ordinis iis designavit Cardinalem Rusticucci tituli S. Susannæ, Vicarium Romæ. Eoutque cuncta prospere successerunt huic Ordini: Sed cum Gregorius XIV. in Bulla superius citata inter reliqua privilegia iis concessa, etiam privilegia Hospitalis Spiritus Sancti in Saxia, qui anno 1456. per Nicolaum V. exempti erant à Jurisdictione Ordinariorum, iis concessit, cumque Religiosi Congregationis S. Joannis de DEO idem privilegium sibi quoque deberi contenderent; Clemens VIII. sub prætextu, eos à sua observantia primæva nimium laxatos esse, & tantum affectantes Sacros Ordines, studiisque vacantes negligere infirmorum curam, hanc Congregationem subjecit omnino jurisdictioni Ordinariorum, probibens eos imposterum gubernari per Fratrem Majorem sicuti hactenus à prima sua institutione fuerunt, vetansque eos imposterum ad Sacros Ordines promovendos, emittereque Professionem solemnem, volens imposterum solo voto Paupertatis & Hospitalitatis odstriugi, ut habetur in Brevi, hujus Papæ de die 13. Februarii anno 1592. Interim ad instantiam Cardinalis Rusticucci, eorum protectoris, exponentis suæ Sanctitati, Hospitalia Italiæ sic disjuncta à suo Capite multum detrimenti passura, renovavit eis jus denuo eligendi Generalem per Bullam de anno 1596. Quidam putant, eum dedisse illis licentiam promovendi ad Ordines Sacros unum Fratrem in quolibet Hospitali ad subministranda infirmis sacramenta, aliaque necessaria auxilia Spiritualia iis conferenda. Hujus opinionis videtur fuisse Pater Henschenius, qui procul dubio non vidit hanc Clementis VIII. Bullam, alias non fuisset miratus, quod Religiosi hujus Ordinis petiissent ab eo licentiam promovendi quosdam de Fratribus suis ad Sacros Ordines, pro administratione Sacrorum in singulis Hospitalibus tum Religiosis ipsis, tum ægrotis: quasi (inquit hic vir doctus) Clemens VIII. non sufficienter se expressisset in eorum favorem, iis concedendo hoc privilegium: ideo enim adducit locum istum Bullæ, ubi contendit, hoc privilegium ipsis fuisse concessum, expressumque his terminis. Ut Confratres ad Sacerdotium Sacris Ordinibus initiari possint, modo juxta primum eorum Institutum in simplicitate pauperibus infirmis inserviant. *Nihilominus tamen prorsus oppositum in ista Clementina Bulla legimus; ubi expressis verbis prohibetur his Religiosis Ordines Sacros suscipere: en verba ipsa Pontificis!* Quodve Confratres hujus Congrega-

gationis, Sacerdotes, aut Sacris Ordinibus constitui esse non possunt, nec ad hujusmodi Sacros Ordines promoveri valeant, sed juxta primævum eorum Institutum in simplicitate pauperibus infirmis, ut præfertur, inservire debeant. *Necesse igitur fuit his Religiosis Anno* 1609. *suppliciter accedere Paulum V. Eique ob oculos ponere, qualiter Clemens VIII. Ipsius Prædecessor prohibuerit quemquam ipsorum Ordinis promoveri ad sacros Ordines, proindeque hanc gratiam à sua Sanctitate (Paulo V.) humiliter rogare, quia Clerici Sæculares, quorum opera utantur, plerumque nihil aliud ipsis faciant, quam solum nudam Missam celebrant. Cæterum ne toto quidem die comparent in Hospitali, imo sæpius integris noctibus emanent, sicque ægroti destituuntur necessario succursu Spirituali. Igitur Paulus V. aliquibus eorum Fratrum concessit, ut Sacris initiarentur Ordinibus, aliisque exercitiis eximerentur, ut possent eo liberius Spiritualibus necessitatibus ægrotorum vacare. Idem Papa per aliud Breve de die* 7. *Julii anno* 1611. *ad Instantiam Religiosorum hujus Ordinis in Hispania degentium, qui suæ Sanctitati ob oculos posuerunt prædictam Clementis Octavi Bullam de die* 13. *Februarii anno* 1592. *prohibentis emissionem votorum Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ non debere obesse Hospitalibus Hispaniæ, utpote in quibus semper à sua prima Institutione emittebantur prædicta tria vota superaddito insuper quarto serviendi nimirum ægrotis, concessit eis facultatem sic emittendi Professionem absoluto anno Probationis. Ipsa Bulla hæc omnia continens videatur in Bullarii Tomo* 3. *pag.* 293. *Concessit iis insuper licentiam habendi duos Sacerdotes ex Ordine in quolibet Hospitali, declarando, eos pro veris Religiosis habendos. Eandem gratiam extendit ad Hospitalia Galliæ, Germaniæ, Poloniæ & Italiæ per aliud Breve de die* 13. *Februarii anno* 1617. *videatur in Bullarii Tom.* 3. *pag.* 394. *Et anno* 1619. *per aliud Breve de die* 16. *Martii jussit eos esse exemptos à Jurisdictione Ordinariorum, salvis tamen Concilii Tridentini sanctionibus, quibus hic Pontifex nihil derogare intendit. Videatur in Bullarii Tomo* 3. *pag.* 410. *Sed Anno* 1638. *Urbanus Papa VIII. hanc exemptionem temperandam censuit, ut Episcopi haberent jus visitandi Hospitalia, in quibus essent pauciores, quam duodecim Religiosi, & ut conjunctim cum Visitatoribus Ordinis examinarent tum expensas, tum receptas pecunias ejusmodi Hospitalium. Hoc non obstante Archiepiscopus de Cagliari anno* 1659. *Jus sibi arrogavit visitandi omnia Hospitalia suæ Diœcesis indiscriminatim, sive plures, sive pauciores in iis fuissent, quam duodecim Religiosi. Verum Alexander VII. per Breve de die* 5. *Novembris ejusdem anni jussit ab omnibus Bullam Urbani VIII. inviolabiliter observari. Videatur in Bullarii Tomo* 6. *pag.* 96. *A tempore Bullæ Clementis VIII. sæpius à nobis jam supra citatæ Religiosi Hospitalarii Hispaniæ semper erant separati ab omnibus aliis extra hoc Regnum in Europa; adeo, ut ab Illo tempore duo fuerint Generales, unus, qui Hospitalibus Hispaniæ & Indiarum occidentalium, alter, qui Hospitalibus Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, & Italiæ præesset, qui residet ordinarie Romæ. Hospitalia Hispaniæ dividuntur in duas Provincias, alteram Andalusiæ, Castellæ alteram. Et cum Ordo hic in Indiis maximos fecerit progressus, in quatuor magnas Provincias dividitur, nempe Peruanam novæ Hispaniæ, terræ firmæ, & Philippinarum Insularum. Cætera Hospitalia, quæ subsunt Generali Romæ, divisa sunt in sex Provincias. Anno primum* 1601. *hi Religiosi in Gallias sunt vocati à Maria de Medicis Regina, quæ secum duxit Fratrem Joannem Bonelli, aliosque Religiosos exemplaris admodum vitæ, quibus donavit domum in suburbiis Parisiorum S. Germani dictis, ubi ædificarunt Hospitale, ædificiorum Magnificentia postea celeberrimum. Anno* 1602. *Mense Martio Henricus quartus dedit eis patentes litteras, quibus licentiam fecit ædificandi Hospitalia in cunctis urbibus & locis, ad quæ vocati fuerint per totum suum Regnum. Anno* 1617. *Ludovicus XIII. alias patentes litteras eis concessit pro Confirmatione Ordinis per totam Galliam, postquam à Papa Pio V. erectus est in veram Religionem, statuente, ut Fratres istius instituti habeantur pro veris Religiosis. Habent Vicarium Generalem, qui residentiam suam tenet Parisiis, cui competit jus visitandi cuncta Hospitalia Regni numero viginti quatuor. Iidem Fratres Hospitalarii Galli ultra mare ramos extenderunt, ædificatis tribus insignibus Hospitalibus, uno in America, in Insula Guadalupensi altero, tertio in Insula S. Christophori. Hic Ordo itidem in Polonia habet suum Vicarium Generalem.*

Anno 1617. *totius Ordinis Constitutiones, approbavit Paulus Papa V. ut infra habetur. De Ordinis hujus Disciplina hæc breviter habeto. A Festo omnium Sanctorum usque ad Pascha quotidie surgunt duabus horis ante lucem, & vadunt ad*

Oratorium suum, aut Ecclesiam, ubi post officium, quod constat certo numero Orationis Dominicæ & salutationis Angelicæ pro his, qui non sunt in sacris Ordinibus: his de die orationem mentalem faciunt, mane scilicet, & sero ante cœnam; A Paschate autem ad usque Kalendas Novembris meditatio differtur, ad horam primam post prandium. Mane exeuntes de Oratorio, & vespere exeuntes à cœna, pergunt ad Hospitale ad visitandos ægrotos, eosque consolandos, ubi manent mane usque ad tempus Missæ, & vespere usque ad horam silentii stricti. Præter jejunia ab Ecclesia præscripta superaddunt jejunium per totum Adventum, ferias sextas, & Vigiliam Nativitatis B. V. Mariæ, S. Augustini, & Patroni Titularis Ecclesiæ suæ. Disciplina corpus castigant singulis feriis sextis extra tempus Paschale, in Adventu autem & Quadragesima singulis Feriis secundis, quartis, & sextis. Singulis sexenniis Capitulum Generale totius Ordinis, ubi eligitur Frater Major Generalis; singulis autem trienniis singula Provincia celebrant Capitulum Provinciale pro eligendis Provincialibus, quorum officium per tres solum annos durat, Generalis autem per sex annos. Habitus eorum consistit in toga lanea coloris cinerei cum Scapulari & Caputio rotundo ejusdem telæ, tunicam autem seu togam cingunt cingulo coriaceo nigro. Indusia eorum sunt ex tela lanea, quam Galli & Angli dicunt Serge, *dormiuntque in linteaminibus ex eadem materia.*

Observandum hic, multum hallucinare D. Hermant in sua Historia Ordinum Religiosorum, ubi loquens de S. Joanne de DEO dicit, Innocentium XII. Eum inscripsisse Catalogo Sanctorum, cum notissimum sit, longe serius nempe ab Alexandro VIII. ut supra vidimus, eum fuisse relatum in Sanctorum numerum. Secundo à vero aberrat idem Auctor, dum dicit, Leonem X. ejus Ordinem approbasse tanquam Societatem quandam anno 1520. *dedisseque Regulam S. Augustini Sororibus Conversis; siquidem anno* 1520. *sanctus Joannes de DEO necdum somniavit de cura infirmorum suscipienda: utpote qui anno adhuc* 1522. *militiam amplexus est sub Carolo quinto Imperatore, & paulo post reversus est ad Servitium sui prioris heri: Cui circiter decem annis adhuc servivit, secundo miles factus est anno* 1532. *ut ex supra dictis à nobis clare constat: Consequenter anno primum* 1536. *conversionem suam incepit, adeo, ut anno* 1539. *renuntiationem mundo ex integro perfecerit, suumque primum Hospitale anno* 1540. *erexerit. Tertio hic Auctor male supponit, Sorores Conversas, quibus juxta hunc Auctorem idem Papa dedisse dicitur Regulam S. Augustini fuisse Ordinis S. Joannis de DEO; in quem nunquam fuerunt admissa Feminæ. Verosimile est, eum fuisse seductum à Schoonebek, in quo hæc, aliaque erronea inveniuntur: quem quisquis errantem sequitur, pariter erret, necesse est.*

His de Ordine Fratrum Hospitalariorum, ejusque Institutore B. Joanne de DEO præmissis, sequitur ipse Codex Legum & Constitutionum idiomate Italico conscriptus juxta editionem Romanam anni 1718. *continens Regulam S. P. Augustini à S. Pio quinto iis præscriptam, nec non Constitutiones Ordinis à Paulo V. approbatas; Constat enim, S. Joannem de DEO nullam aliam suis Sociis præscripsisse Regulam, aut legem, quam vita suæ exempla, quæ Sociis post ejus obitum Regula loco erant, & quidem absque ullis votis Religiosis; donec tandem eorum emittendorum licentiam Romæ petierit, & impetraverit Rodericus Siguenza totius novi Instituti Frater Major, ut supra descripsimus. En ipsum Volumen Regulæ & Constitutionum!*

RE-

REGOLA DEL P. S. AGOSTINO

E COSTITUZIONI

DELLA RELIGIONE DI S. GIO: DI DIO

Approvate dalla sa: me: di Paolo V.

Coll' aggiunta di alcune Annotazioni

Nelle quali si accennano vari Decreti Apostolici, e de' Capitoli Generali per la dichiarazione, e moderazione di alcuni punti delle medesime Costituzioni.

Si aggiungono in fine le Bolle, e Decreti, che si devono leggere da' Regolari in Capitolo, o nella pubblica Mensa ogni Anno ne' Giorni stabiliti.

TRASPORTATI IN LINGUA ITALIANA

Per uso della Religione sudetta in conformità dell'Indulto concessole dalla Sagra Congregazione de' Vescovi, e Regolari.

Suscipite Infirmos, patientes estote ad omnes.

Thessal. 1. *cap.* 5.

Cùm omnes Pauperes fovendi, adjuvandique sunt, tum illi, qui ægrotant, præcipue sunt amplectendi.

S. Gregor. Nissen. Orat. de paupert. amand.

A Santa Maria Maddalena de Pazzi diede il Signore questo intendimento in una estasi. *Che oltre modo gli dispiacevano quei Religiosi, che non voglino osservare i Statuti della loro Religione, e molto più sono d' impedimento a gli altri, che caminano in osservanza.*

Vit. part. 4. *cap.* 31.

GIOVANNI DOMENICO

Del Titolo di S. Anastasia della S. R. C. Prete Card. Parracciani della Sanita di N. S. Papa Clemente XI. Vicario Generale,

E Protettore appresso la Santa Sede Apostolica di tutto l' Ordine di S. Gio: di Dio.

A tutti li RR. Padri, e Fratelli della detta Religione della Congregazione d' Italia.

Salute, e Pace nel Signore.

DA che la Sanità di Nostro Sig. Papa Clemente XI. si degno senza alcun nostro merito, ma per sua benignità crearci suo Vicario Generale in Roma, alla qual Carica trovandosi fra le altre Protezioni perpetuamente annessa quella di

 tutto

tutto il vostro Ordine in conformità del Breve della santa memoria di Gregorio XIV., abbiamo osservato, che per l'umile, ma molto prezioso appresso S. D. M. Istituto, che professate di servire ne gli Spedali i poveri Infermi; che rappresentano in questo Mondo Cristo Signor Nostro, come il medesimo ha detto, e lo replicarà nel giorno finale - *Infirmus eram, & visitastis me* - sia stata la vostra Religione da principio, e in ogni tempo riguardata con attenzione speziale da i Cardinali Vicari nostri Predecessori, cominciando dalla fel: mem: del Card. Rusticucci, che fù il primo Protettore, a preghiere del quale la fa: me: di Clemente VIII. (come espressamente se ne dichiara il medesimo Pontefice nella sua Costituzione 44., che comincia - *Romani Pontificis* -) unendo di nuovo in un Corpo Regolare tutti i vostri Conventi, venne a rintegrare il vostro Ordine, a cui confermò nello stesso tempo tutti i Privilegi conceduti gli da' Sommi Pontefici; E la fa: me: di Pauolo Quinto per essere stato Vicario di Roma, e per conseguenza Protettore del medesimo, gli concedette altri Indulti, e lo arricchì di molte grazie, particolarmente con dichiararlo vera Religione, e quel, ch'è più, esente dalla giurisdizione de gli Ordinari, ch'è uno de' Privilegi più singolari, che possano concedere i Sommi Pontefici; il quale Privilegio è stato efficacemente difeso, e in varie occasioni sostenuto con vigore dall' autorità de' Cardinali Vicari, particolarmente della ch: me: dell' Eminentissimo Signor Cardinal di Carpegna, come lo dimostrano i Decreti ottenuti a suo tempo. E volendo noi a maggiore Gloria di Dio contribuire, per quanto possiamo, all'accrescimento spirituale, e temporale della vostra Religione, avendo præsentito in questo primo anno del nostro Uficio il desiderio di molti Religiosi delle Provincie d'Italia, di avere, e poter leggere, per maggiore profitto loro, in lingua volgare le Bolle, e Decreti Apostolici, che da tutti i Regolari nella pubblica Mensa, ò Capitolo ogni anno leggere si debbono; abbiamo procurato, che se ne ottenga l'Indulto dalla Sagra Congregazione de' Vescovi, e Regolari, di cui parimente per la beneficenza di Nostro Signore godiamo l'onore di esserne Prefetto. Di più in occasione, che il Padre Fr. Giuseppe Maria Trinchese vostro ben degno Generale divisava di raccogliere tutti i vostri Privilegi per farne un Bollario a Beneficio dell' Ordine, e che nello stesso tempo per mancanza di Esemplari voleva fare di nuovo stampare le vostre Costituzioni approvate dalla Santa Sede, però corette de gli errori scorsi nelle altre impressioni, e colle dichiarazioni fatte in diversi tempi sopra le medesime da' Sommi Pontefici, e dalle Sagre Congregazioni; affinche il tutto si facesse con buon ordine incaricassimo a uno de' principali nostri Ministri dotato dell' Intendimento necessario in queste materie, di cooperare alla sua buona intenzione con assistergli non solo in compilare il Bollario, e le dette dichiarazioni, ma anche per trasportare nell' idioma Italiono le dette Bolle, e Decreti Apostolici; le quali cose essendo state con ogni diligenza adempite, si danno per ora alla luce le Costituzioni dell' Ordine, e i Decreti Apostolici tradotti in volgare, visti, riconosciuti, & approvati dal Reverendissimo P. Maestro del Sag. Palazzo; del che avendone dato parte a N. Signore (a cui, come vero Padre de' Poveri, è molto a cuore il vostro Istituto, e verso il quale in varie occorrenze ha mostrata la sua beneficenza) Sua Santita si è degnata col suo Paterno Amore di benedire questa Opera. Per tanto esortiamo nel Signore le Paternità, e Riverenze Vostre a riceverla con quella stima, che si deve, e di osservare con puntualità quanto in essa si contiene, considerando, che li mentovati Decreti sono Oracoli emanati da' Sommi Pontefici per lo stabilimento della Disciplina Regolare, e le Costituzioni sono un Codice di quelle leggi, le quali nel giorno, che avete fatta avanti il Sagro Altare la solenne Professione, vi siete obbligati di osservare, e che per la osservanza delle medesime vi è stata promessa per ricompensa dallo Spirito Santo, per quanto si legge ne' Proverbi cap. 29. la Beatitudine, cioè la Vita eterna - *Qui custodit legem beatus est* - ; come per lo contrario a i Trasgressori della legge viene minacciato da S. Paolo il giudizio tanto più severo, quanto che dovrà farsi nel tremendo Tribunale di Dio - *Quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* - Il Signore per sua Divina misericordia ve ne liberi, e vi conceda lo Spirito del vostro Santo Patriarca Giovanni di Dio, affinche come suoi veri figli, e imitatori possiate corrispondere alla vostra sublime vocazione, qual' è di adempire i doveri della Vita Regolare, e di servire con carità i poveri Infermi. Ci raccomandiamo per ultimo alle vostre Sante Orazioni con augurarvi dal Cielo ogni felicità. Dato in Roma questo di primo Novembre 1718.

G. D. Card. Parracciani Vicario, e Protettore.

N. A. Canonico Cuggiò Segretario.

Fr.

FR. GIUSEPPE MARIA
TRINCHESE
MINIMO SERVO
Priore Generale della Religione di S. Gio: di Dio

Della Congregazione d' Italia.

Alli MM. RR. Padri, e Fratelli della detta nostra Congregazione.

SALUTE NEL SIGNORE.

DOpo che nel decorso del nostro Generalato abbiamo ottenuto per la Dio grazia dalla Santita di N. S. Papa Clemente XI. Benefattore insigne di tutto il nostro Ordine la Estensione dell' Offizio del nostro S. Patriarca Gio: di Dio a tutta la Chiesa Universale, e consecutivamente di farlo porre con Elogio speziale nel Martirologio Romano; abbiamo per debito del nostro Ufficio posta la mente in quel, che è piu necessario al Bene comune della nostra Religione; Et avendo osservato nelle Visite da noi fatte tre principali bisogni. Il primo, che le Bolle, Privilegi, e Decreti Apostolici emanati in diversi tempi a favore della medesima, parte sono ignorati, altri per essere stampati in fogli volanti, in pochi Conventi se ne conservano gli Esemplari; si è stimato dal nostro Diffinitorio Generale, cioè da Noi, e dalli MM. RR. Padri Alessandro Martinetti Procuratore Generale, e Girolamo Malatacca Priore del Convento di Roma, non solo utile, ma necessario, e molto opportuno provedimento di unirli tutti con alcune Annotazioni in un Tomo sotto il Titolo di *Bollario dell' Ordine di S. Gio: di Dio.* Il secondo è, che le Bolle, e Costituzioni Apostoliche, le quali si devono leggere ogni anno da tutti i Regolari nella pubblica Mensa, ò in Capitolo ne' giorni stabiliti, attesa la umiltà del nostro Istituto, che non fà professione de' Studi, per consolazione loro si è ottenuto dalla Sagra Congregazione de' Vescovi, e Regolari coll' autorita dell' Eminentissimo Signor Cardinal Parracciani Prefetto, e nostro vigilantissimo Protettore, l' Indulto, che trasportate nella Italiana favella, per esser pienamente intese, potessero così leggersi in detti tempi. Il terzo, e ultimo è la mancanza degli Esemplari della Regola del P. S. Agostino, e delle nostre Costituzioni; e quelli, che si trovano tanto della prima, che delle altre Impressioni sono in tal modo scorretti, e pieni di molti errori, che in alcuni luoghi, com' è stato riconosciuto nel rincontrarli coll' Originale, ò sia Testo latino, che si conserva nell' Archivio della Religione, variano il senso delle medesime Costituzioni; percio con gran diligenza si è procurato di formare sopra il detto Testo un nuovo Esemplare coll' aggiunta di alcuni Preamboli, e di molte dichiarazioni, e annotazioni necessarie come anche delle Formole delle nostre Funzioni, ed altre notizie per Istruzione loro, spezialmente de' Superiori. E perche prima di cominciare le dette Opere, ne abbiamo dato parte (come richiede il nostro debito, e ce lo ingiugnono le Costituzioni) al detto Eminentissimo Protettore, si è degnata Sua Eminenza per sua benignita non solo approvare la nostra determinazione, ma anche di darcene un' impulso speziale per adempirla, e, quel ch' e piu, l' ajuto, e assistenza di una Persona intelligente, versata nella Curia Romana, è molto affezionata al nostro Istituto, a effetto di non errare in cose, che per noi non sono di poca importanza; Ed essendo a gloria di Dio già compite le dette Opere, abbiamo considerato essere spediente di non dare altro indugio, ma di pubblicarle, e darle alle stampe cominciando dalle Costituzioni dell' Ordine unite colle dette Bolle, e Decreti Apostolici in volgare, alle quali seguirà in appresso il Bollario sudetto, benche nelle riferite Annotazioni si accennano le dichiarazioni, e le moderazioni fatte dalla Santa Sede Apostolica alle mentovate Costituzioni, come anche una gran parte de' nostri Privilegi.

VI

Vi presentiamo dunque prima di ogni altro, Padri, e Fratelli cariffimi, colli Decreti Apostolici trasportati come sopra, un nuovo Esemplare della Regola, che abbiamo professato, divisa per maggior chiarezza in Capitoli, e di quelle leggi, le quali sono i fondamenti, dove è stabilita la nostra Religione: Perciò non solo non bisogna trascurarle, secondo l' auvertimento dello Spirito Santo · *ne dimittas legem Matris tuæ* · ma dovete averle in tanta alta stima, quanta Christo Signor Nostro disse a Santa Maria Maddalena de Pazzi, - *stimerai la tua Regola, e Costituzioni di essa insieme con i Voti, quanto voglio, che tu stimi me stesso* - : E perche la stima si renderebbe sterile, se non si manifestasse colla osservanza di esse; son tenuti i Superiori tanto Provinciali, che locali di spesso incaricarne i Sudditi loro, (delle Anime de' quali debbono rendere strettissimo conto al Signore nel punto della morte loro), e i Religiosi tutti devono averle di continuo nelle mani, e sotto gli occhi, come uno specchio, avanti il quale possono riformare la vita, e i costumi loro. Ricordiamoci, che l'Apostolo ci manifesta la volontà del Signore, qual'è, che noi siamo Santi · *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra* - , e nel medesimo tempo ci comanda di stare saldi nella nostra vocazione - *manete in vocatione, qua vocati estis* - , a effetto, che per mezzo di questa possiamo acquistare la perfezione, che è la vera Santità: Ora essendo noi stati chiamati da S. D. M. non solo alla Religione, ma a servire nello Stato Religioso i poveri Infermi con vigilie cootinue, e fatigosi lavori, che è il piu aspro, rincrescevole, e penoso della nostra Vita Regolare, è che spesse volte ci caggiona mortali infermità; per adempire i doveri dell'uno, e dell' altro l' unico mezzo e la Regola, e le Costituzioni stabilite nell' Ordine, per la strada delle quali senza traviare il sentire nè alla destra, nè alla sinistra averemo sempre l' assistenza di Dio, e caminaremo di continuo *in Sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris*, sinche giungeremo alla meta, che è la eterna salute; e benche alcuni punti delle dette Costituzioni pajano minuzie, e cose di poco momento, non per questo si hanno a trascurare; perche il Religioso, affinche non sia inutile il suo soggiorno nel Chiostro, deve bandire ogni Infingardagine, & approffittarsi di ogni piccola occasione di piacere a Dio, e crescere nelle virtù, il che si ottiene con essere pontuale nell' osservare anche le cose minime; e lo Spirito Santo stima, che quell' Anima sia veramente beata, la quale ripiena del santo Timore di Dio in questo Mondo, non si contenta del poco, ma *in mandatis ejus cupit nimis*; anzi la Gloria eterna secondo l' espressioni, che, ne fece il nostro Divino Maestro, e il guiderdone della fedeltà particolarmente nelle cose piccole, *quia super pauca fuisti fidelis intra in gaudium Domini tui*. Il che con maggior profitto possono adempire i Religiosi di S. Giovanni di Dio, che giorno, e notte stanno negli Spedali, se colla dovuta diligenza, e attenzione faranno totti gli Esercizi di esso, e procureranno di osservare tutte le cose, che prescrivono le Costituzioni loro circa il Servizio de gl' Infermi, maggiormente perche ogni piccola servitù, che faranno a questi, si risonde al Figlio di Dio, il quale lasciò scritto per ammaestramento nostro, *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Felici dunque noi altri, che siamo stati chiamati dalla Divina Providenza ad uno Istituto umile rispetto a i Ministeri, ch' esercita, molto utile al Prossimo, e gratissimo a Dio; Istituto, che venendo pontualmente osservato, porta seco il Carattere della Predestinazione alla Gloria, perche non meno è Articolo della nostra Santa Fede, che *vi sia la Beatitudine per gli Eletti*, di quell' altro, che *sieno Beati quelli, i quali usano misericordia verso i Poveri*: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, perche l' uno, e l' altro è stato rivelato alla Santa Chiesa dalla eterna Verità, che non puole mentire. Preghiamo il nostro Patriarca S. Giovanni di Dio, che interceda dal Sommo Datore delle Grazie a noi suoi figli una parte del suo santo fervore per potete colla osservanza della Regola, e delle Costituzioni, che abbiamo professato, adempire il suo Santo Istituto della Ospitalità, affinche imitandolo quà giù in Terra, possiamo farli compagnia nel Cielo, da dove, nel mentre che noi, il quali indegnamente teniamo il suo luogo in terra, vi benediciamo, si degni come Padre amoroso darci la sua santa Benedizione.

Dato dal nostro Convento di S. Gio: Calibita di Roma li 30. Ottobre 1718.

Fr. Giuseppe Maria Trinchese Priore Generale.

Fr. Domenico Gambacorta Segretario.

PRE-

PREAMBOLO I.

Della Regola di S. Agostino.

E qualmente l' Istituto, e Ordine della Ospitalità fondato da S. Gio: di Dio fù approvato sotto la detta Regola.

SI tiene comunemente per indubitato, che'l Padre S. Agostino sia stato l' Autore di quella Regola, che porta il suo Nome, e sotto la quale militano molti Ordini Regolari dell' uno, e l' altro sesso: Solo è in controversia, se fosse stata data prima a i Canonici Regolari, come pretende il Padre Gabriele Pennoto del dett' Ordine; o a i Frati Romiti vicino Ippona, come dice il Padre Suarez Gesuita, e sostiene il Padre Cristiano Lupo Agostiniano; o vero sia stata fatta, e data solamente alle Monache, giusto 'l sentimento del Card. Bellarmino; perche solo si trova scritta in una delle lettere del detto Santo, che è la 109. secondo le antiche edizioni, e la 211. nella nuova edizione fatta da i Padri Benedettini di S. Mauro: Questa lettera fù diretta ad alcune Monache, le quali (per quanto ivi si legge) erano sotto la giurisdizione dello stesso Santo Vescovo, e nel Monastero di esse era stata Superiora, finche visse, S. Perpetua Sorella del Santo; per la di cui morte avendo le Monache eletta un' altra Superiora, questa dopo averle governate per molti anni con gran prudenza, e carità, come una vera Madre, fecero tumulto per mutarla, senza sapersene la cagione; del che S. Agostino riprendendole addusse loro molte ragioni, per le quali non dovevano fare tale novità: E perche forse ciò era seguito per non esservi regolamento fisso, e stabile in quel Monastero, il Santo nella stessa lettera diede loro la Regola, che è quella, di cui si tratta; la quale poi (mutate, e levate alcune cose, che appartengono solamente alle Monache) fù data anche a i Religiosi da S. Benedetto Juniore Abate Aniniense, il quale visse nel nono secolo, come dice Ugone Menardo citato dal Padre Papebrochio; e dal detto Abate forse furono aggiunti li primi due periodi, cioè.

Ante omnia, Fratres Carissimi, diligatur Deus, deinde Proximus; quia ista præcepta sunt principaliter nobis data.

Perche S. Agostino nel luogo citato incomincia la Regola dalle parole, che sieguono, cioè. *Hæc sunt.*

Il motivo poi, pel quale la maggior parte delle Religioni professa la detta Regola, lo dice S. Francesco di Sales con le seguenti parole.

Per l' Authorità grande di S. Agostino meritata per la Santità della sua Vita, e per la incomparabile dottrina, della quale ha ornato la Chiesa, ha fatto, che sia stato il più seguitato, e osservato tra tutti i legislatori de gli Ordini Religiosi: Così il Salvatore, in cui abitando (come dice Girolamo Santo) gl' ispirò questa Regola talmente animata dallo Spirito di Carità, che in tutto, e per tutto non spira, che dolcezza, soavità, e benignità; e così si confà con tutte le persone, nazioni, e complessioni - - - - - - dal che proviene, che non solo diverse Congregazioni de Religiosi Claustrali - - - - - - ma anche de' Cavalieri - - - e molti altri si sono arrolati sotto lo stendardo di questo meraviglioso Conduttore. Sin qui il Santo.

Le Religioni sono le seguenti, cioè.

I *Canonici Regolari*, i quali pretendono derivare da quelli istituiti da S. Agostino, presentemente divisi in molte Congregazioni tanto in Italia, che in Germania, Francia, e Spagna, cioè: *Lateranensi*, di S. *Salvatore*, *Premonstratensi*, di S. *Genovefa*, & altre.

L'Ordine di S. Domenico detto de' *PP. Predicatori.*

La Religione de' Frati *Eremitani* di S. Agostino, così chiamati, perche dicono avere la successione da quegli Monaci, che furone istituiti dal detto Santo vicino Ippona; questa contiene molte Congregazioni di Calzati, e una de' Scalzi in Italia, e tre Congregazioni de' Scalzi di là da' Monti.

L'Ordine de' Frati *Servi di Maria*, detti communemente li *PP. Serviti.*

I *PP. di S. Paulo Primo Eremita* stabiliti in Germania, Ungaria, Polonia, e Croazia.

Le Religioni di *S. Ambrogio ad nemus*, de' *Cruciferi*, de' *Gesuati*, di *S. Girolamo di Fiesole*, e de *gli Apostoli*, le quali poi sono state per giuste cause in diversi tempi soppresse, ed estinte da i Sommi Pontefici.

Le Religioni de gli *Eremiti di S. Girolamo di Spagna*, di *S. Girolamo di Lombardia*, e del *B. Pietro di Pisa*, parimenta detti *Eremiti di S. Girolamo.*

La Congregazione de' Chierici Regolari detti *Somaschi.*

Molti Ordini militari professano parimente la stessa Regola, fra gli altri i *Cavalieri Gerosolimitani*, *de' SS. Maurizio*, *e Lazaro*, *i Teutonici*, quelli di *S. Giacomo*, e altri.

Di più molte Congregazioni, e Ordini Regolari di Monache, fra i quali quello della *Visitazione*, fondato da S. Francesco di Sales, quello della *Santissima Annunziata* istituito in Genova dalla Ven. Maria Vittoria Strata, e le Monache *Orsoline.*

Finalmente fra gli Ordini de gli Spedalieri la maggior parte milita sotto la Regola di S. Agostino; come l'Ordine di *S. Spirito in Sassia*, di *Antonio Abate*, e altri; stante che nella medesima Regola si parla in più luoghi con modo particolare della Cura, che devesi avere degl'Infermi: Dal che forse mosso il S. Pontefice Pio V. non senza istinto dello Spirito Santo (come piamente si crede) approvò l'Istituto di S. Gio: di Dio, e l'Abito, che portano i suoi Frati sotto la Regola di S. Agostino con Bolla speziale emanata a questo effetto, che è la Costituzione 143. del detto S. Pontefice; così anche Sisto V. con un'altra Costituzione, in vigore della quale il detto Istituto fu eretto in vera Religione; e la san. me. di Paolo V. avendolo stabilito di nuovo in Religione, dopo che Papa Clemente VIII. l'aveva soppresso, espressamente l'approvò, e lo costituì sotto la detta Regola con le seguenti parole.

Illamque (cioè la Religone di S. Gio: di Dio) *veram*, *& propriam sub Regula S. Augustini Religionem esse*, *ac inter reliquas Catholicæ Ecclesiæ Religiones sine cujusque præjudicio esse connumerandam.*

Come più diffusamente si legge nella Costituzione 100. del medesimo Papa, la quale incomincia - *Romanus Pontifex.*

In vigore delle dette Costituzioni Apostoliche i Religiosi di S. Gio: di Dio sempre hanno professato, e attualmente professano questa Regola, riconoscendo, come le Religioni accennate di sopra ancorche istituite da altri Santi Fondatori, per unico Maestro, e legislatore loro S. Agostino; Maggiormente perche il detto Santo Istitutore Giovanni di Dio per la sua grande umiltà non lasciò a essi scritto alcuno Regolamento. E perche in detta S. Regola vi è tutta la perfezione Religiosa, conchinde S. Francesco di Sales parlando della medesima.

Felice quella Anima, che osserverà questa Regola perche ella è verace, e fedele; e a tutte le Anime, che la seguiranno, sia sempre compartita copiosamente la grazia, pace, e consolazione dello Spirito Santo. Amen.

PREAMBOLO II.

Delle Conſtitutioni della Religione di S. Giovanni di Dio.

E qualmente furono mutate, accreſciute, e poi conformate dalla S. Sede Apoſtolica, e con la Approvazione della medeſima moderate, e dichiarate in alcuni punti.

IL noſtro Padre S. Giovanni di Dio, ancorche aveſſe alcuni Compagni, e Confratelli, i quali menando vita da Religioſi nello Spedale di Granata lo ajutaſſero con grande carità a ſervire gl' Infermi, non però diede, nè formo loro Regola, nè Coſtituzione alcuna; perche il ſuo coſtume, e i ſuoi ſanti portamenti erano a quelli una regola viva, e di continuo loro preſente: Onde non è meraviglia, ſe imitando un ſi perfetto Eſemplare di virtù viſſero da veri Servi del Signore, e operarono coſe ſtupende in ſervizio di Dio, e del Proſſimo; come ſi legge nelle Vite loro date alla luce nel 1715. nel primo Tomo delle Croniche della noſtra Religione ſcritte in lingua Spagnola dal P. Giovanni Santos Croniſta dell' Ordine, e Profeſſo della noſtra Congregazione di Spagna.

Avendo la glor. me: di S. Pio V. dopo la morte del detto Santo Padre approvato il ſuo Iſtituto di ſervire a gl' Infermi ne gli Spedali ſotto la Regola di S. Agoſtino, come ſi è detto nel Preambolo antecedente, ſi governarono i noſtri primi Padri con la detta Regola, ſino che piacque alla ſa: me: di Siſto V. di unirli co' gli Spedali loro tutti in un Corpo, formandone una vera Religione col quarto Voto della Oſpitalità, oltre li tre Voti ſoſtanziali dello Stato Religioſo, come per ſua Bolla in data del primo Ottobre 1586., con la quale fù anche conceſſa loro la facoltà di celebrare il Capitolo generale, e in eſſo fare tutti quegli Statuti, e Coſtituzioni, che ſtimaſſero neceſſarie pel buono regolamento della Religione. Che pero ſotto li 13. Giugno dell' anno ſeguente, cioe 1587. fù tenuto nel Convento di S. Gio: Calibita di Roma il primo noſtro Capitulo generale, in cui furone ſtabiliti alcuni Decreti, e Statuti; per quanto ſi legge nella Vita del Noſtro S. Padre ſtampata in Roma nel 1618. al Cap. 23. : e co' detti Statuti fù governata la Religione per cinque anni, cioe ſino alla creazione di Papa Clemente Ottavo.

Eſſendoſi compiaciuto queſto Sommo Pontefice di ſopprimere la noſtra Religione (laſciando pero intatto l' Iſtituto) con Breve ſpeziale ſpedito li 13. Febraio 1592. (cioe tredici giorni dopo che fù aſſunto al Ponteficato) col motivo, che i noſtri Frati attendendo a gli Studi, e facendoſi promuovere a gli Ordini Sagri, traſcuravano la cura, e 'l ſervizio de gl' Infermi, per la qual cauſa ſi ſciolſe il Corpo della Religione, e la comunicazione de gli Spedali, i quali unitamente co' Religioſi reſtarono ſoggetti a gli Ordinari de i luoghi, regolandoſi ſecondo gli ordini, che davano loro i medeſimi ſenza altre Coſtituzioni; il che duro per quattro anni, e alcuni meſi, dopo i quali conſiderando il medeſimo Pontefice il grande pregindizio tanto ſpirituale, che temporale de gli Spedali, e moſſo dalle replicate preghiere del Card. Girolamo Ruſticucci Vicario di Roma, il quale dalla ſa: me: di Gregorio XIV. era ſtato fatto Protettore della noſtra Religione, uni ſolo gli Spedali d' Italia, formandone una Congregazione Regolare con la facoltà di eleggere il Generale, e gli altri Superiori; come dal ſuo Breve, che incominicia - *Romani Pontificis* - emanato li 9. Settembre 1596.

In queſto medeſimo anno ſotto li 24. e 25. Novembre fù celebrato in Roma l' altro Capitolo generale del noſtro Ordine, dove in vigore delle facolta conceſſeli dall' accennato Breve, furono fatte di nuovo le Coſtituzioni; le quali il detto Card. Ruſticucci fece rivedere da molte perſone erudite, e particolarmente dal Reverendiſſimo Padre Andrea da Fivizano Generale dell' Ordine di S. Agoſtino, e poi le preſento a Papa Clemente VIII. il quale coll' Oracolo della ſua viva voce approvandole, ordino, che ſi publicaſſero; come atteſta il medeſimo Cardinale nella ſua lettera, che ſi legge avanti le dette Coſtituzioni, che dipoi furono date alle Stampe in Roma nel 1597. e in appreſſo diſtribuite per tutta la Religione, nell' Archivio della quale ſe ne conſerva tuttavia un' Eſemplare.

Procedentibus annis, adhuc domi sub cura perillustrium piorumque Parentum jacto pietatis solidæ fundamento, Estabellæ sub disciplina Viri integerrimi, qui olim Discipulus erat celeberrimi Antonii Nebrissensis, litteras humaniores, tanto in iis simul & pietatis studio profectu absolvit, ut sua modestia, & innocenti conversatione brevi non solum Condiscipulos, sed & Magistrum ipsum in sui admirationem rapuerit, dum naturali suæ dexteritati, felici memoria, & penetranti intellectui Angelicos mores conjungens, tenellum corpusculum diversis modis castigaret, orationi & devotioni præcipue addictus, adeo, ut communiter il Santerello *(idest)* Sanctulus *audiret.*

Circa decimum quintum ætatis annum litteris latinis ligato & soluto stylo sufficienter instructum illustrissimus Dominus Parens ùt veteranus miles ipse filium quoque suum mutato cum calamo ense militiæ destinaverat. Josephus econtra ad alia quam Martis arma cælitus vocatum se sentiens, modestissimis æque ac humillimis efficacibus tamen argumentis Parentis animum avertere conatur: tandemque (ægre licet) à Parente facultatem obtinuit Leridæ philosophicis studiis animum colendi. Ea in universitate primum ejus studium fuit, suum Conscientiæ Arbitrum eligere: secundum, tempus ita destribuere, ut oratio, studiumque alternis sibi succederent vicibus, bene gnarus, initium sapientiæ timorem Domini esse.

Absoluto philosophico cursu, obtentoque artium liberalium, & Philosophiæ Magisteriatûs honore facile à Parente, ob filii sui eminentium virtutum publicam famam recreato licentiam obtinuit utriusque juris studia Philosophiæ jungendi. Quo tempore anno scilicet. 1575. 11. Aprilis, ætatis suæ decimo nono, per manus Episcopi Urgellitani Don Joannis Dismæ de Loris, *Clericali militiæ per quatuor, quos vocant, minores ordines nomen dedit. Interim ob comparatam in scientiis eminentem eruditionem, cunctis applaudentibus suprema in utroque jure laurea meruit donari. Inde digressus Valentiam (quæ tum ob situm, tum ob aëris temperiem, omniumque rerum necessariarum Hispaniæ Paradisus dicitur) ut divinæ vocationi se magis adaptaret, Sacræ Theologiæ, sacrisque litteris ibidem operam navare decrevit. Sed sicut olim in veteris testamenti Paradiso, sic & in hoc antiquus serpens & Eva inveniuntur, primæ nobilitatis nempe juvenis vidua Calasantiorum familiæ sanguine juncta; hanc impurus Alastor adeo seduxit, ut DEI, suique honoris oblita castissimum Juvenem, nil simile cogitantem, ad libidinem sollicitare non dubitaverit; quod impium facinus religiosus, castusque Josephi animus perhorrescens Confessarii consilio cito se fuga periculo, famæ prædictæ matronæ consulturus, subduxit, citoque Alcalam petit, Theologicum ibi consummaturus cursum. Hic corpus suum novis mortificationibus castigare incipit ob datam (ut putabat) occasionem tam nobili Matronæ criminis pessimo conscientiam lædendi, æquum proinde ratus tanti peccati corpus suum pœnas dare debere.*

Quas

Quas inter mortificationes , studiumque continuum totum absolvit sacræ Theologiæ cursum tanto cum profectu , ut in eadem sacra facultate Doctoris gradu solemniter cunctis approbantibus inaugurari meruit.

Postea ingens concipit desiderium toto erudito orbe celebratissimam Universitatem Salmaticensem visendi , & Joannis Gaspari de Figuera Regii ibidem Professoris consuetudine fruendi , cui brevi ob vitæ sanctimoniam , exquisitamque eruditionem percharus evasit , adeo , ut cum Philippus secundus Hispaniarum Rex hunc suum Regium Professorem ad Episcopatum Jaccensem denominasset , hic nostrum Doctorem Josephum de Calasantia secum assumere voluerit : nec quidquam præter imperium paternum , domum nempe redeundi , obstabat. Sed Episcopus hanc facultatem propria manu ad Parentem ejus litteris exaratis petit , obtinetque. Hic opportunissimam nactus est Josephus noster occasionem ea , quæ in scholis didicerat , in praxin redigendi , dum ab eodem suo Episcopo ad negotia quædam valde intricata Regem inter & summum Pontificem tractanda fuit adhibitus. Vix annum hacce in exercitatione transegit , cum tot urgentissimis litteris à Domino Parente domum redire jussus est , ut etiam Episcopus eum tandem dimittere , etsi admodum ægre , cogeretur ; sicque Josephus tot paternis litteris tandem obsecutus domum venit ; ubi vehementer à Domino Parente urgebatur , ut se resolveret ad matrimonium natalibus suis dignum ineundum ; siquidem Frater ejus natu major ab aliquot annis in matrimoniali statu constitutus absque liberis mortuus Calasantianam familiam brevi extinguendam , nisi à Josepho unico virilis sexus hærede per legittimum & honorificum matrimonium ab interitu vindicetur , reliquit. Josephus interim à DEO Deiparaque Virgine gravissimum impetrat morbum , præstantissimorum Medicorum artem superantem , quo mediante à Domino Parente tum de successione virili ac filio suo pro familiæ propagatione , tum de ipsius filii sui salute jam desperante , vel invito extorsit facultatem præter votum perpetuæ castitatis dudum à se emissum , sed de industria Patri celatum (ne idcirco offenderetur) votum sacerdotii ineundi , tanquam unicum sanitatis recuperandæ remedium emittendi ; quod , consentiente Patre , vix filius emiserat , cum jam in momento quasi melior haberi cœpit , singulisque diebus dolores minui , donec tandem paucis post diebus integræ valetudini restitutus est. Igitur tam manifesto suæ ad Sacerdotium vocationis signo certior factus Josephus , anno Domini 1583. ætatis 27. 17. Decembris absque mora voto satisfacere volens ab Episcopo Urgelensi Ambrosio Moncada , *collatis antea Subdiaconatus & Diaconatus Sacris Ordinibus , in Sacerdotem rite ordinatus fuit : cùmque alta mente repositum haberet dictum S. Isidori , dicentis : tantum debere esse discriminis inter Sacerdotem & quemvis etiam probum laicum , quantum inter cælum & terram , idcirco , ut magis tam sublimis status obligationi faceret satis , vitam sic instituit , ut fuerit continuum virtutum exercitium : quotidie tanto devotionis fervore sacrum faciebat , quasi fuisset aut primum aut ultimum.*

Piissimus noster Sacerdos nihil quidem magis in votis habebat , quam vitam mundo absconditam in DEO ducere : Verum tanta sanctitas non poterat diu latere sub modio , quin odorem suum quaquaversum late diffunderet , & quidem usque ad aures antiqui sui Patroni Joannis Gaspari de Figuera , interea temporis à Jacca , ubi prius Episcopus erat , ad sedem Episcopalem Albarizinam *translati ; qui non destitit Josepho nostro urgentissimis argumentis persuadere , ut conscientiæ tum suæ propriæ , tum Spiritualium ovium directiorium non recusaret. Præ humilitate diu reluctans tam difficile officium tandem ex obedientia suscepit , eoque felici successu , etsi non admodum diu in hoc Sacro Præsbyteratus gradu constitutus , ad vota Sapientissimi sui Prælati , incredibilique animarum bono pro Gloria DEI id muneris gessit , tam Clerum Diœcesanum , quam Sanctimoniales ad perfectiorem vitæ normam dirigendo. Post hæc prænominatum Episcopum suum à Philippo secundo Hispaniarum Rege ad aliam eligniorem sedem ,* Leridanam *nempe promotum , simulque constitutum visitatorem celeberrimæ Ecclesiæ Monsteratensis comitatus est Josephus noster , ut eum in hoc tam arduo negotio consilio simul & opera adjuvaret. Sed in hoc negotio plurimis occurentibus difficultatibus , mortuo Apostolico & Regio Visitatore Episcopo Leridano , Josephus noster huic intricato visitationis negotio ad finem feliciter perducendo substitui curavit Episcopum Vicensem , ad cujus manus puncta hucusque in ordinem redacta scripto tradidit. Novus Visitator omnibus , quibus poterat , rationibus Josepho omnium rerum huc spectantium no-*

 titi-

titiam habenti persuadere nitebatur, ut hoc in negotio Secretarii munus obiret, promisso etiam ampliori sellario. Nullo tamen modo induci poterat, ut maneret, semper prætendens, se divinitus cognoscere, maximi momenti negotia domi se manere; devotissime igitur valedicens miraculosæ Monsteratensi Matri, reditum Peraltam maturat; ubi pie morienti Domino Parenti post administrata moribundorum Sacramenta oculos clausit, justaque rite persolvit. Sicque Josephus de masculina familia Calasantianæ stirpe restabat solus, nil aliud mente revolvens, quam à mundo separatus in divino servitio residuum vitæ suæ cursum consummare. Sed videamus, quam longe aliter DEO visum fuerit.

Ab Episcopo enim Urgellensi Don-Andrea Capiglia *invitatus, ut in perampla ista Diœcesi spiritualem ei opem præstaret, acceptare coactus fuit Gubernatoris & supremi in temporalibus æque ac spiritualibus Judicis munus per totum Trempensem tractum, amplius trecentis pagis, duobusque supra septuaginta Parochiis ad Diœcesim Urgellensem pertinentibus constantem. Quod officium per aliquod tempus, quoad utrumque forum, tanta cum laude gessit, ut undique magnis encomiis celebraretur, emendatis, quæ defectu inquisitionis irrepserant, vitiis, ingenti simul Zelosi Episcopi gaudio, se in Josepho talem invenisse, qualem optaverat, virum. Ideoque ex eo tempore constituit eum destinare ad alia suæ Diœceseos loca laboriosioris culturæ indigentia, in quibus longe majora, horridioraque lolia evellenda inveniret, nempe ad confinia Galliæ ultra Pirenæos montes, ubi horridæ sterilesque & pæne inaccessæ valles erant quorsum ob nimiam Urgellis distantiam vix unquam, aut certe rarissime Episcopi sollicitudo per necessarias visitationes penetrare poterat. Cùm igitur huic incultæ vineæ colendæ nemo aptior Josepho nostro inveniretur, eum è Trempensi tractu revocatum ad valles Pirenæas destinavit, ubi plurimis laboribus perpessis, vitaque sæpe periculis superatis, tandem plenam reformationem tam inter Clerum quam inter laicos feliciter introduxit, omniaque ibidem tanta prudentia disposuit & ordinavit, ut usque hodie perseveret ejus reformationis fructus cum ingenti animarum lucro, nec minore Episcopi Urgellensis, de felici istius visitationis successu jam antea satis edocti, gaudio.*

Quapropter publico diplomate post reditum eum vehementer, sed necquicquam reluctantem constituit suum per totam latissimam Diœcesim Vicarium Generalem & officialem, tota Civitate applaudente, à qua tanquam totius Diœceseos capite suam auspicatus est reformationem, ut ea vitiis & abusibus, qui sensim sacrorum Ministrorum oscitantia, in Sacramentorum administratione, Ecclesiarum & altarium nitore & munditia festorumque dierum Sanctificatione irrepserant, purgata, reliqua Diœcesis ejus exemplo facilius reformationem acceptaret: quod brevi eo feliciter perduxit, ut odia & inimicitias jam à pluribus annis inter quasdam familias non sine animarum periculo continuatas extinxerit, animosque inter se hactenus divisos sincero charitatis & amicitiæ vinculo conjunxerit, multa luxuriosæ veneris mancipia suis zelosis exhortationibus è faucibus infernalis lupi extraxerit, accensa econtra in ipsorum cordibus divini amoris igne, divitibus quoque avaris tanta noverat eloquentia misericordiam erga inopes persuadere, ut suam ipsi avaritiam damnantes largis eam Eleemosynis compensarent; tepidos Christianos in fervidos devotosque convertit, injustos Superiores, & usurarios ex sacra Scriptura æternæ damnationis periculo, se subducere docuit: verbo: omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret: sicque tam copiose ejus piis conatibus DEUS benedixit, ut una cum capitali totius Diœceseos civitate Urgella simul etiam totam Diœcesim DEO lucratus sit. His aliisque similibus salutiferis zelosissimi sui Vicarii reformationum fructibus senex Episcopus maxima (ut par erat) consolatione repletus est ob ingentia inde toto bono publico emolumenta, piis & devotis perseverantiam, DEO honorem debitum, communi humani generis hosti confusionem inde nascentem.

Sed gloriosiorem adhuc de Satana triumphum retulit Barcellonæ; ubi duo nobilissimi simul & potentes juvenes de nobili quadam Puella sibi matrimonio conjungenda contendebant, eoque infernalis inimicitiæ Sator rem perduxit, ut jam duæ utrinque acies sibi ex adverso positæ rem armis decidere paratæ essent, funesto sane utrique parti eventu, fuso scilicet plurimo sanguine, detrusisque ad tartara pluribus nobilium Barcellonensium utramque factionem componentium; nec aliud exacerbatis animis inter se reconciliandis remedium supererat, quam

felix

felix nostri Vicarii Generalis dexteritas, eloquentiaque, qua tantum valuit, ut manus conserere jam paratos non solum cohiberit, sed brevi admodum talem inter eos composuit pacem, ut inito inter partes litigantes duplici matrimonii contractu, eo modo gloriosam pacem æternamque amicitiam stabilierit cum ingenti totius civitatis lætitia, qua prudentissimi Josephi nostri merita super æthera gratulabunda extollebat, utpote qui tam dextre tempestatem tam periculosam ex inferis ortam, ruinamque tot illustribus familiis minitantem ad omnium vota sedare novit, deque Dæmone triumphare. Humillimus autem Josephus actis DEO pro victoria de Satana reportata, proque præda ejus faucibus erepta debitis gratiis, ut hominum laudes fugeret, clam Urgellam remeavit: ubi ab Episcopo suo ob rem tam bene gestam maximo cum gaudio receptus, & deinceps majore in honore fuit habitus. Post hoc tam laudabile factum aliquot adhuc annis in maxima apud nobiles & plebejos æstimatione in suo Vicarii Generalis officio permansit Josephus; nec difficile ei fuit aliud insigne charitatis opus perficere, ab Episcopo nempe, Magistratu, aliisque opulentioribus Civibus institutionem montis (*ut vocant*) pietatis *pro orphanis, pauperibusque puellis tum alendis tum honesto matrimonio collocandis obtinere.*

Ex hactenus relatis pronum cuivis erat devinare, solum Hispanicum (Patriam suam) futurum esse, in quo deinceps suarum virtutum & laborum semina spargeret cum spe ingentis animarum lucri, majorumque adhuc honorum, dignitatumque messem colligendi; verùm hominum opiniones Altissimi consilia raro attingunt. DEO enim aliter disponente, Josepho nostro non Hispania sed ipsa Roma pro virtutum theatro impostèrum servivit, sicut novimus, S. Philippo Nerio non Indias (ut ipse putaverat & optaverat) sed ipsam eandem Romam fuisse campum, ubi instituto sua Congregationis Oratorio Cleri sæcularis reformationem instituit.

Itaque paulo post reditum Barcellona sæpe in Josephi nostri corde vox insonare visa est: Josephe Romam perge: Josephe Romam perge. *Vocem hanc primo quidem negligendo rejecit Josephus, sibi ipsi respondens:* cur Romam pergam? nihil enim Romæ peto, nihil desidero. *Dum autem eadem vox identidem in corde ejus insonare pergeret; contigit, ut in lectulo suo de ea cogitans, eidem indormiret, adeo ut in somnio ei videretur, se actu Romæ esse, perque plateas urbis plurimos duceret pueros, quibus in orbem circa se congregatis Christianam doctrinam exponeret, & ad amorem DEI inflammaret. Igitur expergefactus cum somnium hoc, tum ipsam vocem Romam se vocantem mature, deliberateque expendens, secum ipso disputans, quid ageret nescius, in oratione à Deo desuper instrui instantissime rogavit, consulto quoque conscientiæ suæ Arbitro, cujus consilium erat, ut vocantem intus vocem sequeretur; quod & statuit quam primum executioni mandare. Proin Reverendissimo suo Episcopo consilium ac propositum suum aperit, simulque vicariatus officium ei in manus summa demissione resignat. Hic primo eum à tali cogitatione avertere conatur; postmodum tamen intelligens, quam caute prudenterque ea in causa processisset, consensit, etsi ægre, in rem, quam impedire amplius nequiverat, impertitaque benedictione eum dimisit non sine cordis dolore, tali se destitui viro, de tota sua tam ampla Diœcesi Urgellensi tam bene merito, & in recognitionem laborum suorum obtulit ei annuam pensionem ex beneficio, quod prius possederat Ordonedæ; quam, ne Episcopum contristando offenderet, acceptare oportuit. Sicque Urgella, ubi Nobiles æque ac Plebei optime meriti sui Generalis Vicarii abitu contristati erant, iter suum Ordonedam & Claverolam direxit. Hic igitur Josephus noster antiquæ Calasantianæ pietatis & Misericordiæ erga pauperes, memor ad exemplum geminorum fratrum* Don Luigi & Don Giovanni Cæsaraugustæ, *qui ingentes suas divitias ad opera pietatis & charitatis impenderunt; siquidem in eadem civitate quadraginta aureorum millia applicarunt piæ fundationi, ut ex prædicta capitalis summæ annuo censu aliquot pauperes Cæsaraugustanæ puellæ honesto collocarentur matrimonio. Sic etiam Josephus noster secundum mensuram suorum redituum monumentum aliquod post se relinquere voluit, ordinando, ut Interesse omnium redditum ex Rectoratu Ordonedensis, & Claverolensis Parochiarum quot annis inter pauperes ibidem destribuerentur, confecto desuper instrumento publico, quod hodiedum à succedentibus Rectoribus istarum Parochiarum diligenter observatur. Inde Peraltam perrexit urbem suam paternam, ubi præter insignes Eleemosynas inter pauperes destributas, reliquum suum patrimonium dua-*

lus dilectis sororibus suis reliquit, Romamque contendit, in quam desideratam urbem principio mensis Maji advenit anno 1592. ubi devotissime visitavit Martyrum sepulchra. Per quindecim annos quotidie septem Ecclesiarum stationes obibat; & si quandoque contigit, eum fuisse impeditum de die, de nocte supplevit.

Mox ut Romam advenit Marci Antonii Columna Cardinalis factus est Theologus, tantique ab hoc eminentissimo Cardinali ob virtutem & pietatem æstimatus fuit, ut Nepotulo suo Principi Philippino eum Directorem constituerit, eidem suo parvulo Nepoti districte præcipiens, ne unquam palatio exiret, quin prius S. hujus viri manum oscula_retur. Omnibus Sabbatis domesticis istius Cardinalis famulis piam dedit exhortationem, pro singulis suis exercitiis Spiritualibus horas diei, noctisque accurata temporis destributione accommodatas habuit. Continuo fere asperrimo cingebatur cilicio, pluribusque septimanæ diebus jejunabat, pane tantum & frigida contentus, aut potius ejus jejunia erant continua; cum cæteris diebus, quibus pane & aqua tantum contentus erat, unam solum refectionem ante meridiem capiebat, ad noctem vero nihil omnino comedens; quem morem quadraginta annos perseveranter observavit usque ad extremos vitæ suæ dies, cum propter nimiam debilitatem & senium à suæ Congregationis Religiosis exoratus non nihil jejunia sua temperavit.

Anno 1594. qui fuit secundus post ejus Romam adventum, ei collatus fuit Canonicatus in Ecclesia Cathedrali Barbaſt *in Regno Aragoniæ, quæ fuit urbs proxima loco suæ nativitatis, sed diversis pietatis exercitiis, quæ Romæ quotidie fiunt, adeo afficiebatur, ut eorum amore resignaverit beneficium seu Canonicatum Doctori Petro Navarro. Diversarum Confraternitatum albo nomen suum inscribi curavit, confraternitatum scilicet* duodecim Apoſtolorum, Stigmatum S. Franciſci, Suffragiorum pro mortuis, & Sanctiſſimæ Trinitatis, *quarum omnium præscripta pia exercitia, & leges exactissime observabat. Confraternitatis quoque de Doctrina Christiana membrum fieri voluit, & fuit planè dignissimum; siquidem conformiter constitutionibus istius sodalitatis charitate in proximum ardens obibat cuncta loca publica urbis, in quibus doctrinam Christianam exponebat rudibus de rure negotiorum causa ad urbem venientibus; parvulosque de plateis ad Ecclesias convocabat, instruebatque in Christianæ Fidei mysteriis. Dum his piis exercitationibus impigre insudaret, experientia doctus cognovit necessitatem tempestive parvulos principia Christianæ fidei docendi. Ab illo deinceps tempore cogitavit de mediis majori cum fructu id præstandi; cumque offendisset in plures puerulos in plateis ludentes, plurimaque verba scurrilia & inhonesta effutientes, statuit se totum iis instruendis impendere, & commiseratione erga eos tactus dolebat eorum educationem adeo negligi. Statimque ei in mentem venit Regii Vatis effatum Ps. 9. v. 38.* Tibi derelictus eſt Pauper: Orphano tu eris adjutor. *Illudque mente revolvens credidit, divinitus sibi suggestum tanquam præceptum, ut puerorum educandorum curam in se susciperet, & ex tunc media eos recte instituendi quærebat, ut a teneris annis bene educati instructique in timore Dei, principiisque Christianæ fidei non possent in adulta ætate ignorare, quæ necessaria sunt ad salutem. Diversis pium animi sui propositum aperuit, ut media tam pio operi exequendo suppeditarent; sed cum nullus inveniretur, qui opem ei hac in re ferret, statuit solus proprio ære eam aggredi.*

Ideo ab Antonio Baudini, Parocho S. Dorotheæ trans Tyberim prope portam Septimaniam conduxit aliquot cubicula, in quæ congregare incepit omnes pueros in isto urbis tractu; quos ex charitate docebat legere, scribere, artemque Arithmeticam, iis gratis providebat libros, chartam, & atramentum. Quotidie doctrinam Christianam exponebat, exhortationes spirituales faciebat, quamquam adhuc demoraretur in palatio Cardinalis Colonna, longe distante a S. Dorothea, bis tamen de die scholas suas pias adibat, ubi numerus puerorum adeo crescebat, ut solus iis instruendis par non esset; idcirco quosdam Sacerdotes ex eadem secum Confraternitate Doctrinæ Chriſtianæ *sibi associavit, ut ei essent cooperatores in tam pio instituto.*

Ordo, quem in suis piis scholis tenebat, tantam ei conciliavit æstimationem, ut diversæ familiæ Urbis suos quoque filios ad ejus scholas miserint, quòd Josepho causa fuit scholas aliò transferendi pro majore commoditate eorum, qui

qui forte venturi essent, quod factum est initio anni sancti 1600. *conducta eam in finem ampla domo in loco, quem appellant* Paradisum. *Ac tum primum relicta domo illustrissimi Principis Colonna venit habitatum in ista nova domo una cum magistris, sibi associatis. Duobus post annis eam quoque reliquit, conducta alia prope S. Andream* Della Valle: *ubi incepit in communi vivere cum suis Commagistris, distributis scholis in plures Classes. In hac domo accidit Calasantio nostro inopinatus Casus: nam volens campanam erigere in loco satis alto curiæ, de scala cecidit in terram, quo casu crus confregit, & de vita ipsa periclitabatur, de qua non erat tam solicitus, quia eam dare semper paratus esset; solus timor ne piè inchoatum opus morte sua interrumperetur eum redolebat nonnihil sollicitum. Verum ad ejus consolationem Deus novos ei Cooperatores misit, quorum unus erat Gaspar Dragonetti, isti muneri aptissimus, utpote qui per quadraginta annos scholas regebat, & in Congregatione perseveravit usque ad annum* 1628. *quo mortuus ætatis vigesimo supra centesimum anno, in magna Sanctitatis fama; alter erat Pater Gellius Ghellini nobilis Vincentinus. Calasantius recuperata post aliquot menses sanitate, nova a Deo consolatione est recreatus; Dominus Vestrio Romanæ Curiæ Prælatus, in cujus domo scholæ habebantur, sæpe personaliter aderat exercitiis scholarium, quorum pulchro ordine adeo oblectabatur, ut coram Clemente VIII. scholas pias laudaret; Papa igitur vocato ad se Patre Calasantio, ab ipsomet instrui volebat de ordine & methodo, quam Magistri observabant in docendis pueris. Summo Pontifici per Fundatoris responsa adeo plene satisfactum est, ut eum hortatus sit eandem methodum ordinemque prosequi, promittens se personaliter ejus scholas invisurum, jussitque ei singulis annis dari ducenta scuta pro solutione conductæ domus. Hanc Papæ humanitatem & liberalitatem reliqui urbis Ludimagistri Josepho adeo invidebant, ut ei apud eundem Pontificem detrahentes, longe aliter sed falsò eum ejusque scholas apud Pontificem denegrarint; sicque Papam induxerint, ut constitueret duos Cardinales Antonianum & Baronium ad scholas pias visitandas, in quibus hi eminentissimi Visitatores nil nisi ædificationis materiam invenientes eas Pontifici dignis laudum præconiis (ut par erat) commendarunt, hicque eas contra invidorum obtrectationes in suam protectionem suscipiens vivæ vocis oraculo approbavit. Mortuo Clemente octavo Paulus V. Cardinalem de Torres eis protectorem dedit, quo mortuo is substituit Cardinalem Justinianum.*

Crescente quotidie in scholis piis scholarium numero, adeo, ut eis capiendis domus a Josepho Calasantio conducta amplius par non esset; anno 1612. *emit palatium Torres contiguum Ecclesiæ S. Pantaleonis situm in loco olim appellato Materazzari. Cardinalis Justinianus isti emptioni contulit duo scutatorum millia & R. D. Langriani nobilis mediolanensis non solum notabilem summam contulit, sed etiam postmodum intravit Congregationem, ubi & mortuus est tantæ Sanctitatis fama, ut post ejus mortem processum instituerint de ipsius Canonizatione. Tandem palatii pretium fuit ex integro solutum, ope sex millium scutatorum, quæ legavit Cardinalis Lancelotti scholis piis. Obtinuit piissimus Calasantius noster Ecclesiam S. Pantaleonis; Paulusque V. Pontifex maximus considerans, quam utile hoc institutum esset Ecclesiæ, illud approbavit per Breve Apostalicum die sexto Martii anno* 1617. *eique opus erudiendi pauperes scholares commisit, cum paulo antea regimen hoc suscipere renuisset Congregatio Clericorum sæcul*[illegible]*m B. Mariæ ut in ejusdem Papæ constitutione* 81. *Bull. Rom. Tom.* 3. *fol.* 35[illegible].

Ideoque hoc institutum B. Josephi Calasantii ad tam pium opus se sponte offerens perlibenter erexit in Congregationem, de suo nomine Paulinam *appellandam, concedens iis, qui eam intraturi essent, facultatem emittendi vota simplicia, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis. Idem Papa nominavit in Superiorem & Rectorem istius Congregationis sub titulo Præfecti ipsum Josephum Calasantium Fundatorem, ut regeret tam domos jam erectas, quam imposterum erigendas, una cum potestate constitutiones condendi. ipsa Bulla desuper confecta incipit:* Ad ea, per quæ &c. *& habetur in Bull. Rom. Tom.* 2. *pag.* 396.

Beatus igitur Fundator Calasantius in consilium vocavit sodales suos numero pro tunc quindecim circa modum imposterum vivendi, & circa habitum gestandum; & postquam inter eos conventum est de formo habitus; prædictus Cardinalis

lis Justinianus eorum Protector suo aere singulos habitus fieri curavit, & in die festo Annuntiationis B. V. Mariae ejusdem anni piissimus Fundator fuit vestitus novo isto Congregationis habitu per manus ejusdem Cardinalis in Capella palatii sui, & quidem nomine & vice Pontificis, addita facultate ipsi Fundatori, induendi reliquos suos socios, quod & praestitit eodem adhuc die, postquam reversus est ad scholas suas pias.

Renuntiavit insuper Nomini suo saeculari, assumpto ejus loco nomine a Matre Dei, cujus exemplum secuti sunt caeteri ejus socii mutantes nomina sua saecularia in alia Religiosa; quod & hodiedum observatur in tota ista Congregatione. Anno 1621. haec Congregatio inter Ordines Religiosos numerari coepit jussu Papae Gregorii XV. eamque appellari praecepit Congregationem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum piarum *per sequentem Bullam.*

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei Memoriam.

IN supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, & ad ea vigilantiae nostrae partes libenter interponimus, per quae piae Clericorum Congregationes in Ecclesia Dei ad illius laudem, & gloriam provide sancteque institutae, in perseverantia laudabilium operum incitentur, ac majoribus in dies proficiant incrementis.

1. Cum itaque, sicut dilectus filius Josephus de Matre Dei, Praefectus Generalis Congregationis Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum piarum de Urbe, Nobis nuper exponi fecit, Clerici ejusdem Congregationis tria simplicia, Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientiae vota emittent. Cumque perfectioris vitae studio ducti, simplicia vota praedicta per Nos solemnia declarari, Nobis humiliter supplicassent.

2. Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales negotiis Episcoporum, & Regularium Praepositi, quibus negotium hujusmodi mature examinan. & Nobis referen. commisimus, praedictam Congregationem nuncupatam Pauperum Matris Dei, olim Romae fel. rec. Clementis Papae VIII. Praedecessoris nostri auctoritate erectam, per sanctae memoriae Paulum Papam V. Praedecessorem nostrum confirmatam, & prope Ecclesiam Sancti Pantaleonis de urbe modo degentem, in Religionem trium votorum solemnium approbari posse censuerint, prout in decreto desuper sub die XXXI. Augusti proxime praeteriti facto dicitur contineri.

3. Nos piis Josephi & Clericorum praedictorum votis hujusmodi quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, cen. & poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum prae[illegible]ium duntaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censen. [illegible] supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praedictum Apostolica auctoritate ten. praesentium approbamus & confirmamus, illique perpetuae & inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Josepho & Clericis praedictis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari.

5. Atque ita per quoscunque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

6. Non

6. Non obstantibus Apostolicis, universalibusque, & Synodalibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictæ Congregationis, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Novembris 1621. Pontificatus nostri anno primo.

Inem Papa eodem anno per aliud Breve Apostolicum confirmavit Constitutiones & Ordinationes a Congregatione Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum piarum pro felici ejus regimine editas. Tenor istius Bullæ est sequens.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacri Apostolatus ministerio per abundantiam Divinæ gratiæ, nullo licet merito nostro præpositi, ad ea, per quæ Christi fidelium, præsertim sub suavi Religionis jugo, & in humilitatis spiritu altissimo famulantium, felici, prosperæque directioni consulitur, libenter intendimus, & his, quæ propterea facta esse dicuntur, ut ab omnibus, quos illo concernunt, inviolabiliter observentur, Apostolici Muniminis firmitatem adjicimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

1. Cum itaque, sicut dilecti filii Præpositus, & Clerici Congregationis Pauperum Matris Dei scholarum Piarum Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro felici, & prospero ejusdem Congregationis statu, atque regimine diversas constitutiones fecerint, easque in unum volumen redegerint (*quarum tenor synopticè paulo infra sequetur*) Demum Capitulum generale supradictas Constitutiones immutare, aut infringere, nisi ex sex Capituli partibus quinque concurrant, non posse, volumus, atque statuimus, ad Omnipotentis Dei gloriam, & proximorum utilitatem.

2. Nos inviolabili dictarum Constitutionum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere dictosque Præpositum, & Clericos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure; vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, Constitutiones prædictas, omniaque & singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos tam juris, quam facti, & quosvis alios defectus, si qui in præmissis, aut coram aliquo quomodolibet intervenerint, supplemus.

3. Decernentes, modernos, & pro tempore existentes dictæ Congregationis Præpositum, & Clericos, aliasque personas ad plenariam earundem Constitutionum observationem, prout illæ eos concernunt, teneri & obligatos existere, & fore, & ad id sub censuris Ecclesiasticis & aliis in Constitutionibus prædictis contentis pœnis cogi, & compelli posse, sicque per quoscunque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

5. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 31. Januarii 1621. Pontificatus nostri anno primo.

An-

Anno sequenti 1622. *idem Papa per aliud Apostolicum Breve Congregationi huic concessit omnia privilegia reliquorum Ordinum mendicantium, ut videre est in Bull. Rom. Tom.* 3. *pag.* 448. *in Bulla* ad uberes fructus &c. *Urbanus quoque VIII. per aliud Breve, cujus initium*, Debitum pastoralis officii &c. *anno* 1629. *cum iis dispensavit, ne cogerentur processiones publicas comitari; vide in Bull. Rom. Tom.* 4. *pag.* 170.

Pater Josephus à Matre DEI cernens se statum Religiosum jam professum, impossibile est explicatu, quantum in omnium virtutum genere profecerit. Quidquid hactenus fecit sive in instruenda juventute, sive circa proprium profectum Spiritualem, parum admodum ei visum fuit. Ideo auxit suas mortificationes, vigilias, abstinentias, omniaque sua exercitia majore faciebat ardore, quam antea; & cùm educatio juventutis fuerit principalis scopus sui instituti, et sese majori addixit adhuc fervore. Non contentus cura & diligentia circa scholarum Magistros, ut suo quisque munere exactè fungeretur, nisi ipse quoque per se puerulos instrueret, quod & perseveranter continuavit, quoad vixit; tanta erat charitate erga proximum, ut nullam prætermitteret occasionem ei subveniendi. Frequentissimus erat aut in Confessionali aut in Nosocomiis, Carcere detentos visitabat, subveniebat pauperibus & indigentibus larga Eleemosyna adeo, ut frequenter iis subministraret ea, quæ necessaria erant pro sustentatione suorum Religiosorum, quos continuo hortabatur, ut divinæ providentiæ confiderent, quæ eos nunquam destituit. Nihil unquam docebat suos, quod suo non monstrabat exemplo sese exercens officiis vilissimis etsi totius Ordinis Generalis. Per urbis plateas ibat humeris portans manticam pro excipiendis fidelium Eleemosynis. Præ humilitate recusavit oblatum sibi Archiepiscopatum Brundusinum. Tanta erat ubique locorum ejus sanctitatis opinio, ut eo adhuc vivente ejus Congregationi variis in locis offerrentur domus & fundationes, quas acceptavit in statu Ecclesiastico, in Republica Genuensi, in Tuscia, in Regno Neapolitano, in Sicilia & Sardinia. Cardinalis de Dietrichstein Episcopus Olmucensis ab eo petiit Religiosos Nicolsburgi stabiliendos, quibus & aliam domum in Lipnick, unde per totam Germaniam & Hungariam propagatum est eorum institutum. anno 1648. *Rex Poloniæ Ladislaus IV. cernens ingentes fructus, quos in locis, ubi stabiliti erant, proferebant, ex eis quosdam petiit, & obtinuit in suum Regnum, ubi jam plura in loca propagata sunt; quædam etiam domicilia habent in Hispania, adeo ut B. Pater Josephus à Matre DEI adhuc vivens adinstar aliorum Fundatorum Religiosorum Ordinum, ex propagatione suæ Congregationis in varia Regna & provincias ingens solatium haurire meruerit.*

Circa annum 1642. *& sextum ante ejus obitum ex Erebo erupit ingens persecutio adversus Virum Dei, ejusque pium Institutum, quod, ut supra vidimus, per insurrectionem Ludimagistrorum in cunis suffocare satan irrito conatu aggressus est, nunc autem senio confecto B. Fundatore ope quorundam ipsius Instituti Alumnorum superbia tumentium ipsum Religiosum & Ecclesiæ tam utile Institutum supprimere totis viribus collaboravit, remque jam eo perduxit, ut illi falsis criminationibus & calumniis B. Fundatorem ac Patrem suum coram sacro inquisitionis tribunali accusantes à summo Pontifice Urbano VIII. obtinuerint, ut Generalatûs officio, quod ei ad dies vitæ à Papa Gregorio XV. collatum fuit, deponeretur, assumptis in ejus locum uno post alterum duobus præcipuis hujus infernalis persecutionis instrumentis, Patre scilicet Mario à S. Francisco, & Patre Stephano ab Angelis; cum maximo quidem ad interim totius Instituti detrimento, sed majore postmodum, defuncto brevi post B. Viro, ejus incremento; ut idem B. Pater prædixerat, Cœlo de tempestatis auctoribus justam vindictam sumente.*

Anno 1648. 2. *Augusti* 92. *ætatis suæ anno correptus fuit morbo victa suæ extremo, qui eum celebrata devotissime, suo more, Missa in lectum projecit mortualem, quem tamen non nisi vigesimo quinto ejusdem mensis die vita spoliavit corporali quam placidissime in manus sui Creatoris reddidit; obtenta prius à summo Pontifice Papali benedictione pro articulo mortis, & per duos suorum Religiosorum ad sepulchrum Beatorum Apostolorum Petri & Pauli suo nomine professione fidei emissa, perceptisque maxima devotione sanctissimis moribundorum Sacramentis sub devota lectione passionis Dominicæ, resignatissimo in Divinam voluntatem animo, devotissimè pronuntiatis sanctissimis Nominibus JESU & Ma-*

riæ

viæ innocentissimam & beatam animam in manus sui Creatoris & B. Virginis placidissimè tradidit; cujus sacrum corpus (rubicundiore & pulchriore, quam cum viveret, facie) suavissimum rosarum instar spargebat odorem, haud obscurum ejus sanctitatis signum. Et licet tota Viri sancti vita nihil aliud fuerit, quam continua plurimorum miraculorum catena, quæ pro sua humilitate abscondere semper satagebat; post mortem tamen à multitudine ad feretrum ejus concurrentium populorum abscondi amplius nequibant, sed eo clarius magnam ejus sanctitatem manifestabant ingentia & innumera fere miraculorum signa in variis languoribus & infirmitatibus curandis, adeo, ut necesse fuerit præter scamna & sedilia, quæ circa feretrum posita erant, multitudini arcendæ etiam sat validam militum custodiam adhibere ad præservandum sacrum corpus, cum nemo accederet ad eum tangendum, qui non exaudiretur, nullumque aliud remedium contra tumultuantem turbam inveniri posset, quam ut clam tumulo mandaretur. Nec in ipso quidem tumulo etsi à Religiosis custodito, concurrente populo sacrum Corpus præservari poterat, quin terram, qua operiebatur feretrum, domum asportaret reliquiarum loco, nec compesci aliter poterat turba, nisi Apostolicis minis excommunicationis. Hoc quidem molestiæ concurrentis multitudinis finem imposuit, minime tamen cursui miraculorum, quæ non solum in alma urbe quotidie B. Servi DEI intercessione fiebant, sed etiam ubivis locorum extra eam, quo eorum fama volabat usque in hodiernum diem juxta fidem fidelium, beneficia cælitus poscentium propagata continuantur, quorum plurima notata inveniuntur in libro de vita & miraculis ejusdem B. Servi DEI, italice primum conscripta, & in germanicum idioma per quemdam ejusdem Instituti Præsbyterum translata, & Viennæ Austriæ impressa anno 1749. quorum intuitu processus de ejus Beatificatione, & Canonizatione incepit formari sub Clemente XI. Papa, ejusque successoribus continuatus est, donec tandem sub moderno summo Pontifice Benedicto XIV. clarescentibus in dies signis solemni ritu Beatorum Confessorum albo adscriptus fuit anno 1748. 18. Augusti; edito desuper brevi Apostolico die 7. Augusti ejusdem anni, quod hic apposuissemus, si ad manus nostras latinum ejus exemplar pervenisset. Paulo ante hujus Bullæ expeditionem de ipsius Beatificatione 29. Julii aperto, sacri corporis videndi causa, sepulchro, cor ejus, quod hactenus in separata capsula ænea inclusum reservabatur in ejusdem B. Viri olim cella, maximo miraculo, elapso integro sæculo, cum omnium admiratione à designatis ad hanc sacrarum reliquiarum visitationem testibus incorruptum fuit inventum.

Idem summus Pontifex per aliud Apostolicum Breve datum 6. Augusti anno 1748. omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere contritis & confessis, sacraque Communione refectis, templumque Patrum piarum Scholarum triduo, quo solemnitas ejusdem Beatificationis celebrabatur, visitantibus, precesque suas pro unione Christianorum Principum, extirpatione hæresum, & Ecclesiæ Catholicæ augmento fundentibus, indulgentias plenarias concessit. Ejus sacrum Corpus terræ mandatum fuit in medio Ecclesiæ suæ S. Pantaleonis, ubi quievit usque ad annum 1686. quo translatum fuit ad novam Ecclesiam, quam Religiosi ejus ædificarunt. Hæc de Beatissimi Viri vita hic paulo fusius apponere visum est, eo quod hactenus multis in locis modica tum de ipso B. Institutore, tum ejus inclyto Instituto notitia habita fuerit.

Prosequamur jam reliqua quæ de Instituto ipso restant; cujus scopus est puerorum pia bonaque educatio, præcipue pauperiorum, ad quod hi Religiosi sese obligant quarto supra tria consueta addito voto, eos ex charitate instruendi in legendo & scribendo, incipiendo à primis elementis A. B. C. in numerando, calculos ducendo, codicem accepti expensique tenendo apud mercatores & in Curiis rationum. Docent insuper non solum humaniora, Rethoricam, linguas quoque latinam & græcam, sed in urbibus etiam Philosophiam, Theologiam scholasticam & moralem, Mathesin, Architecturam civilem & militarem, & Geometriam. In Classibus docent duabus horis cum dimidio ante meridiem, & tamdiu vespere; & quotidie per ultimum horæ quadrantem quilibet Magister tenetur scholaribus suis exhortationem spiritualem facere. Singulis autem Sabbatis Religiosorum aliquis ad hoc designatus exhortationem semihorariam in Ecclesia vel in Oratorio pro omnibus facit; dum ex scholis dimittuntur, per certas turmas ducuntur domum per Religiosum, ne per plateas vagentur, otientur, aut conventicula instituant ad ludendum.

Supra diximus hos Clericos Regulares adnumeratos fuisse à Gregorio XV. Ordinibus Religiosis anno 1621. cum potestate emittendi vota solemnia. Sed anno 1656. Alexander VII. eos reduxit ad primævum suum statum sæcularem, statuens, ut in futurum emitterent solummodo vota simplicia edito juramento perseverandi in Congregatione. Sed hoc tantum duravit usque ad annum 1669. quo Clemens IX. eos restituit statui suo Regulari; ut videre est in Appendice ad tom. 6. Bull. Rom. pag. 3. quæ incipit Ex in juncto nobis &c. *Erant inter eos quidam, qui votis solemnibus adstringi recusarunt, imo aliqui à Papa petierunt dispensationem à simplicibus, quibus tantum adstricti erant, & simul à juramento perseverandi in Congregatione; idcirco anno 1670. 10. Octobris, Clemens X. assignavit tempus iis, qui emiserunt vota tantum simplicia, ut se determinarent ad deserendam Congregationem, aut in ea manendum pro emittendis votis solemnibus, facta eorum Generali potestate absolvendia à juramento, & dispensandi in votis simplicibus cum eis, qui Congregationem deserere volebant, dummodo Fratres laici tantum essent, aut in minoribus Ordinibus solummodo constituti. Si autem essent in majoribus Ordinibus, & haberent patrimonium sufficiens ad sui sustentationem, aut beneficium aliquod, tales deberent redire ad obedientiam sui Episcopi; si autem in Ordinibus sacris constituti, nec tamen haberent, unde sustentari possent, liberum eis sit permanere in aliquo Conventu Congregationis, ibique vivere cum reliquis professis, sine jure ad vocem activam aut passivam, quo casu possent exercere sacros suos Ordines: si vero absolute vellent exire è Congregatione sine bonis Patrimonii aut beneficio, ejiciantur, ut vivant sub Obedientia Episcopi, suspensi ab exercitio Ordinum suorum. Idem Pontifex rursus approbavit eorum Constitutiones.*

Anno 1660. 28. Aprilis Alexander VII. per Breve Apostolicum constituit ut solus Cardinalis Vicarius Romæ esset eorum Protector pro semper; ut Generalis istius Ordinis semper eligeretur singulis sexennis, & ut haberet quatuor assistentes. In eodem Brevi approbavit consuetudinem in Congregatione ista introductam ei associandi pauperes Juvenes, item nuditatem pedum, magnamque paupertatem, quam profitebantur hi Clerici, præcipue in itineribus, qua more Apostolorum pedibus faciebant.

Anno tamen 1690. 22. Februarii Alexander VIII. per Breve Apostolicum sublata nuditate pedum jussit eos calceatos ire. Anno 1689. ejus Prædecessor Innocentius XI. eos exemit à jurisdictione Ordinariorum, ut soli Sedi Apostolicæ immediate subderentur omniaque eorum privilegia confirmavit. Vide in Bull. Rom. tom. 7. pag. 60. cujus initium Nuper pro parte &c.

Eorum habitus refert illum Jesuitarum, præterquam, quod eorum toga ante pectus claudatur tribus fibulis Coriaceis, & quod eorum pallium genua tantum attingat. Numerantur inter Ordines mendicantes, & Eleemosynas colligunt in Civitate adinstar aliorum Ordinum mendicantium. Perpaucæ Civitates sunt in Italia, in quibus non sunt, imo in aliquibus plures habent domos & Collegia. v. g. Neapoli habent quatuor, & Romæ quinque.

Tempus jam tandem est, ut Constitutiones hujus Congregationis benevoli Lectoris oculis subjiciamus. Eas approbavit Gregorius XV. ut supra in ejus Bulla vidimus, ubi promisimus earum tenorem Synoptice communicare, quod hic præstamus reimprimendo integrum libellum illarum Synopsin continentem juxta exemplar Romæ impressum anno 1698. sub hoc titulo.

SY-

SYNOPSIS CONSTITUTIONUM
Religionis Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI

SCHOLARUM PIARUM

Cum Notis, & Additionibus ex Literis Apostolicis, & Decretis Capitulorum Generalium.

Accedunt aliquod Ritus particulares, nonnullæ Ordinationes Præpositorum Generalium, & Consuetudines.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.
Sperellus Epis. Interamnen. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Sac. Apost. Pal. Magister, Ord. Prædic.

Approbatio Religionis.

Joannes Franciscus à S. Petro Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum Præpositus Generalis.

INtegræ, perfectæque Legum in Religione nostra vigentium Observantiæ seriò animum intendentes, ad mentem complurium Capitulorum nostrorum Generalium, Synopsim Constitutionum nostrarum cum notis accuratè construximus: Eamque, de consilio, & assensu Patrum Nobis Assistentium, cum quibus, juxta Constitutionem Gregorii XV. die 28. Aprilis 1622. editam, Corpus Religionis repræsentamus, maturo examine comprobatam, ad commodiorem Religiosorum nostrorum usum, ac Regulis Perfectionis frugem, servatis servandis, typis mandari posse unanimiter arbitramur. Dat. Romæ in Ædibus nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 8. Martii 1698.

Jo. Franc. à S. Petro Præp. Gen. m, pp.

Hyacinthus à S. Joseph Ass. Gen. m. pp.
Angelus à Concep. Ass. Gen. m. pp.
Athanasius à S. Barth. Ass. Gen. m. pp.

Loco ✠ Sigilli

Bened. à S. Franc. Ass. Gen. & Sec.

JOANNIS FRANCISCI A S. PETRO

Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Sholarum Piarum
Præpositi Generalis.

Ad Religiosos suos

PARÆNESIS.

I. LOquimur ad cor vestrum, dilectissimi Pietatis Professores: nec aliud loquimur, quàm cor nostrum; imò cor patris nostri, cujus vices humiliter gerere formidamus. Ipsa est noster Jonadab; nos omnes ejus filij Rechabitæ. (1) Quorum utinam fidelissimam imitemur Observantiam; adeò constantem, ut sibi vetitum à Patre Ionadab vinum, vel ipso Ieremiâ, ad Altissimi nutum, propinante, bibere penitùs recusarint. Celebrem hanc os Domini tenacitatem commendavit, eamque præmio perpetuandæ prolis affecit. Ita monemur, neglecto etiam Prophetæ indulto, majorum jussibus obtemperare. Abundet quisque in suo sensu: sit Propheta, & plusquàm Propheta; nisi spiritu Obedientiæ, in Legum suarum custodia potissimùm positæ, Religiosus abundaverit, (2) hujus vana est Religio: actus enim suos (quid inquam linguam suam?) non refrænat.

II. Tàm Sanctæ Observantiæ amore, ut arbitror, succensi, integras Legum nostrarum tabulas, in unum compactas, uno Vos omnes ore jamdudùm efflagitastis. Id ipsum exiguo, sed nostris cumulato Statutis volumine impræsentiarum exhibemus. Quæ Summi Pontifices, Venerabilis Patriarcha noster, Generalia Comitia, vel præcipua Generales pro tempore Præpositi hucusque ordinarunt, aut laudabiles firmavere Consuetudines, nonnullis, ad uniformitatem, & regularis normæ complementum, observationibus adjectis, hac Synopsi strictim complectimur. Nullam itaque prolixitas, nullam ignorantia transgressionem imposterùm excusabit. En ob oculos viam, quâ ad perfectionem contendamus. Eam Capitularium Decretorum selectu, declarationibus, ac moderatione complanavimus; quemadmodum (3) multiplex, (4) novissima, præsertim Generalis Congregatio, Nobis cum Patribus nostris Assistentibus enixè commendavit. Accessit etiam, ut manum huic Operi, & coronidem libentiùs imponeremus, præstantissimum Eminentissimi Cardinalis in Urbe Vicarii Casparis de Carpineo, Vigilantissimi Religionis nostræ Protectoris impetium. Prævidemus tamen humanæ imbecillitatis versutias, quibus animi Deo sacri specie recti à recto sæpe tramite deflectere periclitantur. Prævidemus quoque (5) Satanam ipsum transfigurantem se in Angelum lucis, & venenata sophismatum tela adversùs ritè sancita intorquentem. Propterea *Regularis Observantia, à falsis argumentis vindicata*, ad nostrum omnium hortamentum, visa est in hoc Operis vestibulo proponenda.

III. Duplex fallaciarum agmen claustralem obsidet sanctitatem: alterum Leges impugnat, alterum Vota. Jam primum in aciem descendat. En acutissimam præ cæteris sagittam. Nulla in simplicis Regulæ fracturâ culpa est; quid igitur mali? Nulla profectò in operis substantiâ; ferè semper aliqua in circumstantiis culpa delitescit; modò neglectæ inspirationis, modò negligentis omissionis, modò retardatæ, ad quam tendere Status Religiosus obligat, Perfectionis. Sæpè scandalum, sæpiùs acedia, sæpissimè inobedientia Regulæ scissuram comitatur, (6) eam quis ambigat, speculatione magis, quàm praxi, à peccato secerni? Esto tamen aliquando, etsi perraro secernatur; ecce languorem, ecce ruinam: (7) *luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.*

IV. Plus dicamus. Consuetudinum, necdum Statutorum, violatio ad gravissimos lapsus viam aperit: quandoquidem ad gratiæ efficaciam minuit capacitatem. (8) *Eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, David remansit in Jerusalem.* Quid hoc, nisi solius prætermissio Consuetudinis? Quid inde? Illicò adulterium cum homicidio attexitur. Ipsomet neglecti

lecti moris tempore (9) *accidit , ut surgeret David de strato suo , & deambularet in solario domus regiæ* , inspiceret , concupisceret , in præceps denique rueret. Ista non timentibus pejora prorsùs timeamus ; immanes nempe ruinas , & modicas , aut nullas restaurationes. Heu quot Babylonici Regis Simulacra (10) scissus inobservantiæ lapillus prosternit ! Resurgunt ; at iterum casura. Id accidere necesse est , si magnum constructuri ædificium , quod absque cæmenti minutiis diù stare non poterit , nunquam à minimis incipiant.

V. Perpende , siquis es modica non curans. Consuetudinem parvi pendis ? Statutum non magni facies. Laxo jam , vagantique animo audebis confabulari : ludicris delectaberis ; otiosa non respues : querimonias prosequêris : murmura , detractionesque minùs horrere assuesces. Hùc devenisti ? Jam non sapit animæ cibus , Oratio : præ debilitate titubas in tentatione : hæc invalescit ; ipse succumbis : Sacramentis erigeris: Erectus nónne statim ad pristinos redis defectus ? Ad pristinos , crede , redibis casus. Experientia te satis edocuit. Integrum tibi sanctificantis gratiæ mensem , si parva spreveris , Carmeli (11) Reformatrix non appromittit. Vitam resumis , non vires : à morte , non à morbo emergis ; passim moreris , passim revivíscis , nunquam ex integro sanaris : non etenim vivis , nisi ferè ad mortem infirmus. Hæc est lachrymabilis levia non timentium vita : hæc , non perimentium (12) parvulas inobservantiarum vulpes , animæ vineam demolientes , misera conditio. Vita languens , oblita fervoris , nugarum sectatrix , reficientis jejuna Orationis , spiritualium ignara consolationum : silere impatiens , obedire coacta , vagari anxia , tecolligi nescia , prona denique in ruinas. Meritò itaque cum doctore Maximo (13) *Satis prodesse dicimus , etiam minima pro maximis cavere.*

VI. At fortasse ne minimum quidem reatum putas , Cætuum nostrorum Generalium violare Decreta ; quasi nullam valeant inducere , donec à Sanctâ Sede confirmentur , obligationem. Ita sanè nascenti sine Religionis titulo Congregationi nostræ , antequam Constitutiones Fundator depromeret , (14) Paulus Quintus imperaverat. Verùm , efformatis postmodum nostris Constitutionibus , has ipsas , amplissimam condendi Leges , derogandique earundem Constitutionum præceptis facultatem Capitulo Generali (15) largientes , observari in iis omnibus , quæ Simpliei aptabantur Congregationi , solâ nempe Votorum secclusâ tunc temporis solemnitate , Alexander Septimus præcepit. Cui quidem præcepto (16) binis Apostolicis litteris pronunciato specialissimas , adeóque ad Paulinam Legem illam dirimendam efficacissimas subnexuit derogatorias. Nùm igitur Constitutio nostra , pluribus Summorum (17) Pontificum approbationibus , ac jussionibus cum specificis quorumcunque obstantium derogatoriis firma , incassum statuit , (18) tanquam de manu Domini admittendum quidquid major Capituli Generalis pars definierit ? Num otiosè ipsamet Constitutio concludit , (19) contenta in se Statuta à quinque de sex ejusdem Capituli partibus infringi posse , vel immutari ? Perlege , si aliud optas argumentum , (20) Gregorii Decimiquinti , & (21) Clementis Noni Diplomata : quibus post omnes , ac singulos Constitutionum nostrarum apices ab eodem Gregorio jampridem confirmatos , Religionis Status Instituto nostro , & quæcunque in genere , ac in specie Mendicantium Ordinum Privilegia conceduntur : Inter quæ (22) legislativa Capitulorum Generalium facultas , universam illicò Religionem obligans , citra discrimen connumeratur. Neque universales tantùm derogationum formulas in hisce Privilegiorum communicationibus , verùm etiam maximè specificas , & ad abolendam præcitati Pauli Quinti sanctionem validissimas deprehendes. Sole clariora sunt ista. Quis audeat , ne tantam patiatur lucem , sibi mentem excæcare , sive aliis , ut cæcutiant , suadere ? Eja itaque , imitati non pigeat Instituti nostri Protoplastam , Generalium Congressuum Decreta , non secus ac solidas Leges , quibus adhuc Ipse. obediebat , in suis documentis , præsertim in (23) Tertiæ Generalis Congregationis Indictione allegantem. Quin imò Pontificem ipsum hac in parte sequi cogimur , cum Clemente Nono , Alexandrum Septimum ; (24) qui singularissimis utens adversantium omnium derogationibus , decisivum Assistentibus votum inter cætera tribuit ad actus , ex Capitulorum nostrorum Generalium Decretis , à Præposito Generali , & Assistentibus expediendos An

Isti Apostolicam Capitularium ejusmodi Decretorum confirmationem, ut eo fruantur voto, expectabunt?

VII. Retusæ hucusque (25) sagittæ parvulorum, Regulari Legum Observantiæ plagas, & interitum comminitantes. Utinam (26) sagittæ potentis animarum hostis, cum carbonibus Religiosæ vitæ desolatoriis, solemnia Vota crudeliùs impetentes, in fragmina pariter, & favillas disjiciantur. Intendat arcum suum dexterrima jaculatrix, ambitio, ut nimia tensione suæ vires infirmentur. Gestiat tanquam Voti expertem, solemnem Humilitatis Promissionem, Professionis nostræ sacramento animatam configere. Hanc virtutum heroinam impenetrabili munitam clypeo pertinget, non perfodiet. Uno contra omnes ictûs ista se protegit thorace: Chirographo nempè, adhuc è Generali Archivo proclamante, Venerabilis Patris nostri manu cum suis Assistentibus subscripto: quo Clericis Nostratibus quælibet ad obtinendam Ordinum promotionem petitio interdicitur: *ne Votum de non ambiendo*, inquit, (27) *quo in ipsa nos Professione obstringimus, aliqua ex parte, vel minima, violetur, sed tutiùs, sanctiùsque impleatur.* Nonne juxta Religionis intentionem Professionem emisimus? Nonne Religioni eadem omninò, ac Institutori suo mens est, atque intentio? Cum itaque Institutor noster *Votum de non ambiendo* nos profiteri definierit, quis tergiversationi, quis sophismati locus invenietur?

VIII. Operis desiderium, non celsitudinis ambitum pia, & litteraria juventutis eruditio, quam Deo polliciti sumus, à nobis exposcit. Alta fortasse quærimus? Ad montem, qui Christus est, humilitatis Protomagister, instar ipsius, (28) præfici renuentes, confugiamus. Proximis prodesse cupimus? Sinamus (29) parvulos venire ad nos, ut panem petentes, lacte quoque de sacræ Sponsæ uberibus, & melle de superni Sponsi labiis manente reficiamus. Apostolos imitari lubet? Apostolicum instituti nostri non deseramus Ministerium ob Apostolicæ cupidinem Dignitatis: nè potiùs honori, quàm labori inhiare convincamur. Nulla ætatis, nulla doctrinæ, aut virtutum maioritas, imò nulla Gradûs præeminentia solemni Scholarum Voto nos exoluit. Votifragus proinde animus, dum ad Solia nititur, quæ calcare non poterit, nisi Scholis valedicens, Cathedram penitùs derelinquat. Ea propter Venerabilem Patrem nostrum oblatæ non semel Tiaræ (30) obstitisse commendamus; quia Pastoralem gloriam, utilitatemque humiliter declinans, Pastoris curam, ac labores constanter amplecti non recusavit. Dominico namque puerorum pauperum gregi (31) quinquaginta propè annis, ad extremam usque senectam, Pietatis pascua distribuit.

IX. Obedire vovimus, & ministrare: obedlri, & ministrari nullo affectare licet prætextu. Elatæ siquidem cervicis est, Obediente jugo, imperandi prurigine, se subtrahere. Ardua profectò res, alieno sub arbitrio libertatem tumulare; sed Voto jam tumulatam eruere, prorsùs intolerabile. Sic eruta contagionem invehunt cadavera. Nihil idcircò vehementiùs in constitutionibus nostris assertum, quàm Obedientia. (32) Modò Provinciatum, Domoromque Præpositis Generalis Ordinationes commendant: (33.) modò Subditos, nedùm Superioribus, sed & eorum Subministris parêre admonent; (34) modò Evangelicis, modò Sanctorum Patrum documentis Obedientiæ insinuant excellentiam. (35) Ad Communitatis signa celeritas, in (36) aperiendo coram Superiore Conscientias frequentia, ad (37) subeundum, vel innocenter mortificationis promptitudo passim indicitur, suadetur, inculcatur. Et jure quidem optimo: quandoquidem, Angelico docente Præceptore, (38) *laudabilior est Obedientia virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt.* Unum est, quod hanc virtutum omnium Parentem nec parere sinit, nec vivere, nimirum hominis defectûs in Prælato, non Dei supplementum intueri. Subinde illius judicem fieri, eique diffidere. O deplorabilis religiosarum mentium allucinatio! Timeant, qui ita sapiunt plùs quàm sapere oporteat, eximii spiritualis vitæ Doctoris Joannis Climaci sententiam (39) *Quicunque ad diffidentis animi scopulum offenderit, labetur, imò jam lapsus est. Ubi te cogitationum turba impulerint, ut in Præsidem tuum, aut inquiras, aut eum damnes, ab illis, tanquam ab stupro, resili. Non ego Præsidis in me judicium, sed meum ipse in se suscepit: non ego illius, sed meus ille judex est.*

X. Re-

X. Rebellem facilè domabit sensum, qui obediendo domuerit rationem. Memor tamen ejus effati: (40) *Majus est vivere in Castitate, quàm pro ea mori*; non solo rationis imperio, sed maximè Mortificationis supplicio concupiscentiam noverit coercendam. Paupertatis incommoda (41) quærere jubemur, & experiri; ne tanquam delicati milites, in lubrica arena, in qua frequens pugna, rara victoria, turpissimè prosternamur. Pauperiorem aufugientes, ad voluptatem confugiunt. (41) *Hi sunt*, air Abbas Claravallensis, *qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit: & sic diligunt Paupertatem, ut nullam inopiam patiantur*: Assuescamus itaque cum Apostolo (42) penuriam pati, ut abundemus: satagamus Regularem Legum nostrarum, Votorumque Observantiam, à falsis argumentis vindicatam ita nobis conciliare, ut à veris coram Supremo Judice illa nos vindicet redargutionibus.

1. *Ex Jerem.* 35. 2.
2. *Ex Jac.* 1. 26.
3. *Cap. Gen.* 1671. 1677. 1683. & 1686.
4. *Cap. Gen.* 1692.
5. *Secunda ad Cor.* 11. 14.
6. *Ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *cum Comment.*
7. *Thren.* 2. 8.
8. *Secundo Reg.* 11. 2.
9. *Secundo Reg.* 11. 2.
10. *Dan.* 2. 34. & 35.
11. *S. Theres. in Vit. à se descr.*
12. *Ex Cant.* 2. 15.
13. *S. Hieron. epist.* 14. *ad Celant.*
14. *Paulus V. Constit. Ad ea* 6. *Martii* 1617.
15. *Const. par.* 3. *c.* 1. & 8.
16. *Alexand. VII. Const. Dudum*, 24. *Jan.* 1656. & *Const. Cum sicut* 28. *Apr.* 1660.
17. *Alex. VII. in eisdem Const. utrobique cum specificis derogatoriis*, & *Greg. XV. Const. Sacri.* 31. *Jan.* 1622. *cum universal. derogat.*
18. *Const. part.* 3. *c.* 1.
19. *Const. part.* 3. *c.* 8.
20. *Greg. XV. Const. ad uberes* 15. *Octobr.* 1622.
21. *Clemens IX. Const. Ex injuncto*, 23. *Octobr.* 1669.
22. *Ex variis Const. Innoc. VIII. Martin V. Eugenii IV. Leon. X. Jul. II. Clement. III. & Calist. III.*
23. *Inter. Cap. Gen.* 1641.
24. *Alex. VII. Const. Cum sicut.* 28. *Apr.* 1660. & *Clemens IX. Const. Ex injuncto*, 23. *Octobr.* 1669.
25. *Ex Psalm.* 63. 8.
26. *Ex Psalm.* 119. 4.
27. *Ordin. Ven. P. nostri Fundat. dat. Romæ* 10. *Apr.* 1635.
28. *Ex Jo.* 6. 15.
29. *Ex Marci* 10. 4.
30. *Ex Process. Auth. Apost.*
31. *Ex eisdem Process.*
32. *Const. part.* 3. *c.* 4.
33. *Const. part.* 2. *c.* 2.
34. *Ibidem.*
35. *Ibidem.*
36. *Ibidem.*
37. *Ibidem.*
38. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 104. *art.* 3.
39. *S. Jo. Climac. gradu* 4.
40. *Tertull. exhort. ad Cast.*
41. *S. Bernardus serm.* 4. *de Adv. Dom.*
42. *Ad Philippens.* 4. 12.

INDEX CHRONICUS LOCORUM,

A quibus maximè desumuntur NOTÆ

Super Synopsi Constitutionum.

Constitutiones Apostolicæ.

PAuli V. P. M. *Burghesii*, à quo die 14. Januarii 1614. Scholæ Piæ, pridem authoritate *Clementis VIII.* à Ven. S. D. Josepho Calasantio Aragonensi circa exordia Sæculi XVII. erectæ, & inchoatæ, Congregationi Matris DEI aggregantur. Verùm ab Eodem 6. Martii 1617. confirmantur, & in Congregationem per se instituuntur. Et propterea primò Habitum Regularem, quo utimur, de manu Cardinalis Benedicti Justiniani, Secundi Scholarum Piarum apud Sedem Apostolicam Protectoris, Romæ in ejus domestico Sacello die 25. Martii, Annunciationi Matris DEI solemni ejusdem Anni 1617. Venerabilis Fun-

Fundator suscepit: qui eadem die in privato Scholarum Piarum apud Sanctum Pantaleonem de Urbe Oratorio suos quatuordecim Socios ad Habitum pariter admisit. Annus itaque Religioni nostræ Sæcularis erit à salute reparata MDCCXVII; initium auspicando ab eodem die Dominicæ Incarnationi sacro.

Gregorii XV. P. M. Ludovisii, qui Congregationem Scholarum Piarum Religionem pronunciat die 18. Novembris 1621. Item Constitutionis 31. Januarii 1622. confirmat. Præterea die 15. Octobris 1622. Novæ Religioni communicat quæcumque Ordinum omnium Mendicantium Privilegia.

Urbani VIII. P. M. Barberini; qui Scholas Pias à Processionibus, aliisque publicis actibus Kalendis Junii 1629. prout etiam Decretis Generalibus Clementis VIII. à Sanctitate sua confirmatis, circa Novitios in certis locis à Sede Apostolica designandis admittendos die 17. Novembris 1634. eximit.

Innocentii X. P. M. Pamphilii; qui Religionem Scholarum Piarum ad formam Congregationis S. Philippi Nerii relaxat die 17. Martii 1646.

Alexandri VII. P. M. Chisii; qui 24. Januarii 1656. Scholas Pias in Congregationem Trium Votorum simplicium cum juramento perseverantiæ restituit. Idem regimen Generalis cum Assistentibus ad sexennium decernit 28. Aprilis 1660. & ibidem Constitutiones, & Privilegia confirmat.

Clementis IX. P. M. Rospiliosi; qui 23. Octobris 1669. Scholas Pias ad pristinum Statum Religionis revocat; Constitutiones, & Privilegia ptidem à Gegorio XV. impertita confirmando.

Clementis X. P. M. Alterii; qui dio 18. Martii 1676. per Sac. Congregationem super Statu Regularium præscribit, quatenùs Novitii sint admittendi, & Professoria pro Junioribus Religionis nostræ gubernanda.

Innocentii XI. P. M. Odescalchi; per quem 13. Martii 1689. Religio Scholarum Piarum ab Ordinariorum Jurisdictione declaratur exempta, & in fruitione Privilegiorum aliàs indultorum, confirmatur: necnon 3. Septembris 1689. donatur capacitate possidendi ad formam Concilii Tridentini cap. 3. sess. 25. de Regul.

Alexandri VIII. P. M. Ottboboni; cujus motu proprio 21. Februarii 1690. tota Religio uti calceis, & caligis, certa eorum forma in suis literis Apostolicis constituta, jubetur: præterea 23. Januarii 1691. Indulget Generalibus pro tempore, ut ratione studiorum possint cum Clericis Novitiis tantùm super altero Probationis Anno dispensare per Decretum S. Cong. Conc.

Innocentii XII. Pontificis Max. Pignatelli; qui Const. *Ad ea, per quæ.* 15. Februarii 1696. exercitium in Religione mentaliter orandi plerisque Indulgentiis locupletat. Plura ejusdem Decreta, & literæ Apostolicæ passim in hac Synopsi citantur.

Ex Apostolicâ Summorum Pontificum prædictorum Providentiâ deputati sunt pro tempore Instituto nostro Eminentissimi apud Sanctam Sedem Protectores.

Primus à Paulo V. *Ludovicus Card. de Torres*, Romanus, Archiepiscopus Montis Regalis in Sicilia.

Secundus, *Benedictus Card. Justinianus*, Genuensis, Episcopus Portuensis.

Tertius à Gregorio XV. *Alexander Card. Cæsarinus*, Romanus, Episcopus Viterbiensis.

Quartus ab Urbano VIII. *Martius Card. Ginettus*, Velitranus, Urbis Vicarius, & mox Episcopus Portuensis: quo Vicariatum gerente cum Scholarum Piarum Protectione, Urbis Vicarii pro tempore in Religionis nostræ Protectores instituti sunt ab Alexandro VII. Const. *Dudum fel. rec. Paulus V.* die 24. Januarii 1656.

Quintus à Clemente X. *Palutius Card. de Alteriis*, Romanus, pariter Vicarius, deinde Sanctæ R. E. Camerarius.

Sextus, *Gaspar Card. de Carpineo* Urbis Vicarius, nunc Episcopus etiam Sabinensis, qui diù fælicissime vivat.

Capitula Generalia.

Primum Capitulum Generale Religionis Scholarum Piarum Romæ celebratur anno 1627. mense Octobri, Ven. Servo DEI Josepho à Matre Dei, Fundatore, Primo Generali, electo à Gregorio XV. die 28. Aprilis 1622. Const. *Apostolici muneris*.

Secundum anno 1637. in Urbe convocatur, eodem Scholas Pias moderante.

Ter-

Tertium habetur ibidem anno 1641. Eodem pariter Generalatum gerente.

Quartum anno 1659. mense Majo, ubi Joanni à JEsu Maria Segobiensi ex Castella veteri Generali secundo piè defuncto (fuerat is per Breve Alexandri VII. suffectus Josepho à Matre Dei, qui virtutibus, & meritis praeclarus obierat Romae 1648. aetatis an. 92.) Camillus à S. Hieronymo Urbinas in tertium Generalem per electionem subrogatur.

Quintum anno 1665. in quo per Electorum suffragia Camillo à S. Hieronymo post absolutum in Regimine sexennium, succedit Cosmus à JESU Maria Siculus, Generalis quartus.

Regulae communes in quinto Capitulo Generali 1665. confirmantur.

Ritus pariter in eisdem Generalibus Comitiis approbantur.

Sextum Capitulum Generale 1617. mense Majo; in quo Cosmo à JESU Maria Inficitur Joseph à Visitatione Romanus, Generalis quintus per Breve Apostolicum Clementis X. P. M.

Septimum Congregatur anno 1677. Itidem Romae, à quo in successorem Josephi à Visitatione Electus renunciatur Carolus Joannes à JEsu Salentinus, Generalis sextus.

Octavum Capitulum Generale 1683. In quo per novam Electionem idem in Generalatu ad aliud sexennium confirmatur.

Nonum convenit Romae anno 1686. & Carolo Joanni à JESU vita functo, substituitur ab Electoribus Alexius à Conceptione Anconitanus, Generalis septimus.

Canones Poenales in eodem nono Capitulo Generali ritè decernuntur.

Decimum Capitulum Generale anni 1692. loco Alexii à Conceptione, per suffragia in Generalem Octavum assumit Joannem Franciscum à S. Petro Mutinensem.

Fuerunt autem Praesides in Capitulis Generalibus hactenus celebratis, *Primo*, *Ven. Fundator*, *Generalis. Secundo*, nonnulli Romanae Curiae Praesules à Sede Apostolica designati; inter quos *Julius Rospiliosus*, qui postea *Clemens IX. P. M.* Optimus Religionis Instaurator, *Tertio*, *Alexander Casatinus S. R. E. Cardinalis Protector. Quarto*, *& Quinto*, *Martius Card. Ginettus.* Urbis Vicarius, pariter *Protector. Sexto Camillus de Maximis S. R. E. Card.* pro Eminentissimo *Palutio Alterio*, Clementis X. nepote, Urbis Vicario *Protectore. Septimo*, *Octavo*, *Nono*, *& Decimo*, *Caspar S. R. E. Card. Carpineus*, Urbis Vicarius, & *Protector* Beneficentissimus.

* Notat Interpretationes, Declarationes, Definitiones, & Moderationes Generalis cum Assistentibus de authoritate sexti, septimi, octavi, noni, & decimi Capituli Generalis, pro temporum, & rerum opportunitate, sparsim in Synopsi Constitutionum appositas; Item Consuetudines Religionis, & praecipuas quasdam Praepositorum Generalium Ordinationes.

Decreta verò Capitulorum Generalium, quae huic Synopsi non inseruntur, abrogata intelligantur.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei Memoriam.

Constitutiones confirmat.

CONsuevit Sedes Apostolica nascentes Regularium Coetus legibus inviolabiliter observandis pro feliciori eorum regimine fulcire.

Constitutiones, in unum collectas à Generali Scholarum Piarum cum Sociis, Gregorius XV. admittit confirmandas.

Eundem cum Sociis, ad effectum ejusmodi Confirmationis tantùm consequendae, à quibuscumque Censuris, & poenis absolvit.

Asserit hasce Constitutiones à S. Congregatione rebus Episcoporum, & Regularium praeposita examinatas, & probatas.

Eisdem perpetuum Apostolicæ Authoritatis robur, quoscumque juris, & facti defectus supplendo, adjicit.

Accedit Decretum Summi Pontificis pronunciantis omnes, & singulos in perpetuum Scholis Piis Assertos harum Constitutionum observantiâ respectivè teneri; & posse ad eam Censuris Ecclesiasticis compelli.

Cavet, ne quicumque Judex Ordinarius, aut Delegatus, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditor, aliter ab ejusmodi Statutis definiat; irritum quidquid in contrarium attentetur, decernendo die 31. Januarii 1622.

Earum autem Constitutionum condendarum facultatem indulserat V. Ser. Dei Josepho à Matre Dei Fundatori cum Sociis Paulus V. P. M. die 6. Martii anno 1617. Const. *Ad ea per quæ.* cum in Simplicem Congregationem per se Scholas Pias erigeret; quemadmodum post elapsum quadriennium idem Gregorius XV. Const. *In supremo Apostolatus solio.* 18. Novembris 1621. Easdem ad solemnem Religionis Statum assumpsit.

Alexander VII. P. M. Const. *Dudum fel. rec. Paulus P. V.* die 24. Januarii 1656. præsentes pariter Constitutiones in iis, quæ simplici Congregationi aptantur, præcipit observandas. Idemque repetit Const. *Cum sicut* 28. Aprilis 1660.

Item Clemens IX. in Const. reintegrationis ad Statum Religionis, incip. *Ex injuncto nobis* 23. Octobris 1669. denuo Constitutiones munit Apostolica firmitate: Quod pluries à Summis Pontificibus factum.

SYNOPSIS CONSTITUTIONUM

PARS PRIMA.

PROOEMIUM.

1. Finis Instituti Scholarum Piarum Charitatis perfectio est.

2. Circa piam, & literariam puerorum disciplinam, ad Reipublicæ reformationem, versatur.

3. Adolescentes, à teneris annis pietate cum literis imbuti, felicem totius vitæ censum auspicantur.

4. Nullum Institutum legibus destitutum subsistit.

5. Pueri pauperes nusquam despiciendi; sed multa charitate ad virtutes adducendi.

6. Est Instituti nostri à primis elementis modum rectè legendi, scribendi, numerandi, latinè loquendi, cum fidei, & pietatis rudimentis in primis tradere.

7. Ministros Charitate, Patientia, & virtutibus omnibus refertos requirit.

8. Summus habeatur Admittendorum delectus, & maximè sedula sit Admissorum institutio, ne Institutum labefactetur.

NOTÆ.

Ad 1. Intuita Sede Apostolica quanti sit, ut Christi fideles piis moribus, & doctrina imbuantur; Scholæ Piæ Clementis VIII. P. M. authoritate eriguntur: & à Paulo V. Successore confirmantur. Greg. XV. Const. *In Supremo Apostolatus.* 18. Novembris 1621.

a In singularem amoris tesseram Paulus V. P. M. Const. *Ad ea, per quæ.* 6. Martii 1617. à suo nomine titulum Instituti sanxit, Congregationis Paulinæ Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum; ubi Habitum Regularem, & rationem in ea vivendi definit; & Congregationis ita fundatæ Præfecturam, Regimen, & Administrationem Josepho Calasantio Fundatori committit; vocatque ibidem Scholas Pias, *maxime laudabile opus pauperes erudiendi, & instituendi; gratis autem, & nullo stipendio, aut honorario ad pueros in primis elementis, Grammatica, & Computo, maximè verò in Fidei Catholica rudimentis, bonis, & piis moribus, operam, laborem, ac studium conferre teneantur.*

b Postmodum Gregorius XV. addictiores Scholarum Piarum Assertores, Pio Instituto effecturus, Paulinam Congregationem, Religionem trium Votorum solemnium pronunciat die 18. Novembris 1621. Const. *In Supremo Apostolatus.* Cujus etiam Josephum à Matre DEI, qui cum quatuor sibi Assistentibus Corpus Religionis repræsentet, in primum Generalem ad novennium decernit. Const. *Apostolici muneris.* die 28. Apr. 1622.

c Præterea, dum novæ Religioni quæcumque omnium Ordinum Mendicantium Privilegia idem communicat die 15. Octobris 1622. motivum tantæ largitatis, & Apostolicæ Beneficentiæ innuens, inquit: *Ad uberes fructus, quos dilecti filii, Minister Generalis, & Clerici Congregationis Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum in militanti Ecclesia in dies afferunt, mentis nostræ aciem convertentes; ac uberiores ex ipsa Congregatione fructus in dies perventuros esse sperantes ad ea merito libenter intendimus, per quæ Congregatio ipsa felicioribus in dies proficiat incrementis.* Const. præcit. *Ad uberes.*

d Nec

d Nec minori Charitate Urbanus VIII. recens Institutum complexus, inquit, Const. *Debitum Pastoralis officii.* Kal. Junii 1629. expropter à se Religionem Processionibus, & aliis actibus publicis eximi, ne studio piæ vitæ, & puerorum institutioni sedulò vacantes Religiosi nostri distrahantur.

e Alexander VII. redactam ab Innocentio X. P. M. Const. *Ea, quæ pro felici.* die 16. Martii 1646. Religionem in Congregationem absque ulla Votorum emissione restaurant; ad Statum, scilicet, novæ Congregationis cum emissione Votorum Simplicium erigens Const. *Dudum* 24. Januarii 1656. inquit: *Nos considerantes, experientiâ rerum magistrâ, liquidò constare, quàm utile sit Reipublicæ Christianæ Institutum Scholarum Piarum; quarum opera, & sedulitate pueri corrupta natura vitio, alioquin ad malum proclives, non solum in primis elementis, Grammatica, & Computo instruuntur; sed etiam, quod longè conducibilius est, Fidei Catholicæ rudimentis, ac moribus, & virtutibus Christianis imbuuntur, boni publici plurimùm interesse censemus, eosdem Clericos in laudabili, & fructuoso eorum Instituto perseverare.*

f Tandem Clemens IX. P. M. anno 1669. Const. *Ex injuncto Nobis*: Intuitus Congregationem pueris, non solùm literarum rudimentis, sed etiam pietate, moribusque Christianis maturè imbuendis laudabiliter incumbentem, peculiari favore prosequens, eam ad Statum Religionis, & ad fruitionem Privilegiorum Ordinibus Mendicantibus concessorum restituit.

Ad 8. Regularis observantiæ Novitiorum Institutioni, & educationi præcipuè innititur. Clem. X. 18. Martii 1676. in Decretis super Novitiis Religionis nostræ admittendis.

CAPUT I.

De Impedimentis Admittendorum.

9. Desperanda prorsùs Religionis nostræ emolumenta, nisi dexterè, prudenterque examinentur, & probentur Admittendi.

10. Admitti omninò prohibentur majoribus impedimentis affecti, ut Apostatæ à Fide; vehementer suspecti de rebus Fidei; aliam Religionem Professi; homicidæ non dispensati; criminosi de jure inhabiles ad Ordines; uxorati; sponsi; legitima servitute devincti.

11. Hi minùs idonei, qui magis detenti minoribus impedimentis; ut qui fuerint alterius Instituti Novitii minùs, quàm per annum; ære alieno gravati; vel civilibus obligationibus adstricti, juxta Sixti V. Const. ætate valdè teneri, juxta Trid. aliquo defectu in corporis integritate; virium debilitate; notabili deformitate laborantes; Illegitimi ad Ordines dispensati.

12. Majoribus obnoxii, statim placidè dimittantur.

13. Super Minoribus, dummodò insigni eruditione, industriâ, vel virtute aliquâ polleat Candidatus, concessum Provincialibus dispensare.

14. In Admittendis requiritur loquendi gratia; ut sit in docendo facilitas.

N O T Æ.

Ad 9. Deputantur in singulis Italiæ Provinciis Domus Probationis à Sacra Congregatione super Statu Regularium de mandato Clementis X. 18. Martii 1676.

a D-[illegible]itus in eisdem intra Italiam, comprehensa Sicilia, certus Novitiorum numerus; quibus admissis, iterùm Sedi Apostolicæ supplicandum pro aliorum admittendorum facultate. *Decr. Clem. X.* Vide ad 32.

b Rectores Domorum cum antiquiore Sacerdote (Novitiatuo cum Novitiorum Magistro; Junioratuum cum Juniorum Præfecto) antequam quis ad Habitum proponatur, ejus voluntatem, & mentem explorent: quæ si recta deprehendatur, zeloque perfectioris vitæ in pia, & literaria puerorum eruditione duci comperiatur, Superioribus præsentetur. *Id. ibid.*

c Habeant autem Candidati secum Baptismatis, Confirmationis, Morum, Studiorum (Ordinum etiam, si Clerici) & Status liberi, necnon quòd non sint inquisiti, testimonia; & Parentum, seu Propinquorum, aut Curatorum consensum, quatenùs necessarius prudenter judicetur.

d Examinatores Admittendorum pro Romana Provincia, Generalis, Assistentes, Provincialis, & Procurator Generalis; pro aliis verò sui Provinciales, Consultores, & Rector Domus constituuntur. *Id. ibid.*

e Provinciales jussi à Cap. Gen. 1637. decernere initio sui regiminis Examinatores Confessariorum, Ordinandorum, Studentium, Neomagistrorum, Lectorum, Concionatorum, & Librorum typis edendorum, cum pro typis accesserit Præpositi Generalis consensus, prædictis Examinatoribus utantur, cum facultate alios etiam, si opus fuerit, præter illos, assumendi. *Cap. Gen. 1659.*

Si detur paritas votorum in examine, à Generali, vel Provinciali cum suis Examinatoribus habendo, decisio ad Generalem respectivè, seu Provincialem spectabit. Si quando prætereà Examinatores extraordinarii assumantur, voto tantùm consultivo gaudebunt; decisivo tamen, si Ordinariis legitimè impeditis, & aliis decisivo fruentibus, ad eorum numerum complendum; non verò, si supra impeditorum numerum subrogentur. *Vide ad* 347. c. Suffragia verò quæcumque decisiva in quibusvis actibus sivè ad regimen, sive ad electiones, vel ad quamlibet aliam rem pertinentibus, semper, & ubique secretò exhibeantur.

f Petentes admitti pro Clericis, examinandi super literatura, quæ saltem non sit minor literis humanioribus; tantamque Scientiarum addiscendarum præseferant indolem, ut eas aliis docendis idonei futuri sperentur. *Decr. Clement. X.*

g Super ætate: quæ in Clericis annorum quindecim absolutorum; in Laicis autem viginti pariter completorum requiritur. *Id ibid.*

h Super honestate Natalium: vitæ anteactæ moribus: corporis habitudine: aliisque necessariò requisitis. *Ibid.*

i Sint etiam noti saltem per Præceptorum, sodalium, & amicorum relationes. *Id. ibid.*

k In examine prælegantur Admittendis impedimenta hic recensita: & moneantur de juramento super eisdem præstando ante Habitus susceptionem *Ibid.*

l Cautum Examinatoribus, nequem admitti patiantur, qui maximè idoneus Instituto non reputetur: & meminisse debent, ineptam turbam Scholis Piis profitendis impatem esse. *Reg. Exam. num.* 1.

Ad 10. Majoribus impedimentis affecti declarantur Acatholicis Parentibus, aut Sectis progeniti; quatenùs Generalis Dispensatio non accedat. *

Ad 11. Inter innodatos majoribus impedimentis asseruntur etiam Illegitimi, Eremitæ, nec non ad aliam Religionem, (Militaribus, & Equestribus Ordinibus exceptis, qui vivere claustraliter non consueverunt *) quoquomodo admissi, sub pœna privationis Officiorum Provincialibus, si secùs attentent. *Cap. Gen.* 1692.

a Porrò cum Illegitimis aliqua spectabili prærogativa insignibus, Generalis tantùm cum sibi Assistentibus dispensare permittitur, juxta idem *Cap. Gen.* 1692.

b Sedula pariter habenda ratio est in Admittendis adultis, & anno ætatis vigesimo majoribus: quia experientia compertum, Instituto nostro difficiliùs assuescere. *

c Item cavendum ab admittendis denuò his, qui aliàs à Noviriatu, vel abierint, vel fuerint expulsi; nisi vehemens accedat ratio. *

d Serventur præterea Sixti V. Const. 71. *Cum de omnibus*, & Clementis VIII. Decreta circa Recipiendorum conditiones. *Cap. Gen.* 1641.

Ad 13. Nemo ad Habitum Religionis à Provincialibus admittatur sine decisivo Assistentium suorum, & Rectoris Domus suffragio. * *Cap. Gen.* 1637.

a Compertis in examine idoneis, & ad jurandum, se nullo Impedimentorum irretitos esse, paratis, detur testimonium in scriptis ab Examinatoribus juramento testantibus, admitti petentes, habiles ad Institutum nostrum inventos. *Decr. Clem. X.*

b In admittendis Novitiis, sub interminatione divini judicii, necnon privationis Vocis activæ, ac passivæ, ac Dignitatum, & Officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem imposterùm obtinenda, Superioribus præcipitur, Decreta Clementis VIII. ad unguem servari ab Innocentio XII. 24. Julii 1694. Quæ quidem Decreta incipiunt: *Regularis. Sanctissimus. Nullus.*

Ad 14. Quòd balbi, blesi, linguaque præcipites, vel tardiores loquendi careant gratia, excluduntur, sicut etiam visu notabiliter laborantes. *

a. Quatenùs, quod rarò contingat, ex Operariorum defectu, Tertiarius aliquis admittatur, oporteat; eadem respectivè impedimenta considerentur. *

Nullus tamen sine Generalis facultate usquam admittendus: neque sit minor vigesimo primo ætatis anno absoluto. *Cap. Gen.* 1637.

b. Tertiariorum Habitus brevis esto usque ad crura, semipalmo, scilicet, infra poplitem porrectus, ex panno consueto nigri coloris *Cap. Gen.* 1641. Regulis, & laboribus Operariorum assuescant. *

Caput II.

De Admissione Novitiorum ad Probationem.

15. Ad explorandas animi propensiones, diuturnum de petentibus admitti fiat periculum.

16. Admittendi valdè noti sint oportet ex Præceptorum, sodalium, amicorum, & familiarium relationibus.

17. Admittendi per examen approbati, tanquam hospites, per aliquot dies in domo Probationis collocentur; ut illi vicissim Institutum, illos Institutum probet.

18. Hospitii tempore informentur Candidati de modo in Religione agendi.

19. Hospites, ad Habitum admittendi, cum illis tantùm verbo, & scripto agant, qui fuerint à Superiore designati.

20. Secum interea, & cum DEO liberiùs Vocationem perpendere doceantur.

21. Si multifariam exercitati perseverent, repetitis Vocalium Domus Orationibus, ad Habitum admittantur.

22. Descriptis in libro ad id instructo, rebus, & indumentis à Sæculo allatis, in Vestiario verò usque ad Professionem custodiendis, vel eorum usui concedendis, manu sua subscribant.

23. Ad

23. Ad Habitum Religionis admissi, Novitiorum Magistro instituendi continuò tradantur.

24. In Novitiorum Magistros eligantur, qui suis Tyronibus prudentiâ, eruditione, experientia, & exemplaritate, promovendis ad virtutis fastigium sint accommodi.

25. Novitiorum Institutor sit Communitatis tenacissimus; Sacros Ritus calleat; perfectionem verbo doceat; factis exprimat.

26. In Ædibus Novitiatus, ab aliorum consortio separatis, tàm Clerici, quàm Operarii biennio probentur.

27. Statim Novitiis per mensem, & ampliùs, arbitrio Magistri, Spiritualia Exercitia tradantur: & generaliter confiteantur.

28. Strenuè Novitii probentur in Devotionis, Orationis, Sacræ Lectionis, Meditationis Mortificationis, Humilitatis, præsertim Silentii, & Modestiæ, Abnegationis voluntatum, & judiciorum, in Sui contemptus, & alacris Tolerantiæ praxi.

29. Erit Novitiorum Institutoris internas eorum propensiones seduló scrutari; eosque ad perfectionem juxta Spiritus Sancti ductum dirigere.

30. Singulis Tyronibus singula cubicula, in quibus nihil curiosum, nihil singulare, aut superfluum.

31. Quarto quoque mense per Commissarium, à Generali, seù ejus nomine à Provinciali deputandum, visitentur.

32. Siquis Novitiorum ex Magistri, & Sacerdotum Domus Probationis relatione contumax, inhabilis, aut scandalosus in ea Visitatione compertus fuerit, dimittatur.

33. Magister frequentiùs Novitios de tentationibus, quibus magis infestantur, suaviter interroget, antidota præscribendo.

34. Sit pervigil in Novitios, minùs fideliter intima cordis aperientes; qui uc plurimùm decipiuntur.

35. Quisquis primo Probationis anno satis in mortificationis, & maximè Orationis studio profecerit, potest à Provinciali circa literarum studia, Probationis biennium continuando, dispensari.

NOTÆ.

Ad 15. & 16. Novitii nusquam admittantur, nisi ad formam Decretorum Clementis X. P. M. pro Novitiis in Religione nostra recipiendis 18. Martii 1676. *Vide Notas ad 9. a.*

a. Per aliquot saltem menses, Petens admitti tenetur in suspenso, ut maturiùs, quò ejus Vocatio feratur, possit cognosci: tradatur interea dirigendus Patri alicui spirituali; qui suaviter illum ad Sacramentalem conscientiæ expiationem, Sacram Synaxim, Orationem, & ejusmodi frequentandum adhortetur. *

Ad 17. Admittendus præsentet Rectori Domus Probationis testimonium Examinatorum; & præmissa Patrum ibi Vocem habentium Oratione, si adhùc divino ductus spiritu judicabitur, perlectis iterum eidem præfatis impedimentis, præstito actuali Juramento, quòd nullo eorum se teneri cognoscat (quod quidem Juramentum in libro solito connotandum) admittatur velut hospes per aliquot dies, Superioris arbitrio, non minùs tamen, quàm decem; ut ipse Admittendus certior reddatur de forma Instituti; & Patres eum pleniùs cognoscant. *Dec. Clem. X.*

Ad 18. Admissus, tanquam hospes doceatur, quomodò se gerere debeat. *Ibid.*

a. Præter Admittendos ad Habitum, nullus ullibi hospitio excipiatur in Domibus Probationis. *Cap. Gen.* 1637. Quod etiam prætextu Exercitiorum Spiritualium ad convivendum cum Novitiis interdictum. *Cap. Gen.* 1692.

Ad 19. Novitius hospes, neque verbo, neque scripto, nisi de licentia Superioris, cum Externis, aut Domesticis agat, præterquàm cum his, qui à Magistro Novitiorum designati fuerint; ut liberiùs secum, & cum Domino perpendat Vocationem suam. *Cap. Gen.* 1641. *& Decr. Clem. X.*

Ad 21. Si Novitius, tempore hospitii variis probationibus exercitatus, firmiter perseveraverit, præmissa iterum communi Oratione, ad Habitum admitti poterit. *Id. ibid.*

a. Sit Novitiorum Institutoris Admittendos ad Habitum præmonere, ut recordentur, Confessis, & Sacro Convivio refectis, Religionem ingredientibus Plenariam Indulgentiam concessam à Paul. V. 23. Maji 1606.

b. In Admittendis ad Habitum, & Professionem, atque in Renovatione Votorum Ritus consuetus observetur.* *Rit. Cap.* 1.

Ad 22. Neque pro ingressu, neque, post susceptum Habitum, pro admissione ad Professionem, neque alio quocumque prætextu, excepto victu, & vestitu pro tempore, quo quis in Probatione est, à Novitiis, vel eorum Parentibus, Propinquis, aut Curatoribus aliquid accipiatur, sub pœnis per Sacros Canones, & Concil. Trid. statutis. *Decr. Clement. X.*

Ad 23. Eò maximè Novitiorum Institutio collimet, ut veram Status Religiosi normam, & Vocationis pretium concipiant; & in primis de Votis, & Observantia, quam profitemur, ubertim informentur. *

a. Præter opportunam ſpiritualem Inſtitutionem, Operarii tempore Probationis alacriter artibus quibuſcumque neceſſariis exerceantur, præſertim ſutoria, ſartoria, & culinæ miniſterio. * *Cap. Gen.* 1683.

Ad 24. Ipſe Magiſter Novitiorum Sacerdotali Ordine ſit initiatus; ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus; & per decennium à Profeſſione emiſſa in Religione perſtiterit. Socius verò trigeſimum annum excedat; ſintque ambo doctrina, vitæ anteactæ exemplo præſtantes; Orationis præterea, & mortificationis operibus addicti; Prudentia, Charitateque referti, non ſine affabilitate graves, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præſertim, & indignationis, quæ in ſe, & erga alios Charitatem impedire conſueverunt, quam longiſſimè alieni: tales demùm, qui in omnibus ſe ipſos bonorum operum exemplum præbeant: ut ii, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tàm metuant, quàm revereantur. *Clem. VIII. Decr. de Novit. recip. die* 19. *Maji* 1604.

Ad 26. Pro ſuſtentando Novitiatu ſingulæ Provinciarum Domus, ad Generalis præſcriptum, contribuant. *Cap. Gen.* 1637.

a. Rectores, Magiſtri, Promagiſtri, & Familiæ Novitiatuum, & Junioratuum ab ipſo Generali, conſultis ei Aſſiſtentibus, Provinciali, & Procuratore Generali, conſtituantur, vel amoveantur. *Decr. Clem. X.*

b. Quòd ſiquando Provinciales delegatam habeant à Generali Juriſdictionem ſuper primis, & ſecundis Novitiatibus, in collocandis ibidem, & amovendis Perſonis de Familia, pariter Aſſiſtentium ſuorum, & Rectoris Domus conſilium adhibeant. *

c. Porrò ſint Religioſi graves, devoti, exemplares, obſervantiæ regularis, & vitæ communis tenaces: ſecùs in Domibus Probationum non ferantur. *Idem. Vide ad* 39. *b.*

d. Tàm Clerici, quàm Operarii biennio probentur. *Decr. Clem. X. Vide ad* 332.

Ad 27. Admiſſis ad Habitum per decem ſaltem dies tradantur Exercitia Spiritualia. *Rit. c.* 4. per horas quatuor Meditationis quotidianæ. *

Ad 28. Experimenta Novitiorum faciat Magiſter cum Prudentia, & ſancta Charitate. *Reg. Mag. Novit. n.* 4.

a. Inſuper, ſi penès Tyrocinium Scholæ doceantur, quotidie in earum Inſtituto Clerici bini, ſaltem per ſemihoram exerceantur in Legentium, aut Rudimentiſtarum claſſibus ad ſui Magiſtri nutum, & Præceptorum directionem; priùs tamen inſtruantur de docendi modo, & Pietate cum literis immiſcenda; ut ità Novitiorum capacitas ad Inſtitutum, quod ſolemniter profiteri intendunt, perſpicua fiat *

b. Tempore Probationis Novitii proptereà doceantur modum docendi Chriſtianam Doctrinam, formandi characteres, & computa faciendi. *Reg. Mag. Novit. n.* 6.

Ad 29. Magiſtri Novitiorum eſt, ſæpè Novitios ſuaviter interrogare, an in via Domini ſibi quidquam adverſetur; & quæ ſit rerum ſuarum, & Vocationis ratio; ut magis illos juvare valeat, & perſpectos habere. *Ibid. n.* 5. *Vide in Notis ad* 374. *a.*

Ad 31. Commiſſarii ad quadrimeſtres Novitiorum Viſitationes ordinati ſecum habeant Secretarium ſaltem, virum gravem: & Magiſtri, & Promagiſtri Novitiorum relationem juratam ſuſcipiant. * *Cap. Gen.* 1641.

a. Pro quadrimeſtri Novitiorum Viſitatione Vocales ejus Familiæ ſeorſim ſuper iiſdem Interrogentur; & eorum reſponſa ſummatim reſcribantur. * *Cap. Gen.* 1686.

b. Ritus inſtituendæ Viſitationis quadrimeſtris eſto. Ubi Viſitator Commiſſarius Domum Probationis advenerit, Patres in Oratorium convocatos perpaucis de neceſſitate hujuſmodi Viſitationis alloquatur, adhortando, ne graves Tyronum errores humanis reſpectibus ducti, ſubticendo, Religionem prodant.

c. Inde Secretario, & Rectore comitantibus, ædes Novitiorum adeat; videatque, an ritè ſint ſeparatæ ab Antiquorum manſionibus: porrò quidquid opportuno remedio dignum compertum fuerit, ſtatim à Secretario conuotetur.

d. In viſitandis Novitiorum cubiculis videat, an aliquid indecens, curioſum, vanitati proximum, Paupertati contrarium, aut ſingulare ibidem habeatur.

e. A Singulis Novitiis Regulas, libros pro lectione ſpirituali, notata ſpiritualia, & libellum precum noſtrarum videnda requirat.

f. Ab eiſdem circa ſtudia diſpenſatis ea, quæ ſtudiorum ſunt, petat: Magiſtrum verò, quomodo pietate, ac literis proficiant, examinet. *

g. Luſtrabit, quæ ſit cubiculi munditiea; an aqua luſtralis, an catenula, an diſciplina ibidem ſit, & ejuſmodi, ex quibus conſuevit adoleſcentium propenſio, & indoles ad religioſam educationem cognoſci.

h. Quibus attentè perſpectis, in ædes ad hoc præparatas ſeſe recipiens cum Secretario, ſeorſim Rectorem, & ſingulos Vocales interroget.

i. Circa regularem Novitiorum Inſtitutionem.

k. Circa eorum Exercitia Spiritualia, literaria, & manualia.

l. Circa Indigentias temporales, & modum, quo tractantur, præſertim infirmi.

m. Circa vagationes, & familiaritates.

n. Circa diurnam Regularum explicationem, & ſacras lectiones.

o. Circa cuſtodiam cum ipſis adhibendam.

p. Circa ſpiritualem profectum, præſertim in mentaliter, & vocaliter orando.

q. Cir

q. Circa fidelitatem in reddenda conscientiæ ratione.

r. Circa revelandos Sodalium defectus, & tentationes, si quas norint.

s. Circa solitam Sacramentorum frequentiam.

t. Circa indolem religiosæ disciplinæ, & studiorum capacem, vel incapacem.

u. Circa mores cujusque.

x. Circa valetudinis constitutionem.

y. Circa mortificationem in propriis voluntatibus, judiciis maximè frangendis, aliisque mortificationibus humiliter tolerandis.

z. Circa Magistri, & Promagistri concordiam, & exemplaritatem, & ejusmodi.

aa. Post Domos Vocales auditos, & eorum relationes in Actis regestas, paternè quoque singulos Tyrones interroget.

bb. Super corporis valetudine.

cc. Super constantia in Vocatione.

dd. Super conscientiæ ratione, per capita. *Ad Const.* 374.

ee. Super Connovitiorum loquendi, & agendi modo.

ff. Super inspirationibus à Deo immissis, & super tentationibus.

gg. Super confidentia cum Institutore.

hh. Super Novitiatus disciplina, & ejusmodi.

ii. Quòd si ex depositionibus aliquid corrigendum emergat, vocando seorsim notatos, exequatur; vel publicè, si necesse fuerit; cautos maximè faciendo Rectorem, Magistrum, & Promagistrum; ne qui Novitios dictis instruunt, factis destruant.

ll. Siquem verò ex Novitiis propter pertinacem in Vocatione inconstantiam; incorrigibilitatem graviorum defectuum; incapacitatem in Instituti ratione; vel etiam propter infirmitatem, quæ nequeat facilè reparari, dimittendum deprehenderit, nisi circumscriptam ad hoc habeat à Delegante facultatem, committat Rectori, Magistro, & Socio dimissionem placidè semper, & religiosè faciendam.

mm. Propterea in libello Visitationum quadrimestrium; in quo eorum Acta toties quoties compendio referantur; & à Commissario Visitatore, & Secretario subscribantur, non solùm Dimissionis, si ea sibi facultas delegata fuerit, ut præfertur, Decretum; sed alia quæcumque monita pro meliori Novitiorum Institutione, atque Gubernio describat.

nn. Tandem cum brevi concione Capitulum culparum pro solis Novitiis instituat; & Visitationi finem imponat.

oo. Quòd Novitii penes unum Institutorem suum ex præscripto Clementis VIII. cap. *Cum ad regularem* debeant confiteri; post quadrimestrem Visitationem illis concedatur, si expedire videbitur, ad conscientiarum tranquillitatem Confessarius extraordinarius, vir prudens, & spiritualis: quod etiam occasione Exercitiorum Spiritualium infra annum ante Nativitatem, & Resurrectionem Domini faciendorum, & emittendæ Professionis indulgeri poterit.

Ad 32. Si quis ex Clericis, aut Laicis Novitiis à Vocatione resiliat abeundo, vel contingat expelli, alius profecti, vel dimissi loco, tanquam ille non fuisset admissus, poterit subrogari. *Decr. Clem. X. Vide ad 9. a.*

Ad 33. Ea, de quibus in animis Novitiorum sæpè tenetur quærere Magister, sunt: an aliquid eos à via Domini remoretur? quomodo se habeant in Vocatione? quibus præsertim tentationibus vexentur? ut eos paternè confortet. *Ex Reg. Mag. Novit. n.* 5.

Ad 35. Novitii secundi anni Probationis circa studia dispensati, nullatenùs ab ejusdem Novitiorum Institutoris disciplina eximuntur. *Cap. Gen.* 1637.

a. Super dispensatione secundi anni Probationis. *Vide ad* 332.

b. Domus Probationis in Urbe subest immediatè Generali. *Cap. Gen.* 1637. Item aliæ Romanæ; in quibus nullam Jurisdictionem Provincialis ejusdem Provinciæ potest exercere. *Sac. Cong. Visit. Apost.* 4. *Maji* 1662. Quod etiam de quibusque Domibus primi, & secundi Novitiatus definitum *a S. M. Clem. X.* 18. *Martii* 1676. *& à Sac. Cong. Episcoporum, & Regularium* 31. *Julii* 1681.

CAPUT. III.

De Admissione Novitiorum ad Vota emittenda.

36. NOvitius antequàm profiteatur, generalem totius vitæ, vel saltem à persoluto Probationis biennio Confessionem habeat.

37. De bonis, quæ in Sæculo habuerit, liberè, & cum æquitate juxtà Triden. dispositurus admoneatur, ne quid sibi, aut Religioni relinquat.

38. Imminente Probationis termino, à Magistro Novitiorum certior fiat Provincialis, de cujus facultate ad Professionem admitti possit de voto Professorum ejus Domûs.

39. Antequàm Vota quis emittat, seriò requiratur, an contentus futurus sit in Religione nullis uti prærogativis; nec minimum omnium velle anteire; sed ad vivendum toto vitæ suæ tempore in eo loco, & Gradu, in quo ad Dei gloriam à Superiore constituetur.

40. Vota, quibus Deo mancipamur, sunt Paupertas, Castitas, Obedientia, Pia, & literaria puerorum disciplina, & Humilitas, abdicando se quocumque directo, vel indirecto Ambitu, cum onere solemni Ambientes quoque Religioni, seù Generali Præposito revelandi.

41. Præ-

41. Præmissis Spiritualibus Exercitiis, omnes generaliter ab ultimâ generali confessi, & Sacrâ Synaxi refecti Vota renovare in Paschatis, & omnium Sanctorum festivitatibus tenentur.

N O T Æ.

Ad 36. Exercitia Spiritualia decem ad minus dierum Professioni emittendæ à Novitiis præmittantur. *Reg. de Admitt. n. 5. & Rit. c. 4.* prout ab admissis. *Vide Not. ad.* 27.

Ad 37. Novitii ad Professionem admittendi moneantur utique, ne quidquam sibi relinquant; quatenùs verò Religioni, sit penès liberum eorum arbitrium. *Cap. Gen.* 1659. Præsertim ex quo donati sumus capacitate possidendi ab Innocentio XI. 3. Sept. 1686.

a. Mense circiter ante Professionem Novitii disponant de Bonis, quæ in sæculo habuerint. *Reg. de Admitt. n.* 8.

b. Tempore Probationis feliciter peracto, Novitius Vota emissurus, admoneatur, ut de Bonis, quæ in sæculo habuerit, pro libito ad formam *Tridentini de Regul. sess.* 25. *c.* 16. Testamento vel Renunciatione disponat; nec sibi quidquam relinquat, sub exacta vita communi semper victurus. *Decr. Clement.* X.

c. Census annui personales, vulgò *Livelli*, vel omninò tollantur, vel eorum fructus illi Domui pro tempore affixi declarantur, ad quam quis ex Obedientia fuerit ordinatus, quocumque privato usu, & jure soper illis interdicto. *Ex Cap. Gen.* 1677.

Ad 38. Labente alicujus Novitii Probationis tempore, Magister certiorem faciat Provincialem, de cujus facultate, atque de voto, & consensu majoris partis Professorum omnium Vocem ibidem habentium ad Vota solemnia valeat admitti. *Decr. Clem.* X.

Ad 39. Antequàm quis admittatur ad Professionem, sedulò informetur per Magistrum de Votorum emittendorum gravitate; Rector autem Domus Probationis voluntatem, & intentionem ita exploret, ut certior fiat de constanti Novitii perseverantia, & libertate in profitendo. *

a. Item instruatur de Indulgentia Plenaria per Paulum V. die 22. Maii 1606. concessa Novitiis, qui sacramentaliter confessi, & Cælesti Mensa refecti, peracto Probationis tempore, Professionem emittunt. *

b Quatuor saltem, qui Vocem habeant in Domibus Novitiorum pro scrutiniis ritè faciendis, collocentur. *Cap. Gen.* 1665. Familiæ verò Domorum Probationis constituantur omninò ex viris probatæ virtutis ad Novitiorum ædificationem. *Cap. Gen.* 1637. *Vide ad 26. a. b.*

Ad 40. Forma Professionis pro Clericis *in Cap. Gen.* 1659. statuta; & *in Cap. Gen.* 1683. aliisque confirmata, & usu accepta, est tenoris, qui sequitur.

a *Ego N. à S. N. in Sæculo N. N. Patria N. Die c. N. annum agens facio meam Professionem Solemnem in Religione Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, & voveo Omnipotenti Deo, Patri, Filio, & Spiritui S. ac Deiparæ semper Virgini Mariæ, & Tibi Patri N. à S. N. Præposito nostro Generali* (vel *Patri N. à S. N. locum Dei tenenti pro Patre N. à S. N. Præposito nostro Generali*) *& omnibus Successoribus Tuis* (vel ejus) *legitimè eligendis, Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam; & juxta eam, Peculiarem Curam circa Puerorum Eruditionem secundùm formam Brevis Pauli V. in nostris constitutionibus contentam; quam Professionem, & Vota, quibuscumque in contrarium existentibus, quibus nunc liberè, & integrè renuncio, non obstantibus, firma, rata, & valida semper fore, & esse volo. In quorum fidem his per me exaratis subscripsi Romæ* (vel N.) *hac die . . . . Mensis . . . anni . . . .*

b *Insuper promitto, me nunquam acturum, nec curaturum, ne indirecte quidem, ut in aliquam Prælationem, seu Dignitatem in Religione eligar, seu promovear.*

c. *Promitto etiam, me nunquam curaturum extra Religionem Dignitatem aliquam, seu Prælationem: nec consensurum, nisi coactus sim Obedientiâ ejus, qui mihi præcipere potest sub pœna peccati. Tum siquem certo sciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere, promitto illum, remque totam manifestaturum Religioni, seu ejus Præposito Generali.*

d. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus in atriis Domus Domini in medio tui, Hierusalem.*

Ego N. à S. N. omnia supradicta confirmo manu propria.

e. Votum de non ambiendo *vide in Paranesi. n. VII. pag.* 14. 15. *&c.*

f. Item pro Laicis Operariis tenoris, qui sequitur.

Io N. di S. N. nel Secolo N. N. del Luogo N. Diocesi N. d'anni . . . . faccio la mia Professione solenne per fratello Operario Laico nella Religione de' Chierici Regolari Poveri della Madre di Dio delle Scuole Pie; e prometto all' Onnipotente Iddio, Padre, Figliuolo, e Spirito Santo, & alla Beatissima sempre Vergine Maria, & a Voi Padre N. di S. N. Nostro Preposito Generale (ò pure *N. di S. N. in nome, e per parte del Padre N. di S. N. nostro Preposito Generale*) *& à vostri,* (ò pure *à suoi*) *legitimi Successori, e faccio Voto di Povertà, Castità, & Obedienza: Et anco prometto, e faccio il quarto Voto di non ambire lo Stato Clericale, nè alcuna Voce attiva, ò passiva, nè portar Chierica, nè Beretta fino alla mia morte: La qual Professione, e Voti, non ostando qualunque cosa in contrario, alle quali tutte adesso liberamente, & intieramente rinuntio, intendo, e voglio, che siano rati, e validi in ogni tempo. In fede di che hò sottoscritto la presente di mia propria mano. In Roma* (ò pure *in N.*) *questo dì . . . del mese . . . . dell' anno . . . .*

Ren-

Renderò li miei Voti al Signore alla presenza del suo popolo negl' atrii della Casa del Signore nel mezzo di te, ò Gierusalemme.

Io N. di S. N. confermo quanto sopra di mano propria.

g. Clerici continuò post emissam Religionis Professionem, ad formam Tridentini, præscriptam à Pio IV. Const. *Injunctum nobis.* Idibus Novembris 1564. unà ibidem Fidei Professionem emittant; & actus in eodem Regularis Professionis Authographo summatim connotetur. * *Cap. Gen.* 1637.

i. Professionem suam irritam probare, aut quoquomodo egredi à Religione tentantes, præter munerum omnium privationem, Voce careant activa, & passiva; nec ullo modo valeant domesticis rerum quarumcumque agendarum Congregationibus interesse, donec vel resipiscant, vel causam absolvant. *Cap. Gen.* 1659. & 1665.

l. Porrò malitiosè contra Professionem emissam reclamantes, falsos testes adhibendo, & mentita documenta producendo, detecta falsitate, inhabiles fiunt ad Religionis Gradus obeundos in perpetuum: Operarii autem in perpetuum pariter loco suæ Professionis priventur. *Cap. Gen.* 1692.

m. Hi verò, qui post transitum à nostra in aliam Religionem, redeunt, locum habent ubique à die reditus. *Cap. Gen.* 1641.

Ad 41. Renovatio Votorum, quæ in festo Sanctorum omnium consuevit, in festum Dominicæ Nativitatis translata. *Cap. Gen.* 1637.

a. In Spiritualibus Exercitiis, quæ ante Votorum Renovationem, bis in anno habendam, præscribuntur, per octiduum (* saltem per decem dies, ad lucrandam Indulgentiam Plenariam à Paulo V. 1606. concessam) proponantur extraordinariæ Meditationes, ad morum reformationem conducentes, super quibus per integram horam de mane, per aliam integram de sero mentaliter oretur. *Cap. Gen.* 1637.

b. Quæ quidem Exercitia in eam formam redacta sunt ratione Institutti, pro Magistris, & aliis multifariam occupatis; non autem pro Noviriis, & Junioribus; pro quibus *vide ad* 27. & *ad* 256. *a. b. c.* Porrò omnes eo tempore, præter jussam consuetæ expiationem, silentio, modestiæ, recessui, sacrorum librorum lectionibus, aliisque piis exercitationibus pro virili vacent. *

c. Generalis Censurarum, & Casuum reservatorum absolutio, atque super secretis Irregularitatibus ex quocumque capite, vel causa (præterquàm homicidii voluntarii, bigamiæ, ac membrorum mutilationis, cum reincidentia tamen in easdem Censuras, si sic absoluti, & dispensati pro tempore, à Religione quandocumque egrediantur, juxta Greg. XIV. Const. *Illius qui* 1591.) dispensatio ratione Renovationis Votorum per cujusque Confessarium approbatum pro ea vice tantùm conceditur. *Cap Gen.* 1641. Quæ facultas ad triduum, diu Renovationis complendum, vigeat. *

d. Nolentes renovare Vota de more, Voce activa, & passiva priventur, arbitrio Generalis; quòd maximi sit scandali. *Cap. Gen.* 1641 1655. & 1671.

e. Renovationis Votorum formula pro Clericis à *Cap. Gen.* 1659. statuta est.

f. *Ego N. à S. N. me ipsum totum Omnipotenti Deo, ac Deiparæ semper Virgini Mariæ offero, & dedico: ac Vota solemnia, aliàs à me emissa, libenter, & ex toto corde renovo, & confirmo Romæ* (vel N.) *hac die .... Mensis .... anni ....*

Item pro Laicis Operariis.

g. *Io N. di S. N. offerisco, e dedico tutto me stesso all' Onnipotente Dio, & alla Beata sempre Vergine Maria: & i Voti solenni, da me altra volta fatti, volontieri, e di tutto cuore rinovo, e confermo in Roma* (ò pure *in N.*) *questo di .... del mese ...., dell' anno ....*

CAPUT. IV.

De Recessu à Sæcularibus.

42. Affectus omnis erga Propinquos, & amicos abdicandus, & in spiritualem convertendus.

43. Uni Christo Domino vivere omnes, & placere studeant.

44. Studia quæcumque rerum sæcularium rejiciantur.

45. Nemo sinè Superioris veniâ Sæculares, etiam Propinquos alloquatur.

46. Siquis ab Externis obiter interrogetur, perpaucis respondeat: remque totam Superiori, vel Deputato renunciet.

47. In testimonio ferendo, nisi legitimè coactus; in testamentis condendis, aut exequendis; in tutelâ quoquomodo suscipiendâ; & in pertractandis Matrimoniis nemo se immisceat.

48. Sæcularium domûs, nisi pro re gravi, & cum socio, à Superiore ad id designato, non adeantur.

49. Vetitum sinè Superioris nutu Sæculares in Cellam, & Ædes nostras adducere.

50. Interdicta quæcumque familiaritas cum mulieribus, & affinitas per Baptismum, & Confirmationem cum quibuscumque.

51. Monialium consuetudo, colloquia, & Confessionum exceptio sub gravi pœna prohibentur Nostratibus.

52. Fores ante primam noctis horam claudantur: & claves, per totam noctem servandæ, Superiori tradantur.

53. Sinè legitima causa, & absque lumine, si lampas desit, Domum noctu nemo circumeat, ne alios perturbet.

54. Semper ardeat nocturno tempore lampas in medio Dormitorio, ex decreto Clementis VIII.

NOTÆ.

Ad 45. Ad colloquendum cum Sæcularibus satis est, si particularis, vel generalis accedat Superiorum facultas. *Reg. com. n.* 3.

a. Ita verò agat quisque cum Sæcularibus, ut quidquid verborum, & rerum proferatur, sit eorum ædificationi. Propterea secreta Religionis, ex quibus eidem, vel alicui ex Nostris infamia, seu nota quæcumque sequeretur, verbo vel scripto, etiam per manus Sæcularium manifestans subeat pœnas *Can. pæn. c.* 10.

b. Sæcularium Convictus, etiam ex titulo donationum, & ejusmodi, prohibetur; nisi Generalis cum suis Assistentibus consensus accedat. *Cap. Gen.* 1637.

Ad 46. Siquis rem gravem, seu alicujus momenti cum Sæcularibus tractaverit, eam Superiori, vel ab eo Deputato renunciet. *Reg. com. num.* 3. *&* *Cap. Gen.* 1637.

Ad 47. Nullus cuiquam testimonium tradat, seu fidem subscribat, nisi post ibidem subscriptam à Superiore facultatem; secùs invalidum ubique habeatur. * *Cap. Gen.* 1692.

a. Si quis verò testimonium, quod in foro contentioso inservire possit, pro aliquo Sæculari fecerit, vel facto subscripserit sinè subscripta pariter Superioris licentia, pœnam ipso facto subeat per triennium privationis Vocis activæ, & passivæ, si fuerit Sacerdos; retardatæ per idem tempus promotionis ad Ordines, si Clericus; ultimi loci tantundem inter Professos, si Laicus. * *Cap. Gen.* 1692.

b. Dari permittuntur Scholaribus, & aliis Exteris de vita, & Moribus, profectu, Scholarum frequentia, & ejusmodi testimonia; item accipi circa valetudinem à Medicis. *Cap. Gen.* 1692.

c. Interdictum de non se immiscendo in Testamentis condendis declaratur intelligendum quoad Tutelam, & Curationem sinè Superioris licentia. *Cap. Gen.* 1659.

Ad 48. Soli nunquam incedant Quæstores ad eleemosynas corrogandas: & semper ad pernoctandum Domum revertantur. *Cap. Gen.* 1641. nisi gravis urgeat necessitas. *

a. Quisquis sinè socio per Superiorem assignato incesserit, pœnas luat juxta *Can pæn. c.* 13. Pro qua inviolabili observantia Superiorum omnium conscientiæ seriò onerantur. * *ex Cap. Gen.* 1641.

b. Siquando nullus Domi Superior, nec ejus vices gerens extiterit, primus Sacerdos, vel alius, à Superiore locali, vel Provinciali Delegatus, pro licentia, & benedictione in exitu, & reditu, adeatur. *

c. Nullæ admittantur Fundationes, pro quibus alendis, eundis quæstuandum, & noctu inter Sæculares agendum sit. *Cap. Gen.* 1641. Proinde Domus pauperes, ubi ad sufficientem fortunam evectæ fuerint, ejusmodi usum aboleant. *

d. Interdictum Provincialibus, ne cuiquam in Cappellanos, qui habeant extra Claustra commorari, Nostrates concedant; quòd siquis ejusmodi munus sibi quæsitaverit, pœnas procurantium sibi Magistratum, vel Exterorum commendationes ferat. *Cap Gen.* 1692. *Vide ad* 124. *a. b. &* *Can. pæn. c.* 13.

Ad 49. Ad cautiorem ejusmodi recessum à Sæcularibus, circa Reos Inquisitos, & contumaces ad nostras Domos confugientes serventur ad mentem *Cap. Gen* 1665. Decretum, quod sequitur: *Sacra Congregatio Statui Regularium præposita; licet Immunitatem Ecclesiasticam ab omnibus observari curet; jussis tamen de causis mota prohibet omnibus, & singulis Superioribus localibus, sub pœna privationis Vocis activæ, & passivæ, ne inquisitos, & Justitiæ contumaces recipiant, ac retinere audeant.* *

Ad 51. A colloquio Monialium, etiam consanguinearum Nostri abstineant, & Confessiones earum nemini liceat audire absque Provincialis licentia (quam solùm pro Extraordinariis possit impertiri, *) & juxta Sanctiones Apostolicas: alioquin transgressores gravi pœna puniantur. *Reg. com. n.* 9. *& Cap. Gen.* 1659. decernens, Constitutionem Confessiones Monialium prohibentem inviolabiliter servandam.

CAPUT. V.
De orationis studio.

55. Sine Orationis cultu in relaxationem, & ruinam labitur omnis Religio.

56. Bis quotidie mentaliter orandum; per horam diluculò, per semihoram de sero.

57. Eximiâ Corporis, & animi quiete, flexis genibus, aliove decenti modo habenda Oratio.

58. JEsum Crucifixum, ejusque Virtutes scire, meditari, & imitari semper conemur.

59. Quis-

59. Quisquis, etiam de Superioris licentia, Orationi non adfuerit, eam quamprimùm opportunè persolvat.

60. Conscientia semel ante prandium, & iterùm ante quietem nocturnam examine discutiatur.

61. Bis in diem vocaliter orandum; à prandio scilicet Litaniæ Lauretanæ cum Psalterio Nominis Mariæ; vespere autem, antequàm cubitum eatur, Litaniæ Sanctorum in Oratorio communi recitentur.

62. In Religioso cellæ recessu externi, maximèque interni virtutum omnium actus, prout Spiritus Sanctus cuique suggeret, frequentiùs exercendi.

NOTÆ.

Ad 55. & 56. Innocentius XII. P. M. maximi præ Zelo suo Apostolico faciens diuturnam nobis regularem orandi mentaliter consuetudinem, die 5. Febr. 1696. indulget Religioni, aliisque utriusque sexus Confratribus, & Consororibus quorumlibet Oratoriorum, Congregationum, Societatum, & Confraternitatum, tàm hactenùs in Ecclesiis nostris erectarum, quàm imposterùm erigendarum, qui per quadrantem horæ Orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos, septem annos Indulgentiarum: iis verò, qui Devotioni hujusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltèm per quadrantem horæ singulis diebus dabunt operam, interea verò pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum Remissionem, quam per modum Suffragii animabus in Purgatorio existentibus applicare possint, concedit.

a. Insuper, quòd pro mentali Oratione, ad quam regulariter tenentur, præfatas omnes Indulgentias, & peccatorum Remissiones proportionaliter lucrari possint, Nostris impertitur. Const. *Ad ea, per quæ. &c.*

Ad 56. Inter primum, & secundum signum campanulæ, Orationi matutinæ præmitti consuetum, sufficiens aliquod spatium, quod nullibi sit minus quadrante, nec majus semihora, intercedat. *Rit. c. 4.*

a. Preces in Oratione mentali, aut vocali dici solitæ cum Punctis Meditationum ab Hebdomadario in medio ante Altare genuflexo recitentur, & legantur. *Ib.* Absente tamen, seu impedito Hebdomadario, suppleat, qui sequitur, illi propinquior cæteris ibi præsentibus ex ordine successionis in eo munere. Quod pariter in lectione ad mensam, & aliis quibusque similibus Officiis, nisi aliter Superior jubeat, observetur. Imò, absente, vel impedito Superiore, ejusque vices gerente, moveat Communitatem, benedictionem, si fuerit Sacerdos, impertiatur, & cuncta de more, præter Capitulum Culparum, non nisi de Superioris mandato instituendum, perficiat quisquis reliquos omnes ibi præcedit Professione, Gradu, vel Privilegio, licet Hospes ex Nostris existat.

b. Superior locum digniorem occupet in Oratorio, eidemque ab intrantibus, & exeuntibus debita reverentia exhibeatur. *Rit. c. 5. Vide. tamen ad 324. c.*

c. Tempus Orationis vespertinæ à Kal. Maii usque ad Kal. Septembris poterit esse post quietem meridianam, nisi ratio Loci aliter postulet. A Kal. verò Septembris usque ad Kal. Maii erit semper ante Refectionem vespertinam. *Ibid.*

Ad 59. Nullus ab Orationis, & Refectionis loco absque Superioris licentia egrediatur. *Can. pæn. c. 2.*

a. Superior minor coram majore neminem mortificet, nihil promulget, nullam benedictionem, licentiam vel dispensationem, quamvis particularem, impertiatur; nullum signum ferat, sive ad movendam Communitatem, sive utcumque Superioritatis notam præseferens, nisi annuente toties, quoties Superiore majore in singulis casibus prædictis. In quibus omnibus proportionatè se gerant Subditi in petendo. *Ex Rit. c. 8. num. 2. Cap. Gen. 1677. & Decl. 20 Decembr. 1696.*

Ad 61. Psalterium Nominis Mariæ, quod Coronulam Deiparæ dicimus, à Kal. Martii usque ad Kal. Novembris post horam à prandio recitetur; aliis verò temporibus de sero ante Orationem mentalem. *Rit. c. 5.* Coronulæ autem recitandæ pro temporum ratione ritus describitur suo loco in Synopsi Precum.

a. Ultima cujusque mensis die, post Litanias vespertinas, aliquæ Sanctorum nominibus inscriptæ schedulæ cum aliquo Sanctorum Patrum placito, ad morum correctionem opportuno, per sortes singulis distribuantur. *Rit. c. 5.*

b. Domo egredientes, & redeuntes dicant consuetas Preces, prout in tabella, quæ ubique Domorum ante Sacram Imaginem, propè quam sit Aqua lustralis, & genuflexorium, alicubi opportunè pateat. *Ex. Rit. c. 5.*

c. Clerici Sacris Ordinibus non insigniti quotidie privatim recitent Officium Deiparæ; Operarii verò ejusdem, ut aiunt, Coronam. *Cap. Gen. 1641. & Reg. Scholast. n. 6.*

d. Singulis Sabbatis, pervigiliis, & festivitatibus Deiparæ Litaniæ Lauretanæ in singulis Ecclesiis nostris ante noctem cantu plano, & alto per Sacerdotem Hebdomadarium cum duobus Clericis, cæteris ordinatim in Ecclesiam euntibus, cantentur. *Rit. c. 2.* cum Versiculo, Responsorio, & Oratione occurrentibus.

CAPUT VI.

De Silentio.

63. NE cuiquam sit vana Religio, silentium, ejusdem custos, religiosè servandum.

64. Voce altâ, & nisi Superior concesserit, loqui non licet.

65. Strictiùs à primâ nocte usque ad sequentis diei ortum, & horâ quietis meridianæ silendum.

66. In Ecclesia, Sacrario, Bibliothecâ, & Refectorio semper tacendum, vel voce humili, perpaucis, & ex necessitate loquendum.

67. In Cômmunitate, vel servetur silentium, vel saltèm de promovenda Scholarum Piarum perfectione sermo fiat: nemo tamen sententiam suam ferat, nisi Superior annuat: aliàs per hebdomadam, plusve, minusve, Superioris arbitrio, sileat.

68. Alienam cellam, vel proprii Lectoris, ne quis, nisi annuente Superiore, ingrediatur: secùs gravitet ejus arbitrio puniendus.

69. Per Adventum, & Quadragesimam silentium solertiùs custodiendum.

NOTÆ.

Ad 63. Exceptis temporibus, & locis, in quibus arctiùs silentium præscribitur, ex honesta causa, modestissimè tamen, colloquia permittuntur. *Cap. Gen.* 1637. & 1641.

Præterea nemo, vel cum Domesticis, nisi submissè, modestè, & moderatè loquatur. *Reg. com. n.* 12.

a. Quisquis in locis à Constitutione prohibitis silentium neglexerit, animadvertatur juxta *Can. pæn. cap.* 1.

CAPUT. VII.

De Suscipiendis Sacramentis.

70. ORationis, & præsentiæ Dei Studium, præcipua Sacramentis ritè frequentandis dispositio.

71. Sacerdotes quotidie Sacrum faciant; quod rarò Superior, vel Confessarius impediat.

72. Clerici, & Operarii Dominicis, & festivis primæ, ac secundæ classis diebus, & semel infra hebdomadam communicent.

73. Singuli bis in hebdomada confiteantur, & quoties necessitas postulet.

74. Levium culparum contemptus agit in graviores.

75. Generalis, & Provincialis utantur delecto Confessario, qui cæteris virtute præluceat; eumque sui zelantem, fidumque apud se subditorum voluntatis interpretem instituant.

76. Cautum Confessariis, ne in cellis, aut alibi, quàm in locis designatis, nisi legitimè impeditorum, Confessiones excipiant.

77. Clerici, Operarii, & Sacerdotes non celebrantes quotidie Rei Sacræ intersint.

78. Saltèm bis in mense, vel juxta Superioris placitum, infirmi Sacra Synaxi reficiantur.

79. Infirmario satagente, infirmis ad obitum festinantibus, antequàm judicio destituantur, Ecclesiæ Sacramenta ministrentur.

80. Agonizantibus assistant, qui leniter ad actus Contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis eos adhortentur.

81. Ad migrantem cujusque animam, piis monitis, & precibus in extremo conflictu juvandam, dato signo, Communitas conveniat.

NOTÆ.

Ad 71. Semel in mense indultum Sacerdotibus, quatenùs pro libito, de scientia Superioris, Sacrum faciant, dummodò propterea nullam oblationem suscipiant. *Cap. Gen.* 1637. Cæterùm tenentur celebrare in satisfactionem onerum Missarum ejus Domus, in qua commorantur: quòd si ejusmodi oneribus vacet, celebrent secundùm intentionem Generalis; qui etiam de celebratis quamprimùm certior fiat.

a. Oblationes pro Missis tradantur stitim Sacristæ in libro solito rescribendæ cum expressa offerentis intentione, & si opus fuerit, etiam nomine.

b. Recolende hic SS. D. Nostri Innoc. XII. P. M. nuperrimè confirmantis Decreto Urbani VIII. super celebratione Missarum Constitutio edita die 22. Decembris, 1697.

c. Mo-

c. Modus autem deputandi Custodem alterius clavis eleemosynarum pro Missis, ut ibidem decernitur, est idem, qui præscribitur ad 183. g.

Ad 72. Clerici, & Operarii communicent die Dominico, & feria quinta, nisi infra hebdomadam occurrat aliqua festivitas ex præcepto, aut consuetudine, in qua tunc loco feriæ quintæ Communio fiat. *Rit. cap.* 3.

a. Nemo quotidie Sacram Synaxim sumat, nisi à Capitulo, seu Præposito Generali pro tempore probetur causa, & licentia in scriptis accedat. *Rit. c.* 3. *& Cap. Gen.* 1686.

b. Communio fiat in Missa Conventuali, quæ celebrabitur, completa oratione mentali matutina, hora competenti. Verùm in solemnitatibus primæ classis fiat in Missa solemni; & Clerici semper utantur superpelliceis, Laici pallio. *Rit. c.* 3.

c. Ante Sacram Synaxim iidem omnes pro præparatione conveniant in Oratorium per quadrantem circiter horæ; tantundem Sacro Convivio refecti pro gratiarum actione consuetum Soliloquium, & Preces recitando. *Rit. c.* 3. *n.* 3.

Ad 73. Singuli Statuto Communionis die Confessariis assignatis, & non alteri sinè Superiorum licentia confiteantur. *Reg. com. num.* 19. *& Rit. c.* 3.

a. Licet ex literis Apostolicis Clementis VIII. editis 23. Novembris 1599. & Urbani VIII. datis 19. Junii 1630. prorsus constet, Bullam Cruciatæ non suffragari Regularibus circa facultatem sibi Confessarium eligendi; ad quamcumque tamen interpretationem tollendam, ejusmodi prætentæ libertati renunciatur; & absolutio proinde impertita nulla declaratur. *Cap. Gen.* 1677.

Ad 75. Siquis à Generali fuerit in Confessarium, seu privatum sibi Consultorem electus, nulla utatur prærogativa; sed vel Professionis, vel muneris Gradum obtineat. *Cap. Gen.* 1637.

a. Ad uberiorem conscientiarum tranquillitatem, majoremque in virtutibus profectum satis confert, si pariter delecto, & stabili ex assignatis Confessario quisque confiteatur.

Ad 77. Clerici, Operarii, & Sacerdotes à Re Sacra facienda præpediti, quotidie Sacro, post Orationem mentalem matutinam habendo, intersint. *Reg. com. n.* 20.

Ad 81. Inter cætera, morituro suggerenda est Indulgentia Plenaria per Paulum V. anno 1606. die 23. Maii Regularibus, in mortis articulo constitutis, ritè confessis, & Sacro Convivio refectis, vel saltèm contritis, & nomen JESU ore, vel corde invocantibus impensa.

CAPUT VIII.

De Cæremoniarum observatione, & Supellectili Ecclesiasticâ.

82. Semel saltèm in mense, tàm Clerici, quàm Sacerdotes de Sacris Ritibus collationem habeant.

83. Quæ sunt divini cultus, munda, suisque locis ritè disposita sedulò custodiantur.

84. Ex rerum sacrarum incuriâ liquet Religiosorum inertia.

85. Sacra supellex ne inficiatur, usui Externis facilè non concedenda.

86. Cuppâ Calicis, & Pixidis exceptâ, vas nullum aureum, aut argenteum permittatur.

87. Ecclesiæ supellex summæ Paupertati nostræ consona, ne sit serica, neque sericis, aureis, vel argenteis fimbriis exculta.

88. Stemmata Gentilitia in sacris vestibus ne permittantur: In Ecclesiis autem, seu Sacellis, Sæcularium sumptu excitatis, liceant; etiam cum inscriptionibus à Superiore approbatis.

89. Missarum, Officiorum, & ejusmodi onera perpetua ne suscipiantur.

90. Annui redditus, quanquam pro fabrica Ecclesiæ, atque Sacrario, rejiciantur.

NOTÆ.

Ad 82. Neglectus menstruæ Sacrorum Rituum conferentiæ, quæ per horam saltèm prima cujusque mensis Dominica debet institui, corrigatur juxta *Con. pœn. c.* 13 *Cap. Gen.* 1671. *& Rit. c.* 1. Declaratur tamen esse penès Rectoris arbitrium eandem Sacrorum Rituum Lectionem transferre in aliquam aliam diem, scripto præfignandam, primæ cujusque mensis hebdomadæ commodiorem, & ad semihoram contrahere.

Modus autem Sacrorum Rituum à Cæremoniario declarandorum, quantùm res tractanda patitur, conformetur methodo Lectionis Casuum conscientiæ. *Vide ad* 390.

a. In Sacris quibusque faciendis serventur Missalis, Cæremonialis, ac Ritualis Romani Rubricæ ad mentem Gavanti. *Rit. c.* 1.

b. Septem festivitates Deiparæ Matris nostræ, maximè verò Anunciatio, tanquam Dies Natalitius Religionis, & ejus Assumptio celebrentur, ac si essent primæ classis, Quibus accedit festum Sancti Josephi, Religionis Patroni. *Cap. Gen.* 1659. 1665. & universæ Sacræ Familiæ pariter in Patronam assumptæ. *Cap. Gen.* 1671. Assertum præterea inter easdem festivitates B. Virginis festum Sanctissimi Nominis Mariæ, ex Indulto Innocentii XI. 20. Martii 1683. at finè præcedenti jejunio. *Cap. Gen.* 1683.

c. Ut autem uberioribus Matris Virginis, totiusque Sacræ Familiæ tutelaribus Patrociniis ubique fruamur; cum Ecclesiæ, seu Altaria de novo in Ecclesiis nostris eriguntur, consultum erit, si eisdem nuncupentur. *

d. Earum verò Solemnitatum cultus esto in Sacro solemni habendo, à Scholis vacando, Scholarium Congregationibus habendis, & ejusmodi ad Pietatis incrementa conducentibus. *Cap. Gen.* 1683.

e. In aliarum festivitatum celebritatibus communis Ecclesiæ Ritus omninò servetur. *Rit. c.* 1.

Ad 83. Singulis quindecim diebus, vel per Rectorem, vel per Magistrum Cæremoniarum visitetur Sacrum Convivium, ut semper decenter servetur, nec unquam desit in Custodia. *Rit. c.* 2.

Ad 86. & 87. Serica supellex, aurea, & argentea vasa in Ecclesiastici Ministerii cultum dono data, seu eleemosynis comparata possunt adhiberi. * *Cap. Gen.* 1641.

Ad 89. & 90. Post indultam Apostolicam facultatem in communi possidendi ab Alexandro VII. 24. Januarii 1656. & ab Innocentio XI. 13. Martii 1684. onera perpetua, & redditus acceptantur. * *Vide Notas ad 71. a.*

CAPUT. IX.

De Infirmis.

91. Ubi quis graviter infirmatur, Infirmario apud Superiorem agente, in Valetudinario collocetur.

92. Solerti curâ ægrotis necessaria ministrentur.

93. Infirmi egregiam sui ædificationem, & patientiam præseferant: non minùs enim Dei donum sanitas, quàm ægritudo.

94. Medico Infirmos visitanti comes adsit Infirmarius; quem Solertia, Charitas, & Patientia comitentur.

95. Nihil eorum, quæ à Medico præscribuntur, negligatur.

96. Agat Rector, ut infirmis Charitas omnis adhibeatur; eosque alternis saltèm diebus ipse visitet.

97. Statim initio morbi Sacramentaliter confiteantur infirmi.

98. Terni ad summum confluant ad infirmum: & parciùs cum eo loquantur.

99. Culcitris, pulvinaribus, & linteis infirmorum cubilia sternantur; fiantque solito latiora.

100. Senum, & valetudinariorum ratio habeatur, illisque arbitrio Superiorum ab onere jejunii solutis Clericus, vel Operarius aliquis ministret.

101. Aeris mutatione indigentes, in primis ad Orationem confugiant; reque Provinciali communicatâ, ejus consiliis penitùs acquiescant.

102. Nullus alio Medico, quàm Communi, per Superiorem electo, neque ullis pharmacis utatur sine Infirmarii consensu.

103. Curæ sit Rectoribus, ne Subditi per pœnitentias, & labores indiscretos conterantur.

104. Quidquid in hac parte fecerit, Superiori, & Confessario quisque aperiat; ne se per indiscretionem conficiat.

NOTÆ.

Ad 91. Privationi Officiorum statim sint obnoxii Superiores Generali minores, qui subditos, occasione infirmitatum, dimittunt in ædes Propinquorum, aut aliorum Sæcularium, ad valetudinem instaurandam. *Cap. Gen.* 1637.

Ad 92. Statutis horis cibus ritè præparatus, & medicamenta præbeantur infirmis; nec ullus absque Infirmarii consensu quidquam illis ministret. *Reg. Infirm. n.* 7.

Ad 94. & 95. Quidquid præscripserit Medicus, Infirmarius scripto excipiat. *Reg. Infirm. n.* 8.

Ad 97. Sit Infirmarii, ut ad ægrotos in lectulo decumbentes, saltèm bis in mense, sive sæpiùs, ad placitum Superioris, Eucharistiæ Sacramentum deferatur. *Ibid.*

Ad 100. Senes, quorum ratio habenda præcipitur, declarantur sexagenario majores. *Cap. Gen.* 1659. De Valetudinariis autem Charitas definit. *

a. Qui pedites, ex infirmitate, seu virium imbecillitate, nequeunt itinera obire, commodis vianicis, modestiæ, ac Paupertati maximè convenientibus, ad Superiorum præscriptum, utantur. *Cap. Gen.* 1641.

CA-

CAPUT. X.

De Sacrificiis, & Orationibus pro Defunctis.

105. SOdalibus nostris vitâ functis jugi Pietate suffragandum.

106. Defuncti cadaver statim abluatur, suisque vestibus indutum, luminibus, & custode adhibitis, per diem integrum servetur inhumatum, nisi citiùs ob tetrum odorem videretur sepeliendum.

107. Cadavere adhuc inhumato, integrum Defunctorum Officium recitetur; Sacerdotes ejus Familiæ ter Sacrum faciant; Clerici ter Vesperas Defunctorum; Operarii ter Deiparæ Coronam absolvant in animæ Suffragium.

108. Sacerdotes, & reliqui ejusdem Provinciæ, de obitu Confratris certiores facti, respectivè idem Suffragium, sed unicum exequantur.

109. Cum quis diem extremum obierit, ejus nomen cum tempore obitus ad Generalem illicò describatur.

110. Quemadmodum Generali defuncto idem trinum Suffragium tota persolvere tenetur Religio; ita Provinciali tota Provincia.

111. Bis fiat Sacrum à singulis Sacerdotibus in obitu Summi Pontificis; nimirùm semel pro Defuncto, semel pro Eligendo.

112. Tertiâ Novembris Sacrum habeant singuli Sacerdotes pro Nostris Defunctis; eorumque sæpiùs in Sacrificiis meminerint.

NOTÆ.

Ad 105. Scripta Sodalium vita functorum conserventur in Bibliotheca ejus Domus, in qua obierint; nec inde à quoquam auferantur, sub pœnis Proprietariorum. *Cap Gen.* 1671. Reliqua verò respective pro communi usu in Officinis domesticis arbitrio Superioris consignentur. *

Ad 106. Sacerdotes habitu Sacerdotali, Clerici Superpelliceis, cum Bireto, Operarii defuncti pallio, & galero induantur. *Rit. c.* 7. Diaconi, & Subdiaconi suis respectivè habitibus Ecclesiasticis. *

Ad feretrum panno nigro utrimque, pendente coopertum, & super nudo pavimento collocatum, ardeburit duo intortitia, si Sacerdotes fuerint; si Clerici, aut Operarii, duæ faces aliquanto minores; quatuor, si actu Superior quis decesserit. Unius autem Generalis capulus super prædella, nigro pariter panno cooperta, componatur. *Rit. c.* 7.

Ad 107. Officium Defunctorum dicatur, præsente corpore, tono mediocri sine cantu, & præsentibus in Ecclesia Domesticis cum facibus ad Absolutionem propè feretrum, post Sacrum solemne. *Rit. c.* 7.

a. Pro Nostris, in itinere obeuntibus, Domus, ad quam illi de Familia ordinabantur, vel in qua, non aliò de Familia ordinati, novissimè residebant, trinum persolvet Suffragium, cum Officio Defunctorum, & Missa solemni; ac si præsentes in ea Domo interiissent. Quam quidem solemnem cum Officio Missam non omittet proxima Domus, quæ Defuncti Corpus, si fieri poterit, transferendum, & in propria Ecclesia sepeliendum curabit. Idemque solemne Justitium peraget ea Domus, in qua Hospes aliquis ex Nostris fortasse obierit. *

Ad 108. Singuli Sacerdotes pro singulis universæ Religionis Defunctis semel Sacrum faciant; item Clerici, & Operarii Preces in Constitutione præscriptas. *Cap. Gen.* 1637.

Ad 109. Superiores, illicò de Subditorum obitu moneant Provincialem; qui continuò cæteros Rectores Provinciæ, & Generalem certiorem pariter faciat, ut Provinciarum omnium Præpositis indicere valeat consueta Suffragia. *Cap. Gen.* 1637.

a. Renunciato alicujus obitu, illicò ad valvas, seu consuetum Domorum locum Suffragia intimentur: & in proximo Familiæ conventu in Oratorium, cum brevi defuncti nominis, ætatis, & meritorum recordatione, in ejus piaculum Superior intonet *Psal. De profundis.*

Ad 111. Semel item in obitu Fundatorum in Domibus ab eisdem fundatis: *Cap. Gen.* 1659. & Eminentissimi Protectoris Missæ Sacrificium à singulis Sacerdotibus ubique offeratur; & à Clericis, & Operariis consueta Suffragia persolvantur. *Cap. Gen.* 1641.

Ad 112. Quemadmodum ipsa die Commemorationis Fidelium omnium Defunctorum juxta Ecclesiæ Ritum; ita secunda die infra Octavam Omnium Sanctorum pro Religionis nostræ Defunctis singuli Sacerdotes celebrent; nec non Officium Defunctorum canentur, & Sacrum solemne habeatur; ab Operariis verò solitæ Preces persolvantur: tertia verò die, vel proxima non impedita pro nostris Propinquis, Fundatoribus, & Benefactoribus, vel eadem omninò, eodemque ritu à singulis Suffragia fiant; vel saltem Sacrum solemne cum Officio Defunctorum offeratur. * *Cap. Gen.* 1659.

a. De

a De Sepulturis Exterorum penes Ecclesias nostras electis recolendum hoc loco Decretum Sac. Cong. Ep. & Reg. die 10. Julii 1665 declarantis *Ordinem Scholarum Piarum gaudere Privilegiis, quæ circa funera, & quartam funeralem, ac alia hujusmodi competunt aliis Ordinibus Regularibus ad formam Constitutionum Apostolicarum, quibuscumque non obstantibus.*

C A P U T. XI.

De Capitulo Culparum, & Mortificationibus habendis.

113. FEriâ sextâ ubique Domorum, culparum Capitulum habeatur, frequentiùs autem in Domibus Probationis.

114. Nisi Superior annuat, nemo quemquam in eo moneat.

115. Siquis gravem alterius tentationem noverit, Superiori secretò aperiat, ut opportune provideat.

116. Diebus Dominicis, ad mortificationis, aliarumque virtutum exercitium, per hebdomadam habendum, à Superiore, vel alio per eum Deputato, sermo fiat.

117. In mortificationibus, tunc infligendis per hebdomadam, cujusque vires discretè perpendantur.

118. Siquis per ordinarias mortificationes parùm profecerit, ad Novitiatum ordinetur; ubi semotus à Novitiis, ad viam perfectionis adigatur.

119. Mortificationes ordinariæ sunt: pedes Confratrum deosculari; genibus flexis in loco refectionis vesci; flagellis ibidem se cædere; in pane tantùm, & aquâ jejunare; cilicium super nudo circumferre; lances detergere; araneas divellere, & ejusmodi, pro discreto Superiorum arbitrio.

N O T Æ.

Ad 113. Penes Rectorum prudentiam est, omnium, vel aliquorum tantùm sibi Subditorum culpas audire: Item diuturniores, vel breviores mortificationes infligere; prout etiam de aliorum defectibus aliquos duntaxat sciturl. *Cap. Gen.* 1637.

a. Capitulum culparum diebus festis ex præcepto, aut consuetudine, feria sexta recurrentibus, potest omitti. *Rit. c.* 6. ejus autem loco saltèm actus Contritionis eliciatur, cum Oratione: *Deus, qui culpa offenderis.* *

b. Cautum Superioribus, ne per sermones prolixos tædium pariant; & quatenus in corrigendo solius fraternæ correctionis Zelo, & Charitate ferantur. *Rit. c.* 6.

c. Pro Novitiis autem ter saltèm singulis hebdomadis Capitulum ejusmodi habeatur, ut in eorum [illegible]ulis. c. 12. Statutæ propterea feriæ secunda, quarta, & sexta. *

d. Culparum Capitulum haberi potest, vel de mane post Orationem mentalem, vel ad Vesperas post serotinam. *Rit. c.* 6.

e. Quisquis in Capitulo culparum dolens suos defectus accusaverit, & spiritualiter communicaverit, actus virtutum frequentando, tres annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum toties, quoties lucratur. *Paulus V.* 23. *Maji* 1606.

Ad 114. Solemni consuetudine acceptum in Religione, quòd cum quis extrinsecùs aliquo modo, etiam levissimè defecerit, ante sacram lectionem in publico Refectorio culpam dicat genuflexus. *

Ad 115. Superior, qui secretò delatorem, & rem delatam, ad opportunam alicujus correctionem, non celat, Officio privandus *Cap. Gen.* 1637.

11. Concio, diebus Dominicis post Orationem serotinam haberi solita, semihoram non excedat. *Rit. c.* 5. Omitti potest, si ea die aliquis in illa Domo ad Habitum, seu Professionem admissus fuerit. *Rit. c.* 5.

a. Thema verò hujusmodi Concionum insinuatur à Clemente VIII. in Decr. *Pro Reform. Regul. num.* 38. *de religiosa, scilicet, disciplina, regularique observantia Sermo habeatur.*

b. Fieri potest, vel Sermone Rectoris, vel Sacerdotis alicujus in gyro, seu Deputati; aut requisitis à Rectore aliquibus super aliquo pio documento ex occurrentis Evangelii lectione. Indè Superior Exhortationis regularis ansam desumat. * *Rit. c.* 5.

c. Si alius, quàm Superior, eum Sermonem habeat, ipse Superior mortificationem per hebdomadam in fine Concionis indicet; vel saltèm suo nomine promulgandam Sermocinatori demandet. *

SY-

SYNOPSIS CONSTITUTIONUM

PARS SECUNDA.

CAPUT. I.

De Tribus Votis in genere.

120. Charitatis perfectionem facile assequitur quisquis virtutibus, Votorum sacramento assertis, famulatur.

121. Superior sæpè, non cellas tantùm, visitando, sed Subditorum etiam conscientias, explorando, scrutetur.

122. Initio tertii cujusque mensis Constitutiones, Regulæ, Ritus, & Consuetudines Religionis prælegantur ad mensam.

123. Quotidie coràm Augustissimo Eucharistiæ Sacramento Vota privatè renoventur: publicè verò ad Resurrectionis Dominicæ, Omniumque Sanctorum celebritates, præmissâ generali Confessione ab ultima, confirmentur.

NOTÆ.

Ad 120. Aliquod ex Votis violans, pro criminis gravitate, plectatur pœna graviori. *Can. pœn. c.* 4. Quòd si relapsus fuerit, subeat pœnas, *ibid.* constitutas *c.* 5. *& seq.*

Ad 121. Præcepta frequens cubiculorum Visitatio Rectoribus, declaratur semel saltèm in mense, cum duobus Sociis, ex Senioribus in Professione Sacerdotibus: in quorum cubiculis visitandis, alii duo pariter Graviores assumantur. *Cap. Gen.* 1641.

a. Porrò in ea Visitatione Rectores arcas, etsi ob rationabilem causam fuerint clavibus obseratæ, revideant; superflua, & curiosa amoveant, & ejusmodi Paupertati, & Modestiæ nostræ contraria. *Cap. Gen.* 1677.

b. Omnes propterea Rectores clavim fabrefactam habeant, qua omnium cellas pro libito aperiant. *Cap. Gen.* 1659. *ex Decr. Clem. VIII.*

c. Ritus exigendi conscientiæ rationem refertur *P.* 3. *c.* 5. *Const. de Visitatoribus ad* 374. *a.*

Ad 122. Per Constitutiones nostras, pluries Apostolica firmitate roboratas, legum ferendarum Religioni facta est facultas, juxta *Const. P.* 3. *c.* 1. §. 2. *n.* 294. *& ad* 294. *Item. p.* 3. *c* 8. *n.* 407. *Vide Paranes. in princip. Synops. n. VI. pag.* 12. Præterea Regulæ communes, & Ritus, ut idem ubique ordo, & modus est, eduntur, & probantur *in Cap. Gen.* 1665. quemadmodum Canones pœnales *in Cap. Gen.* 1686.

a. Eo cultu nostras Constitutiones ubique prosequi debemus: ut seriò quæcumque supplicatio apud Sedem Apostolicam pro quacumque illarum relaxatione, sub obreptionis, & subreptionis pœna interdicatur. *Cap. Gen.* 1692.

b. Versiones Constitutionum, ex latina in aliam linguam adulteratæ, sub anathemate, nisi alicujus Generalis Capituli censuram, & fidem subierint, prohibentur. *Cap. Gen.* 1659.

c. Exemplaria Constitutionum nullius fidei sunt, nisi fuerint cum Autographo Romano diligenter collata, & per Generalem probata. *Cap. Gen.* 1659.

d. Singularum autem Provinciarum Archiva unum saltèm exemplar Constitutionum, Regularum, Rituum, Canonum pœnalium, & futurorum Capitulorum Generalium emendatum, & authenticum habeant; ex quo Provinciales, & Visitatores Domibus, & Personis eorum copiam faciant, suis manu, & sigillo roboratam. *Cap. Gen.* 1659.

e. Porrò, non solùm, quæ legibus nostris municipalibus continentur, sed etiam Decreta Clementis VIII. *pro Reg. Ref.* plenariæ omnium observantiæ commendantur. *Cap. Gen.* 1637. & Constitutiones Apostolicæ, sub pœnis per easdem statutis. *Cap. Gen.* 1692. Ideò quæcumque jubentur certis quibusdam temporibus Capitulariter legi, & publicari, legantur, seu publicentur de more in mensa, & respectivè in quocumque Capitulari congressu.

Ad 123. *Vide Partis primæ cap.* 3. *Const. n.* 41. *cum. Notis circa Votorum Renovationem d.*

a. Occasione diurnæ Votorum Renovationis coram Augustissimo Sacramento privatim, recitari consuevit quinquies Oratio Dominica, & Salutatio Angelica, ad lucrandos quotidie quinque, annos cum totidem quadragenis Indulgentiarum; *ex Indulto Pauli V.* 23. *Maji.* 1606.

b. Quemadmodum ibidem devotè orantes definitis Stationum diebus, easdem, quæ acquiruntur in visitandis illarum Ecclesiis, ac si personaliter accederent, consequi possunt Indulgentias. *Id ibid.*

CAPUT II.

De Obedientia.

124. Stultitiæ similis voluntas propria, coeuotibus iounam Obedientiam cunctis virtutibus.

125. Superiori, quisquis ille sit, fortiter, & humiliter, tanquam Patri, parendum.

126. In Superiore præcipiente Christus Dominus contemplandus.

127. Erit Subditorum, uon præstolari Superioris præceptum, sed, ad perspicuum quemcumque illius voluntatis nutum, obedire.

128. Non cui, sed propter quem obeditur, intuendum.

129. Siquid manifestè supra vires præcipiatur, non abnuendum: sin autem id Superiorem lateat, eidem submissè, absque renisu patefiat.

130. Liberum quisque sui, rerumque suarum Superiori relinquat arbitrium.

131. Nihil, ne conscientiam quidem Superior celetur, sed frequeos ejusdem ratio reddatur.

132. Quisque Superioris judicio humiliter acquiescat.

133. Ad Superioris vocem, & signa Communitatis ita convolandum, ut vel apex infectus relinquatur.

134. Non modò Superioribus, sed Ministris quoque in eorum Officiis humiliter parendum.

135. Rem Deo gratissimam præstat quisquis per infallibilem veræ Obedientiæ ductum, quocumque, ubi culpa noo est, ferri, & agi se sioit.

136. Quæque mortificatio, quanquam innocentibus inflicta, fortiter obeunda.

137. Dare, aut accipere literas, priùsquam à Superiore legantur, audeat nemo: quas ille lectas, pro sua prudeotia reddat, vel retineat.

138. Superiores Authoritatem cum Prudentiâ ita conjungant, ut sese homines hominibus præesse memores, humanitatem potiùs, quàm severitatem adhibeant.

NOTÆ.

Ad 124. *Quisquis* Exterorum commendationibus utetur, si Sacerdos, utraque Voce privetur, & Domo exire interdicatur; si Clericus, vel Operarius, in cubiculo ab aliorum commercio semotus, ter in hebdomada jejunet, donec obediat. *Cap. Gen.* 1677. & *Can. pæn. c.* 13.

a. Præterea, si Clericus directè, vel indirectè per interposita Externorum officia quæritaret ad Ordines quoscumque promoveri, eo ipso per triennium ad eosdem fit inhabilis. *Cap. Gen.* 1641.

b. Preces, & intercessiones Magnatum, aut quorumcumque Externorum, pro non discedendo ab aliqua Domo, vel in aliam migrando, aut pro quacumque re obtinenda apud Superiores adhibitæ, ita interdictæ sub pœnis à *Cap. Gen.* 1617. statutis, ut etiam Commendatus illicò parere debeat, & apud Commendantes agere, quatenùs ab ejusmodi officiis in Obedientiæ perniciem abstineant. *Cap. Gen.* 1692. *Vid. Can. pæn. c.* 13.

c. Patrouis, & Actoribus Externis utentes in causis ad Religionis, aut etiam Provinciarum, Domorumque Præpositos pertinentibus, si fuerint Sacerdotes, triennio Voce activa, & passiva priventur; si Clerici, triennio pariter ad ulteriores Ordines non promoveantur: si Operarii denique, per tres annos ultimum in Ordine suo locum habeant. *Cap. Gen.* 1686.

Ad 125. & 126. Siquis cum Superiore irreverenter, & de pari contenderit, vel rebellis fuerit, graviori pœna damnatur. *Can. pæn. c.* 4.

a. Siquis Superioribus obloquatur, seu cum illis contumeliosè agat, vel de ipsis diffamationes dicat, vel scribat, subeat pœnas expressas *in Cap.* 11. *Can. pæn.*

Ad 131. Ritus reddendi rationem conscientiæ præscribitur *in Cap.* 5. *p.* 3. *de Visitatoribus ad* 374. *a.*

Ad 133. Siquis, dato signo ad functiones communes, aut scholasticas, diligenter non accessarit, vel injuncta sibi Officia negligenter præstiterit, mulctandus. *Can. pæn.*

a. Sit idcircò ubique locorum Horarius, qui juxta distributionem tabellæ horariæ singulis vicibus det signum campanula, ut omnes ad regulares functiones conveniant. Idemque videat, an aliquis desit sinè Superioris licentia, & advocet. Horarii quoque est curare, ut lampas ardeat in Oratorio: eamque, completis Orationibus, extinguat: nec non libros, quibus uti solet Hebdomadarius, ibidem præparet, eosque custodiat. *Off. Hor.*

Ad

Ad 137. Ut suus cuique honor habeatur, Generalis ab omnibus, Provinciales à suis Subditis, & Visitatores tempore Visitationis verbo, & scripto *Paternitatis* titulo cohonestentur: Rectores, & Sacerdotes solo titulo *Reverentiæ*: Clerici autem, & Operarii simpliciter sinè ullo titulo vocentur, & inscribantur. Ad aliquam verò distinctionem Generalis à reliquis, in literarum inscriptionibus addatur *Noster*, ante proprium nomen. *Rit c.* 15. Sed coram Generali nulli titulus Paternitatis tribuatur. *Rit. c.* 15.

a Ad Paupertatis, & Uniformitatis cultum, nisi series negotiorum aliter postulet, literæ ad Nostros, in dimidio folio, etiam Generali, scribantur. *Rit. c.* 15.

b. Subditus ad Superiorem scribens, initio Epistolæ ponat vocem *Benedicite*: sin autem æqualis ad æqualem, *Pax Christi*. *Rit. c.* 15.

c. Quatenùs aliquis ad Generalem scribat, velitque soli communicatum secretum, in literarum inscriptione apponat, *Tibi Tantùm*, seu *T. T. Cap. Gen.* 1637.

d. Nemo in literis, etiam ad Generalem datis, præter nomen, regulare cognomen, & si Superior fuerit, Officium, ullo titulo utatur. *Rit. c.* 15. *&* *Cap. Gen.* 1637.

e. Literæ Generalis, ejus Assistentium, & Procuratoris Generalis à nullo, præterquam ab eisdem, quibus inscribuntur, recludantur. *Cap. Gen.* 1637.

f. Ubi notandum, à Clemente VIII. 26. Maji 1593. inter Casus reservatos referri malitiosum impedimentum, retardationem, aut aperitionem literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores; quòd siquis eatenùs deliquerit, graviori pœna plectendus. *Can pæn. c.* 4.

g. Singulæ Provinciarum Domus tenentur quotannis Domui Professæ Romanæ pro literarum expensis *Cap. Gen.* 1665 Propterea, ne quid gravaminis inferatur, sit ejusdem Procuratoris Generalis epistolas quascumque à tabellionibus acceptas, & numeratas in peculiari libello ab unaquaque Domo datas annotare; ratasque pro illis cum cæteris contributionibus exigere. *

h. Item pro literis missivis ad Provinciales contribuant pro rata singulis annis Domus Proinciæ Provincialium Residentis. *Cap. Gen.* 1692.

i. Ad sumptus autem inanes tollendos, sedulò Rectores inquirant, & animadvertant in eos, qui literarum scripturitione inanes, & noxios quandoque rumores spargunt. Quæ in re Constitutionis præscriptum *Par.* 2. *c.* 2. *& alibi* omninò servetur. *Cap. Gen.* 1671.

k. Quoties autem necessitas postulat, potest quicumque liberè ad Præpositum Generalem scribere. *Reg. com. num.* 31. *&* *Const. p.* 3. *c.* 4. *ad* 368.

l. Nullatenùs aut Gentilitiis, aut Sæcularium sigillis, vel mentitis nominibus vicissim dentur literæ; neque officiosæ, ad Paupertatis cultum, & otiositatem cavendam, scribantur. *

m. Sigilla Religionis circùm literis insignita Superioribus pro tempore tantùm permittuntur. *Cap. Gen.* 1659. Subditorum autem literæ, vel Rectorum sigillis, vel certè parvulis absque circumpositis characteribus obsignentur. *

Ad 138. Perrarò, & in gravioribus tantùm Casibus inserantur per Superiores præcepta formalia, quæ talia non esse declarantur, nisi *in virtute sanctæ Obedientiæ* exprimantur, nec non Censurarum inflictiones, aut comminationes; postremas autem ferendi facultas uni Generali, & Provincialibus reservatur. * *Cap. Gen.* 1637.

a.* Graviori pœna mulctatur, qui præcepto formali sibi, vel omnibus lato contradicit. *Can. pæn. c.* 4.

b. Itinerantes, qui sinè legitima causa, & facultate à recta in obeundis Obedientiæ mandatis declinaverint, arbitrio Superiorum plectuntur. *Cap Gen.* 1637. Non secùs, qui ad Exteros divertunt, ubi nostræ Domus existunt: & Superiores locales, qui Hospites nostros repellunt. *

c. Sinè Obedientialibus in scriptis de una in aliam Domum vagari deprehensus, sequestretur ibidem, donec Generalis, aut Provincialis monitus decernet quid cum eo agendum sit. *Cap Gen.* 1627.

d. Hospites autem subsint Rectori, apud quem divertunt, ac si essent in ea Domo assignati. *Off. Recept. Hosp. n.* 4.

CAPUT. III.

De Castitate.

139. Castitas in Angelorum morem aspectu, incessu, totiusque corporis habitu colenda.

140. Infandum, siquo modo Castitatis virtus labefactetur.

141. Suborientes impuræ cogitationes, confestim ad petram allidantur.

142. Lubrici sermones, & quidquid Sæculi vanitatem redolet, oculorum præsertim licentia coercenda.

143. Quæcumque mulierum consuetudo, quanquam Propinquarum, vitanda.

144. Nostratibus mulieres alloquentibus à Superiore Deputatus assistat.

145. Quisquis ex neceſſitate Sæcularium Domos adierit, comitem à Superiore deſignatum ſenio, vel certè motibus gravem ſecum habeat.

146. A fæminarum colloquiis, & à Sæcularium Domibus Noſtri ſe celeriter expediant.

147. Illicitum extra Domos noſtras cibum, aut potum ſumere.

148. Perinſignis Modeſtiæ, omniumque virtutum ſpecimine cum diſcipulis agatur.

149. Nemo ſcholares absque Superioris facultate ſuis manibus verberet; nec ullo ſingulari affectu proſequatur.

150. Adoleſcentes, Noſtratum diſciplinæ commiſſi, per literas ad bonos mores modeſtiſſimè inſtituantur.

151. Gymnaſticis exercitationibus abſolutis, unà Scholaſtici omnes dimittantur.

152. Diſcipuli ad proprias Domos ab omnibus, licet Confeſſariis, aſſocientur: quod etiam ſemel ſaltem in hebdomadâ Superior præſtabit.

NOTÆ.

Ad 139. Vitio, ſeu Caſu aliquo contra Caſtitatem uotati, quemadmodum quomodocumque de quocumque delicto proceſſati, & condemnati, evadunt ipſo facto inhabiles ad Gradus Religionis in perpetuum: nec ad eos habilitantur, niſi per Capitulum Generale. * præter pœnas Votifragis inflictas. *Cap.* 4. *&* 5 *Can. pæn.*

Ad 143. Nulla à Noſtris familiaritas cum mulieribus, quantumvis Propinquis, & honeſtis, contrahatur. *Reg. com. num.* 8.

Ad 145. & 146. *Vide* 48. *&* *ad* 48. *&* *ad* 91.

Ad 147. Nemo extra noſtras Domos, etiam Conſanguineorum, aut extra communem menſam comedat, aut bibat ſinè Superioris licentia. *Reg. com. n.* 32. *Vide* 163.

Ad 152. Diſcipuli, etiam à Provincialibus, Viſitatoribus, Aſſiſtentibus, & aliis quibuscumque Superioribus aſſociandi commendantur. *Cap. Gen.* 1641.

a. Cæterùm inviolatè ſervari præcipit laudabile Inſtitutum noſtrum, præcipuè in uſu aſſociandi pauperes pueros ad eorum Domos Alex. VII. in Conſt. *Dudum fel. rec. Paulus Papa. V.* die 24. Jan. 1656. & Conſt. *Cum ſicut.* 28. Apr. 1660. & Clem. IX. Conſt. reint. *Ex injuncto.* 23. Octobris 1669.

Caput. IV.

De aliis Mediis conſervandæ Caſtitatis.

153. PEr jejunia, & voluntarias corporis afflictationes Caſtitatis virtus innovatur.

154. Diurnæ frugalitati moderatus quandoque jejunii rigor accedat.

155. Præter ſolemnia Eccleſiæ jejunia, per Adventum, ſextas ferias, ſeptem feſtivitatum Deiparæ pervigilia, & à feſto S. Laurentii ante B. V. Aſſumptionem jejunandum.

156. Feria ſexta quisque pane tantùm, & aqua cum pulmento ad menſam utatur: his arbitrio Superioris addi licet modicum vini: ſimiliter in pervigiliis Deiparæ.

157. Si feria ſexta, vel Sabbato feſtum occurrat cum prævio jejunio; hoc ipſo feriæ ſextæ jejunium compenſetur.

158. Feria ſecunda carnium eſus interdicitur, excepta ſecunda feria Paſchatis, & Pentecoſtes: cum itinerantibus verò diſpenſare poteſt Generalis.

159. Feria pariter quarta jejunandum, niſi præcedat jejunium feria tertia, permiſſis, ubi Generali videbitur, lacticiniis.

160. Cibus, & potus ubique Paupertatem, & ſimplicitatem ſapiant.

161. Vinum, præſertim junioribus, merum ne propinetur.

162. Pennata pro ſolis infirmis, & ſenioribus emantur; dono tamen obvenientia comedere licitum.

163. Abſtineat quisque extra menſam eſu, & potu absque Superioris indulto.

164. Omnes ad primam menſam accumbant: quòd ſiquis juſta de cauſa, cum Superioris conſenſu, non adfuerit, ad ſecundam ſtatim accedat.

165. Menſam præcedat benedictio: & gratiarum actio, juxta Ritum Eccleſiæ, ſubſequatur.

166. Singulæ tantùm mappulæ ſingulis ad menſam ſternantur.

167. Idem

167. Idem cibus, eadem portio, & idem ferculorum numerus utrique mensæ: nec ullus quidquam singulare omninò habeat.

168. Prandium sit ex uno pulmento, ferculo quatuor uncias non excedente, & Paupertate permittente, ex fructu aliquo, aut simili re instructum.

169. Solemnioribus festis, præter dapes consuetas, addi potest aliquid obsonii, simile pottioni, Superioris arbitrio.

170. Habitâ senectutis, & imbecillitatis ratione, cæna sit tenuis, ad valetudinem.

171. Mensa condiatur sacrâ lectione; de qua in recreatione aliquid ad Superioris nutum recolatur.

172. Errores Lectoris ad mensam solus Superior, aut ab eo Deputatus corrigat.

173. Apud Sæculares, quantumvis Propinquos, licet ruri degentes, nemo sine facultate, rarò, & in scriptis concedenda, comedat: ratò item Externi ad mensam excipiendi.

174. Semel saltèm in hebdomada cilicio; feria verò secunda, quarta, & sexta, ad carnis macerationem, flagellis utendum.

NOTÆ.

Ad 155. In privilegiis septem solemnitatum Deiparæ Matris nostræ sunt omnes uno pulmento jejunaliи contenti. *Cap. Gen.* 1637.

a. Recurrente verò Annuntiationis pervigilio feria secunda Paschatis, vel infra ejus Octavam, ejusmodi jejunium transferatur cum festo; ita ut jejunium cadat in sabbatum in Albis, quatenùs Annunciatio proxima secunda feria celebretur: tunc autem feria sexta jejunio vacat. *Cap. Gen.* 1637.

b. Jejunium ante Virginis Matris Assumptionem inchoandum à festo Sancti Laurentii Martyris exclusivè. *Cap. Gen.* 1637.

Ad 156. Jejunio feriæ sextæ, in Constitutionibus præscripto per unum jejunale pulmentum, addi permittitur obsonium. *Cap. Gen.* 1659.

Ad 157. Sabbato, in quod jejunium feriæ sextæ transferri contigerit, non liceat uti lacticiniis. *Cap. Gen.* 1683.

a. Quando transfertur feriæ sextæ jejunium in sabbatum, in ea uti licet lacticiniis. *Cap. Gen.* 1671.

Ad 158. Itinerantes, juxta consilium Evangelicum manducent, quæ apponuntur. *Cap. Gen.* 1659.

Ad 159. Feria quarta licet uti lacticiniis, cum moderata tamen abstinentia serotina. *Cap. Gen.* 1686. quæ quidem fit ad quantitatem jejunio congruam, licet ex lacticiniis. * *Cap. Gen.* 1665.

Ad 164. Qui per negligentiam primæ mensæ non interfuerit, corrigendus. *Can. pœn. c.* 1.

a. In Collegiis grandioribus triplex mensa institui consuevit. Prima Convalescentium, qui ex Medici præscripto particularibus cibis vescuntur, per semihoram ante communem. Secunda, in qua Communitas discumbit. Tertia, in qua Ministri, & cæteri, qui communi non adfuerunt, sedent: ubique tamen vitanda ciborum in eadem mensa difformitas. * *Reg. Off. Præf. Ref.*

b. Post absolutam primam mensam detur campanula per Lectorem signum secundæ; in qua etiam erit lectio eorundem librorum. *Rit. c.* 9. *n.* 4.

c. Sacerdotes autem, & Clerici, licet Novitii, semper cum suis Clericalibus Biretis in mensa sedeant: neque unquam detegant caput. Sed si Superior supervenìat, seu recedat, omnes assurgant; & donec, vel ipse assederit, vel exierit, stent, & Lector interea sileat. *Ibid. n.* 2. & 3.

Ad 167. Cum Nostris, postquàm per triduum saltèm iter egerint, circa Religionis jejunia, & macerationes triduo dispensatur; & aliquid, pro discreto Superiorum arbitrio, præ cæteris ad victum indulgetur. Quòd si majora fuerint itinera, ultra triduum prorogetur exemptio. *Cap. Gen.* 1637.

Ad 171. Lectores ad mensam sint omnes Clerici. & Sacerdotes, qui non sunt professi à septennio, & à triennio Sacerdotes: in Familiis autem minoribus commissum Superioris prudentiæ, quatenùs omninò refectio non vacet lectione. *Off. Lect. n.* 1.

a. Cum jejunatur, recreatio vespertina ad semihoram contrahitur. *Rit. c.* 7.

Ad 173. *Vide ad.* 147.

a. Licentia extra Domum comedendi sufficit oretenùs impertita; quæ tamen perrarò, & viris tantùm probatæ virtutis, & exemplaritatis, nonnisi cum socio indulgeatur. *Cap. Gen.* 1659. Si junioribus, cum sene. *

b. Sub gravi pœna vetita cibus, & potus in tabernis, præterquàm in itinere: item extra Domos nostras pernoctare. *Cap. pœn. c.* 3.

Ad 174. Secunda, quarta, & sexta feria, nisi inciderit dies festus ex præcepto, aut consuetudine, fiet communis flagellatio, quæ vulgò dicitur *Disciplina*, præmisso præambulo consueto, sicuti describitur in Synopsi Precum quotidianarum: & recitato Psalmo, *Miserere*, cùm solitis Precibus ab Hebdomadario alternatim cum aliis, invocata in fine intercessione Sancti, seu Sanctorum, quorum dies festus recolitur. Tempus verò hujus flagellationis est: hyeme ante cœnam, post Orationem mentalem serotinam; æstate verò post examen conscientiæ vespertinum. *Rit c.* 5.

a. Circa injunctum cilicii usum semel in hebdomada, invaluit Consuetudo, ut ab hora matutinæ surrectionis feriæ sextæ, in memoriam Passionis Dominicæ, usque ad primum signum prandii super nudo communiter circumferatur.*

Caput V.

De Paupertate.

175. Maximum Paupertati studium adhibeatur, ut firmiter in suo robore perseveret.

176. Quisque aliquem assertæ Paupertatis effectum, interdum experiri nitatur.

177. Tàm re, quàm nomine nihil cuiquam proprium sit.

178. Ad mendicandum ostiatim sint omnes parati.

179. Velit quisque in sui usum vilissima quæque.

180. Nemo quidquam apud se, vel penes alium depositum habeat.

181. Nihil sinè Obedientia, mutuo, commodo, seu dono cuiquam detur.

182. Nullibi capsæ pro corrogandis eleemosynis exponantur.

183. Eleemosynæ ultroneæ, quæ, nonnisi urgente necessitate, accipiantur, tradantur Oeconomo, seu Procuratori; qui sit ex Operariis.

184. Sit penes Oeconomum liber dati, & accepti; cujus in singulas hebdomadas, menses, & annos summa referatur.

185. Peculiares pro Benefactoribus Preces jugiter effundantur.

186. Ex eleemosynis vivendum; necessaria tamen unius anni Provisio præveniri potest.

187. Asserimur incapaces possidendi Stabilia, & Jus pro illis in foro dicendi.

188. Pro Scholis reparandis necessarius aliquis census admitti potest penes Loci Communitatem.

189. Nemo, sub gravi pœna, quemquam inducat, ut aliquid, quovis titulo, Religioni, aut cuiquam; etiam Propinquo, leget.

190. Ad Charitatem cum omnibus fovendam, à litibus cavendum.

191. Mobilia ne sint Paupertati contraria.

192. Nemo pro quoquam corroget eleemosynas; nec erogandas, etiam pro restitutionibus, accipiat sinè Obedientia.

193. Necessaria tantùm in cubiculis admittantur; nullæque sint imagines, nisi Sacræ; & chartaceæ: non horologia, non Reliquiaria, non libri curiosè ornati: & omnia ibidem sint aperta.

194. Cellarum latitudo decem palmi, longitudo duodecim: lectuli autem ad quatuor tantùm palmos lati: sitque in eis una culcitra, & pulvinar ex paleis, cum lodicibus laneis, pro temporum ratione, sine linteis.

195. Cubicula singulis mensibus per Superiorem visitentur; indè amovendo quidquid Proprietatem, sordesque præseferat.

NOTÆ.

Ad 175. Assertæ Paupertatis rigor sedulò per Superiores foveatur, quamcumque pecuniæ retinendæ libertatem tollendo; perfectam Communitatem in victu, & vestitu solerti cura tuendo; Habitus Uniformitatem, & interiorum vestium Modestiam, quoad colorem, & Humilitatem, curando; arcas clavibus obseratas prohibendo; cellasque semel saltem in mense lustrando, & superflua, curiosaque amovendo; ita verò, ut Superiores, paternæ Charitatis memores, necessaria Subditis provideant: nec Subditi Paupertatem exosi, plusquàm Professio patitur, sibi velint provisum. *Cap. Gen.* 1677.

a. Essentia Paupertatis nostræ declaratur ad formam Concil. Trid. c. 3. sess. 25. de Regul. adeoque Religio capax in communi tantùm possidendi, ex Decr. Sac. Cong Episcop. & Regul. confirmato per Innoc. XI. 3. Sept. 1686.

Ad 176. Ex Obedientia iter agentibus commeatus, & viaticum à Domibus, undè proficiscuntur, vel juxta probatas Provinciarum Consuetudines, quamvis brevi de Familia in aliqua Domo permanserint, per Superiorem discretè provideatur, salva quidem Paupertatis ratione, sed firma etiam Charitatis regula. * *Ex Cap. Gen.* 1637.

a. Qui pedites ex infirmitate, seu virium imbecillitate nequeunt itinera obire, commodis Modestiæ, ac Paupertati omninò convenientibus, ex discreto Superiorum præscripto, utantur. *Cap. Gen.* 1641.

b. Servandam etiam in itinere Paupertatem sanxit Alexander VII. Const. *Cum sicut* die 28. *Apr.* 1660.

c. Item, in Paupertatis obsequium, liber nullus, quocumque modo acquisitus, à quopiam transferatur de Domo in Domum, nisi de Generalis, aut Provincialis facultate in scriptis, semel saltem obtenta. * *Cap. Gen.* 1671.

d. Superiores quoque, à Ministeriis absoluti, nihil, quod fuerit acquisitum Domibus, unde discedunt, ullatenùs transferant, sub pœ-

nis

nis arbitrio Generalis, in primis autem subitæ restitutionis. *Cap. Gen.* 1637.

Ad 177. Quisquis reus Proprietatis fuerit, eo ipso privationem Vocis activæ, & passivæ, à Concil. Trid. Statutam c. 2. sess. 25. de Regul. incurrit; præterea bimestrem carcerem subeat; vel etiam diuturniorem, pro reatus gravitate. *Can. pœn. c. 6. Vide ad* 175.

Ad 178. Scholæ Piæ ne impediantur, quominùs eleemosynas pro suorum sustentatione ostiatim quærere, & accipere valeant, indulget Alex. VII. die 24. Jan. 1656. Const. *Dudum fel. rec. Paulus Papa V.*

a. Cautum, ne Generali, aut Provincialibus inconsultis, novæ quæstuationes extra Diæcesim instituantur, ne Domorum vicissim tollantur emolumenta. *

Ad 180. Solis itinerantibus permittitur in via usus necessarius nummorum quòd siquia aliqua donetur pecunia ex facultate Superioris, vel ea superfuerit ab itinere, penes Depositi capsam fideliter deponat: si secus quis fecerit, graviori pœna mulctetur. *Cap. Gen.* 1637.

a. Nullum tamen propterea Jus deponenti acquisitum super ea intelligatur, sed Religioni, seu Communitatis tantùm. *Ex Decr. Clem. VIII.*

b. Proinde, siquis aliquam pecuniam quoquo modò acquisitam habeat, de Superioris consensu, penes Depositarium Domus, in eadem communi capsa confundendam, & incorporandam, sub secreto autem conservandam, religiosè deponat, pro extraordinariis necessitatibus: nec indè quidquam extrahatur sinè Superioris facultate, juxtà occurrentias, eidem Superiori simpliciter, toties, quoties, manifestandas; distinctè pariter notando in libro particularium depositorum Introitum, & Exitum; exprimendo etiam res, pro quibus à Superiore approbatis exponitur pecunia; ut omnis Administrationis ratio Visitatoribus reddi possit. Quòd siquis minùs fidelis in ejusmodi deposito faciendo deprehendatur, pœnas Proprietariorum, à Trident. statutas, & in Canonibus nostris pænalibus contentas, ipso facto subeat. Superiores autem moneantur, ne ullatenùs, contra Discretionis ordinem, ex ejusmodi depositis velint Subditis provisum de interno, & externo vestitu, & ejusmodi regulariter necessariis; quemadmodum etiam de viaticis, quatenùs itinera pro servitio Religionis ex Obedientia instituantur; sed ea omnia, non obstante particulari deposito, provideantur ex communi Domorum ærario. Subditis autem in aliam Domum ordinatis tradatur depositum, secum asportandum, & penes Depositarium, ad quem quis festinat, eadem ratione deponendum. *

c. Aliter nemo apud se, vel apud alium pecuniam, seu alia deposita habeat; neu mutuò dabit, vel accipiet; vel de his, quæ apud se, vel Domi sunt, sinè Superioris licentia, dispensabit. *Reg. com. nu.* 36.

d. Norint autem Superiores, nullam habere Authoritatem circa facultates impertiendas alicui pro pecuniis inde terminatè apud se detinendis, vel Communitati non incorporandis. *Clem. VIII. c. Nullus. nu. 7. de Reg. Ref.*

Ad 181. Donariola, scholaribus, ad æmulationem in eis excitandam, dari consueta, Sacrarum Imaginum, Amuletorum, & similia, Paupertati tamen Religiosæ consentanea, permittuntur de Superioris consensu; imò ab eodem, si aliàs haberi nequeant, providenda. *

Ad 183. Nemo eleemosynam stipendii nomine petat; aut eo nomine oblatam accipiet; sed siquid mero eleemosynæ nomine cuiquam offeratur, ad Oeconomum, seu Procuratorem Domus mittatur, vel ei tradatur. *Reg. com. nu.* 36.

a. Eleemosynas pro Missis oblatas *Vide, ad* 71. *a.*

b. Munera quæcumque, quomodolibet alicui obvenientia, Superiori per accipientem oblata, in usum communem adhibenda tradantur: nisi pro muneris tenuitate, seu ratione, Superior aliter Subdito permittendum putaret, juxta *Clem. VIII. Decr. pro Ref. Reg. n.* 7.

c. Possunt in Oeconomos institui etiam Sacerdotes, ejusmodi Ministeriis ritè obeundis idonei. *Cap. Gen.* 1637.

d. Sublata Clericorum, & quorumcumque in Professorio existentium, in Oeconomos eligendorum facultas, ex Decr. Clem. X. præcipientis, *ne in negotiis Conventus se intromittant; neque communibus tractatibus intersint; aliisque Officiis exterioribus occupentur.*

e. Erit autem Oeconomi, cum Oeconomiæ Deputatis, per singulos menses juxta Decreta Clementis VIII. de *Ref. Reg. nu.* 13. duobus saltèm Peritioribus coràm Superiore summam dati, & accepti referre; curare quatenùs quotidie pro Benefactoribus Preces fundantur; redditus domesticos exigere, & exactos fideliter connotare; Debita solvere, & ejusmodi. Porrò nihil, sinè Superioris licentia, & servatis servandis, locet; nihil vendat; nullum Contractum ineat; in Judicio non compareat; nullasque lites incipiat, seu transigat. Lites verò, ex necessitate inceptas, diligenter absolvat; Peritos consulat; remque omnem sinè turbia, & jurgiis peragat. *Reg. Oeconomi per totum.*

f. Advertendum, Regulis utique nostris Oeconomum cum Procuratore confundi; ex quo autem Clementis VIII. Decretis, die 25. Junii. 1599. editis, non obstantibus Privilegiis in contrarium, omninò parendum esse per Capitula Generalia 1637. & 1692. aliasque Ordinationes definitum est; quæcumque circa temporalem Administrationem Regulæ communes determinant, ita Oeconomiæ Officialibus accomodanda, ac distribuenda; ut inviolabilis eorundem Clementis Decretorum ubique firmetur observantia. Quorum præscripto tres Oeconomiæ Ministri, Officiorum confusione penitùs interdicta, in singulis Domibus constituantur: Procurator, qui rerum, & Bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat: Depositarius, qui pecunias, & cætera ab illo collecta & exacta fideliter asservet: Oeconomus tandem, qui de rebus à Depositario acceptis, ipso Rectore mandante, non secundùm proprium affectum, sed juxta Charitatis regulam, singulis provideat. *Clem. VIII. c. Nullus nu.* 12.

g. Quoniam autem Procurator localis debet publicam totius Familiæ fidem in exigendo, in locando, in vendendo, in litibus, & ejusmodi negotiis præstare, habeat à Vocalibus Procu-

curationis mandatum, oportet. Eligendus itaque Capitulariter per secreta Vocem in illa Domo habentium suffragia, ex duobus à Rectore proponendis, ita ut exclusio primi, ordine Professionis propositi, sit inclusio secundi: cujus electionis, prout etiam Depositarii, & Oeconomi, à se nominandi confirmationem à Generali, seu Provinciali, si delegatam ad id habeat facultatem, postulabit. * *Cap. Gen.* 1659. juxta Decreta Clem. VIII. de Ref.

h. Methodus autem rationum, ab his tribus in singulos menses Locorum Superioribus reddendarum, præscribitur ab eodem Clem. VIII. c. *Nullus n.* 13.

Ad 185. *Vide ad* 112. pro Benefactoribus defunctis.

Ad 190. Legata, nimiis litibus involuta, non acceptentur. *Cap. Gen.* 1641.

Ad 193. Nemo sinè Superioris licentia expressa pro suis Amicis, Propinquis, vel Extraneis eleemosynam petat; nec oblatam pro pauperibus, aut restitutionibus faciendis accipiat. *Reg. com. n.* 37.

Ad 193. *Vide ad* 121.

Ad 194. Cellæ aliquantò latiores, pro senibus maximè; quæ tamen quindecim palmorum non excedant mensuram, possunt ædificari. *Cap. Gen.* 1659.

CAPUT VI.

De Vestibus.

196. Sint vestes ex nigro, & rudi panno, munditiem cum Paupertate præseferentes.

197. Generalem consulant Provinciales de vilioribus Regionum pannis, ex quibus vestes fiant.

198. Tunica talaris, undique conclusa, ad pectus tantùm aperta, ligneis glandulis claudatur.

199. Pallium ex eodem, quo vestis, panno hominis genuflexi mensuram non prætereat.

200. Vestes interiores Paupertatem sapiant: & lanea sint indusia, & sudariola.

201. Bireto in modum Crucis efformato Sacerdotes, & Clerici; Operarii autem honesto galero caput operiant.

202. Calceis fenestratis pedes infra tibialia nudi reparentur; in Locis tamen frigidioribus potest, ad congruam anni partem, udonum usum Generalis indulgere.

203. Ad vestium munditiem, Vestiarium de Rectorum solertia sit supellectili necessaria refertum.

204. Supellex omnis, quæ non sit alicui per Obedientiam usui concessa, in communi Vestiario custodiatur.

205. Omnibus idem comæ, barbæque sit modus, ac dies. Cæterùm barba, neque radenda, neque nutrienda: bis autem ad minùs in singulos menses Clericalis tonsura renovetur.

NOTÆ.

Ad 196. Satagant Rectores, ne qua difformitas in Subditorum vestitu appareat; sed vestes omnes ejusdem sint modi, qualitatis, & formæ. *Reg. Rect. n.* 21.

a. Super Habitu nostro Regulari, etiam in itinere, nullum sæculare indumentum à quoquam admittatur. *Cap. Gen.* 1692. Imò, levissima licèt, quæcumque Habitus nostri prohibetur immutatio per idem *Cap Gen.* 1692.

b. Quòd *Cap. Gen.* 1692. Generali commiserit, quatenùs pro sua prudentia decerneret, ut es, quæ pertinent ad vestitum, unicuique statutis temporibus traderentur; visum est solùm Superiorum in ea re conscientias onerare; ut memores, tàm ex Charitate, quàm ex Justitia se teneri Subditis, juxta cujusque indigentiam, providere; satagant, nedùm honestè ab eis requisiti; verùm etiam semel saltèm in mense, in cubiculorum præsertim Visitatione solerter investigando, an aliquid cuiquam desit, convenientia indumenta, opportunam supellectilem, & ejusmodi subministrare. *

Ad 198. Vestes ante pectus ternis glandulis ligneis nigri coloris claudi consueverunt, pallium simili glandula cum ligula nigra, non serica, qua pariter, sinè floccis, galerus præcingatur. *

Ad 199. Vestes internæ, tàm æstivæ, quàm hybernæ, à communi Vestiario cuique ministrandæ, sint ex rudi panno, seu tela, albi, vel nigri, aut certè subobscuri coloris: non improbantur ex pellibus modesti coloris.

Ad 200. Ad munditiem, & valetudinem, ob graves Instituti labores, indusia, femoralia, & sudariola linea, vel ejusmodi permittuntur; simplicissima tamen, & prorsùs absque floccis, & fimbriis, & alio quocunque ornamento. *Cap. Gen.* 1641. *&* 1659.

Ad 202. Motu proprio Alexander Papa VIII. 21. Febr. 1690. præcipit, quatenùs ubique locorum Nostrates incedant calceati. Cujus Constitutionis observantiam, sub gravibus pœnis arbitrio Superiorum infligendis, circa tibialium, & calceorum formam ad unguem, commendat. *Cap. Gen.* 1692. Calcei autem sint nigri coloris, Humilitatem, & simplicitatem præseverentes, ac prorsùs sine ocellis, & clausi; non alio, quàm coriaceo ejusdem coloris ligamine adstringendi, & prominentiori calcaneo careant; idest, prout ab eodem Pontifice vivæ vocis oraculo declaratum, calcaneus supra extremam calcei soleam nullatenùs promineat.

a. Idem, tibialium formam in ea Constitutione præscribens, omninò lanea definit, nigri semper coloris. Quæ omnia respectivè etiam in crepidis observantur.

Ad

Ad 203. & 204. Lines, & lanea supellex in communi Vestiario servetur. *Cap. Gen.* 1683. *Reg. Cust. Vest. n.* 1.

b. Cum quis ex Obedientiæ præscripto de una in aliam Domum transfertur, sit benè, ac decenter de vestibus internis, & externis provisus, quamvis brevi in ea Domo permanserit; qua in re maximè invigilent Provinciales. Sit autem liber penes Vestiarium, in quo quidquid novi accipitur ab accipientibus manu propria connotetur.

Caput. VII.

De Modestia, & Charitate.

206. Omni cura quisque oculorum, incessus, habitudinis, & sermonis Modestiam tueatur.

207. Debita Magnatibus Ecclesiasticis, & Sæcularibus adhibeatur observantia.

208. Ad parem Superioribus reverentiam præstandam, quòd Christi vices gerant, eos quisque genuflexus alloquatur.

209. Se omnes vicissim revereantur; & prorsùs à murmurationibus, à facetis, scurrilibus, mordacibus imodestis, pungentibus, contentiosis, elatis, & effusis verbis abstineant.

210. Ne fint curiosi rerum, quæ in sæculo fiunt, vel in Domibus nostris occurrunt: neque, nisi ex Officio, alter alterum mortificet.

211. Proprio quisque religioso tantùm nomine, nunquam per diminutionem in contemptum appelletur: Supriores ab Officio decet nominari.

212. Imperturbata ubique Concordia, & Charitas Superioris industria foveantur.

213. Gravi pœna dignus, domestica Externis aperiens.

214. Suborientes litterariæ, & ejusmodi contentiones, illicò à Superiore componantur.

215. Sinè Generalis Indulto nihil typis mandetur; idque fiat finè Authoris fuco.

216. Factionibus nulla ratione adhærendum; sed omnes, licèt invicem adversantes, in Domino complectamur.

NOTÆ.

Ad 206. Aspectu, incessu, sermone, totiusque corporis forma ita quisque se componat, ut Angelorum puritatem imitari videatur: caveatque, ne mors per oculorum fenestras ingrediatur; quæ quidem, non tantùm in sermone, & Modestia, sed etiam in modo loquendi servanda; cavendo maximè à verbis quæ dissolutionem præseferunt. *Reg. Mod. nu.* 1. *&* 2.

a. Quisquis in Ecclesia, Oratorio, aliisque locis publicis, vagis oculis, & motu aliquo irreligioso levitatem ostenderit, corrigendus. *Can. pæn. c.* 1.

b. Ad publica bacchantium spectacola, & alia profana ne quis accedat.

Ad 207. Prælati S. Romanæ Ecclesiæ, Principes sæculares, ac Superiores Religionis, & respectivè quæcunque Dignitate præditæ Personæ debito donentur obsequio. *Reg. Mod. n.* 4.

Ad 208. Canon Constitutionis de alloquendo, flexis genibus, Superiores intelligendus de Junioribus tempore Junioratus; ità verò, ut reliqui etiam in recognitione novi Superioris, ac Visitatoris accedentis, seu recedentis; quemadmodum in petenda pro exitu, & reditu benedictione, & ejusmodi præstandæ Obedientiæ actibus omnes pariter genuflectant: quo sensu declaratur ea ratio, quam Personarum in ea re habendam decrevit *Cap. Gen.* 1659.

Ad 209. Omnes se invicem venerentur, & reverenter alloquantur: nec ullus quemquam, nisi ex Officio, mortificet, nec contentiosè agat, aut in collocutionibus vocem extollat; neque alios fictis, & jocosis nominibus, aut cognominibus appellet. *Reg. Mod. & Cap. Gen.* 1659.

a. Gravis culpa censeatur, immodestè cum aliquo, vel maximè cum Sæcularibus contendere, vel rixari; adeoque gravi pœna dignum. *Can. pæn. c.* 13.

b. Dissolutè cachinnantes, & loquendo, alios ad risum concitantes advertendi. *Can. pæn. c.* 2.

c. Siquis de victu, aut vestito, etiam leviter conqueratur; vel debitam omnibus, præsertim Superioribus, reverentiam non exhibeat, reus pœnæ. *Can. pæn. c.* 1.

Ad 210. *Vide ad* 137.

Ad 211. Nostrates, non ex cognomine Gentilitio, sed ex nomine alicujus Sancti denominantur, Alex. VII. 28. Apr. 1660. Const. *Cum sicut.*

a. Alicui ex Nostris, aut Externis probrum, vel nomenclaturam, quæ in derisum cadat, dicentes, aut scribentes; mendacium proferentes; juramenta otiosa usurpantes; præteritas, & emendatas alicui culpas improperantes; alicui detrahentes; in cellulis nocturno tempore colloquentes, gravi pœna damnentur. *Can. pæn. c.* 3.

Ad 2[illegible] *Vide ad* 137.

a. [illegible] his, quæ Domi, aut inter Sodales a[illegible], nisi sint ad ædificationem, cum Sæcu[illegible]us tractet. *Reg. com. n.* 30.

Ad 215. Licentia quidquam imprimendi nulli concedatur, quin priùs duorum ex doctoribus in ea re Opus censuram, & approbationem subierit *Cap. Gen.* 1641. *& Reg. com. num.* 39. Nemo autem typis aliquid mandare audeat, sinè approbatione Examinatorum, & consensu Generalis. *Ibid.*

Caput VIII.

De Gymnasiis, seu Scholis Piis fundandis.

217. Ab una Scholarum Piarum sedulitate, ad Reipub. reformationem, sua capiet incrementa Religio.

218. Plures Domus non admittantur, quibus nequeat satis de Ministris idoneis fieri.

219. Ad novas Fundationes non procedatur, antequam aliæ perficiantur.

220. Pro novis Fundationibus Ecclesiam in primis, supellectilem necessariam; Bibliothecam, & Hortum contiguum præparent Fundatores: ejusmodi autem Stabilium Jus Sedi Apostolicæ devolvatur.

221. Ædificiorum formæ, ad Paupertatem cum simplicitate servandam, prius à Generali examinentur.

222. Ad Regularis observantiæ stabilitatem, duodecim saltèm in singulis Domibus commorentur: super quo, nisi urgens necessitas accedat, Generalis non dispenset.

223. Sine Generalis Decreto, consultis Assistentibus, aliisque sibi benè visis, nulla dimittatur Fundatio.

224. Interdictum Seminariorum, & Sæcularium Convictorum Regimen.

NOTÆ.

Ad 217. *Vide ad* 1, *per totum.*

a. Probibemur in districtu viginti milliariorum ab Urbe nllum Locum, in quo Scholæ Piæ non sunt, Domibus Novitiorum exceptis, habere. Paulus V. Const. *Ad ea, per quæ; &c.* 6. Martii 1617.

Ad 219. Nulla, sinè Generalis cum Assistentibus facultate nova Fundatio suscipiatur. *Cap. Gen.* 1659. *&* 1692.

a. Pro tractatibus novarum Fundationum promovendis, nisi aliunde suppeditentur expensæ, Domus Provinciæ, in qua Fundatio instituenda est, habita facultatum ratione, ad Provincialis, de Assistentium suorum Consilio, præscriptum, contribuant. C[illegible] pro Fundationibus extra Provinciarum [illegible] ea contributio à Generali statuatur.

Ad 220 Curandum, ut qui Fundationem aliquam Religionis nostræ postulant, priùs parent necessaria. *Reg. Prov. n.* 7. *Vide ad* 48.

a. Qui Scholas Pias erigi, & institui alicubi petunt, annuos redditus, aut præstationes, quibus decenter alantur, & sustententur, erogent. *Cap Gen.* 1641. & Alex. VII. Const. *Dudum*, die 24. Januarii 1656.

b. Super alimentis Fundationum non aliud onus, quàm Institutum acceptetur; nisi Generalis cum sibi Assistentibus accedat Authoritas. Quòd si Fundatores ex integro velint onera Missarum imponere, unum quotidianum possit admitti. *Cap. Gen.* 1641.

c. De supellectili autem *Vide ad.* 203.

d. Bibliothecæ quotannis per Locorum Superiores libris Instituto accommodis cumulentur: & in Visitationibus de hujus Decreti observantia inquiratur. *Cap. Gen.* 1683.

e. Quatenùs ob angustiam loci hortus haberi nequeat proximus Collegio, ad honestam animorum remissionem, si fieri potest, habeatur in vicinia. *Cap. Gen.* 1659.

f. Porrò meminerint Superiores Locorum, sub pœna trimestris Suspensionis ab Officio, ipso facto incurrenda, ne plantas ullas fructiferas succidi patiantur; reliqui verò bimestris mortificationis, juxta *Can. pœn. c.* 12.

Ad 221. Novarum Domorum, & Ecclesiarum delineationes in primis à Generali cum sibi Assistentibus probandæ: nec aliquid supra sumptum decem aureorum in earum ædificiis, absque Provincialium saltèm facultate, innovandum. *Cap. Gen.* 1637. *&* 1659.

a. Quoties novæ alicujus Fundationis occasio se præbeat, Scholæ ab Ædibus Religiosorum ita separentur, ut studiosi has non valeant pro libito pervadere. *Cap. Gen.* 1627.

Ad 222. Domus necessariis ad vivendum carentes, pro congruo Personarum numero, & Regulari observantia, dimittendæ. *Cap. Gen.* 1641.

Ad 224. Seminaria, in quibus regendis Regularis disciplina potest conservari, posse permitti declarat, *Cap. Gen.* 1637. Erunt autem ejusmodi, si formam Collegii Nazareni de Urbe, seu Lauretani Nicolspurgensis in Moravia imitentur. *Cap. Gen.* 1659. Plura referuntur in Notis *P.* 1. *c.* 4. *ad* 45. *&c.* quæ his consentiunt.

Caput IX.

De Gubernatione Gymnasiorum, sive Scholarum Piarum.

225. Idem sit ubique Domorum regendarum tenor.

226. Sint Rectores Mortificatione, Obedientia, Humilitate, rerum Peritia, Discretione, atque Prudentia probati: qui sciant opportunè Benignitatem cum Severitate miscere; ut eis tutò valeat Generalis ipse, quando sibi videbitur, Authoritatem suam concredere.

227. Rectorum est, quasi propriis humeris, Oratione, piisque desideriis Domum, & Scholas sustinere.

228. Eorundem erit à Subditis Observantiam exigere, & scholarium disciplinam tueri.

229. Sub-

229. Subditorum incolumitati paternè ſtudeant, quatenùs ipſos à noxiis arceant, & ad ſpiritualem, & literariam frugem adducant.

230. Omnium officiis attendant; ut ſolertes confirmare, deſides amovere valeant.

231. Satagant, ut idoneos domeſticis Muneribus, Scholis præſertim docendis, habeant Miniſtros: quos frequentiùs viſitando, quomodò ſe gerant in ſibi commiſſis, explorent.

232. Tempus durationis hujusmodi Miniſtrorum, qui domeſticis, & ſcholaſticis deſtinati fuerint Officiis, citra, vel ultra triennium in Domibus, ſit penes Generalis, ſeu Provincialis arbitrium.

233. Sit ubique Domorum talis adoleſcentium Confeſſarius, qui paterna charitate, & benignitate ad Dei amorem eos alliciat.

234. Deſignetur in ſingulis Domibus Præfectus Orationis continuæ, à decem, vel duodecim diſcipulis per ordinem manè, & veſpere ſcholaſticis horis faciendæ pro Fidei Chatholicæ propagatione, hæreſum extirpatione, Principum Catholicorum Concordia, & pro Religionis incremento: qui etiam facili methodo pueros ad confitendum, comunicandum, & orandum, pro captu, inſtituat.

235. Ubique ſuis domeſticis, & litterariis rebus agendis tempus, & otio ſit.

236. Ad ſigna Communitatis, nulla interpoſita mora, convolandum.

237. Pro vario diſcipulorum numero, & captu varii ſint pariter Præceptores.

238. Novi diſcipuli, prævio examine, in ſuas claſſes docendi, Magiſtris diſtribuantur.

239. Bis in anno generale ſcholaſticorum examen, pro gradu ad claſſes majores faciendo, inſtituatur.

240. Citiùs Pauperum Inſtitutio expediatur, qui diutiùs in ſcholis eſſe non poſſunt: ut characteres, & numeros docti, ſibi neceſſaria faciliùs acquirant.

241. Sit in Scholis librorum delectus, ad Pietatis, & morum Inſtitutionem.

242. Non modò pueri quotidie Sacram Cathecheſim addiſcant; ſed etiam Præceptores ſtatuto per hebdomadam die eam doceant, explicando; publicèque per feſtos dies in eadem ſcholares exerceantur.

243. Nihil verbo, vel facto diſſonum à Pietate, & Modeſtia in Scholis permittatur.

244. Quacunque occaſione curent Magiſtri benignè ſuos auditores ad virtutis amorem, & cultum adducere.

245. Initio Scholarum Preces de more præmittantur, flexis genibus, ante Sacram Imaginem, Præceptoribus cum diſcipulis orantibus.

246. Adoleſcentes, à morum, ſeu Studiorum neglectu per verba non reſipiſcentes, ad Rectoris nutum à Correctore mulctentur.

N O T Æ.

Ad 225. Rectorum inprimis Muneris eſt Uniformitatem in omnibus cuſtodire. *Reg. Rect. n.* 21.

s. Miniſtri locales pridem ex Conſuetudine cœperunt appellari *Rectores*; ſubinde in Regulis communibus, *à Cap. Gen.* 1665. confirmatis.

Ad 226. Quoniam electio Superiorum ab exactis Muneribus metienda; nihilque magis prodeſt Candidato ad ſequendos honores, quàm peractum optimè Magiſterium; cenſendi ſunt incapaces cujuſque Gradus in Religione, qui priùs laudabiliter Inſtitutum Scholarum Piarum per plures annos non exercuerint. Propterea caveatur, ne quis in Superiorem eligatur, niſi benè inſtructus, & eruditus. *Cap. Gen.* 1659. *&* 1671.

a. In Caſibus tantùm gravioribus, aut graviſſimis, tàm expreſſis, quàm reducibilibus ad Canones noſtros pœnales, Proceſſus fiant à Rectoribus: de factis autem, ſtatim Provincialis informetur. * *Cap. Gen.* 1637.

b. Præcipitur ſub pœna ipſo facto incurrendæ privationis utriusque Vocis omnibus, & ſingulis Rectoribus, ac Superioribus localibus, ut intra quindecim dies, à publicatis Succeſſorum ſuorum Patentibus ad ſummum computandis, conſignent per ſe, vel ſi fortè debeant ex Obedientia citiùs diſcedere, per aliquem à ſe Deputatum eisdem Succeſſoribus res, ac documenta omnia, ad Archiva, Adminiſtrationem, Domorumque ſtatum pertinentia, cum ſubſcriptis à ſe, duorumque Antiquiorum, vel Peritiorum ipſius Familiæ fide roboratis, rerum omnium ſacrarum, ac domeſticarum, etiam Archivi inventariis, nec non ſtatu Domus, & libris Sacrarii, atque Oeconomiæ. Quilibet autem Succeſſor de integrè ſibi facta ejusmodi conſignatione teſtimonium à ſe ſubſcriptum, juxta rei veritatem, Prædeceſſori ſuo tradere teneatur. * *Ex Cap. Gen.* 1641. *&* 1671. *Vide ad* 350.

c. Quam quidem rerum omnium conſignationem, cum ſtatu Domus relicto ab Anteceſſore in proxima Viſitatione, ſeu Capitulo Provinciali, ſi illa non interceſſerit, proponat; ut indè ratio Regiminis appareat. *

d. Rector egressurus Domo, in qua Provincialis degit, ab eo solitam benedictionem petat. *Cap. Gen.* 1671. *

e. Tenetur quisque Rector circa ferias autumnales quotannis Provincialem de Casibus insignioribus suæ Domus informare; quemadmodum respectivè Provincialis Generalem. *Cap. Gen.* 1671. *Vide ad* 367.

f. De Subditis in aliam Domum à Rectore non transmittendis *vide ad* 245 *e*.

g. Siquis Rectorum, relicta Domo, cui præpositus est, sinè Provincialis licentia aliò divertat, Domo per mensem non exeat. *Cap. Gen.* 1692.

h. Quòd si abesse à sua Domo debeat ex aliqua urgenti necessitate, id fiat solùm ad breve tempus. *Cap. Gen.* 1677. statimque Provincialis certior fiat. *

i. Ita sedulò Rector, aut Vicerector Domum custodiat, ut alteruter omninò præsens existat. *Cap. Gen.* 1692.

k. Rectores, qui annuas contributiones, quæcumque fuerint, ad festa Nativitatis Dominicæ integrè non persolverint, suspendunur ab Officio, quandiu non satisfecerint. *Cap. Gen.* 1692. *Vide ad* 331.

Ad 227. Rectores, quanquam habeant Correctorem, seu Præfectum Schularum, aliis rebus posthabitis, frequentem per se circa Scholas curam impendant. *Cap. Gen.* 1637.

a. Nullibi Scholæ supra susceptas in Fundationibus multiplicentur, nisi priùs accedat Generalis in Italia, Provincialis extra Italiam consensus. * *Cap. Gen.* 1659.

Ad 228. Rectorum solertiæ commissum, ut eadem ubique doctrina, modus idem in Domorum suarum Scholis studiosè servetur. *Reg. Rect. n.* 12.

a. Propterea Rectores, & Superiores quicumque Regularis observantiæ juxta Constitutiones, & Generalia Decreta, quæ vigent, zelatores declarantur. *Cap. Gen.* 1659.

Ad 229. *Vide ad* 221.

Ad 230. *Vide Const. p.* 3. *cap.* 4. *ad* 366.

Ad 231. Rectores in propriis Domibus Officiales minores, pro arbitrio, & prudentia, instituunt. *Reg. Rect. num.* 16. *Vide quos p.* 3. *c.* 4. *Const. n.* 366.

a. In primis verò solertia Rectorum luculenter exploratam habeat Magistrorum capacitatem; ut Generalem, seu Provincialem informent, non solùm cum primò Scholis docendis dedicandi; sed etiam cum ab inferiori ad superiorem classem instituendaei promovendi. *Cap. Gen.* 1637.

b. Tempore Scholarum Magistri nullos ad colloquia in Gymnasium admittant; neque à Schola, pro Sæcularibus audiendis ullo modo egrediantur. *

Ad 232. Ita Rectorum, quemadmodum dum Provincialium durationi nullum determinati temporis spatium præscribit nostra Constitutio; immò ipsas Subditorum, citra, vel ultra triennium, mutationes, Generalis, seu Provincialis arbitrio penitùs relinquit. De Familiis verò primi, & secundi Noviriatus *Vide ad* 26. *a. b.*

De Personis immediatè à Generali in aliqua Domo collocatis *vide ad* 353. *b.* De transmittendis in aliam Provinciam *vide ad* 345. *c.* De tempore disponendi Familias *vide ad* 353. *& Const. n.* 363.

Ad 233. Confessarius scholasticorum provectioris erit ætatis, &, si fieri potest, senex. *Reg. Conf. n.* 3.

Ad 234. Cautum, ne ullatenùs Oratio continua, fieri solita per scholares, omittatur. *Cap. Gen.* 1637.

a. Ejusmodi autem Oratio haberi consuevit coram Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, seu in Schularum Oratorio tempore scholasticarum exercitationum, tàm de mane, quàm de sero, per Orationis continuæ Præfectum, binis in gyro convocatis adolescentibus, ex denis, vel duodenis, ad orandum. *

b. In primis autem parvuli erudiantur, quatenùs debeant genuflectere, orare, actusque præsertim Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis elicere. Ibi etiam Deiparæ Rosarium, vel Officium, seu septem Psalmos Pœnitentiales, vel Graduales, & ejusmodi attentè, ac devotè recitare doceantur. Concludant autem semihoram, vel aliud opportunius orandi spatium, cum Litaniis B. V. vel Sanctorum, alternatim dictis, & semper in fine Antiphona, *Sub tuum præsidium*. *

c. Pertinet etiam ad Orationis continuæ Præfectum Officium Catechistæ; cujus est adolescentes ad morum innocentiam sedulò promovere, præsertim per Institutiones ad ritè confitendum, & communicandum; quod dienm per classes, capttata consultò opportunitate ab Orationis continuæ directione, fiat: eòque solerriùs, quò utiliùs, etiam per filiorum disciplinam, sæpè Parentes docentur.

Ad 235. Ad æmulationem, quæ in adolescentibus multùm valet, acuendam, singulis semestribus bis in anno æmulorum cum æmulis conferatur diligentia, declarando victores, & victos in singulis classibus coram Patribus Familiæ, & aliis, Superiori benè visis; convocatis præsertim in Aulam Scholarum cæterarum classium Ordinibus: ubi per laudes triumphaurium, & munuscula, virtutis acquirendæ ardor succendatur. Tempus autem ejusmodi scholastici exercitii sit circa semestre scholasticorum examen: unde præsens occasio Magistris ingenii sui talentum in opportunis lucubrationibus exercendi; quod etiam fieri potest, ad majus Pietatis, & eruditionis incrementum, inter Actus academicos de Sanctis Locorum, seu Scholarum Patronis, vel aliis in ejusmodi Actorum coronidem, si mos ferat. *

a. Est autem Rectorum attendere, ut Scholastici Nostri Actibus literariis temporibus præscriptis exerceantur. *Reg. Rect. num.* 13. *Vide ad* 252. *ii. ll. mm. nn.* Porrò meminerint Dramata, sive Actus comicos, & similes in Ecclesia prohiberi; alibi verò rarissime, nec nisi honestissima, & priùs examinata, & obtenta

tenta in scriptis Generalis facultate, seu Provincialis ex Delegatione. * *Cap. Gen. 1659. Rit. c. 2. n. 8.* Quin Actus nullus literarius publicè à quoquam exhibeatur, antequam Superioris, aut alterius ab eo Deputati censuram subierit. Habeatur prætereà ubique ab aliquo per Rectorem Deputando in Studiorum Instauratione Oratio ad eadem auspicanda. *

Ad 236. Ad omnia signa Communitatis, tanquam ad nutus Obedientiæ, concurrendum. Signa verò Scholarum, ad ædificationem, ita prævenienda, ut antequàm labatur semihora, inter primum, & secundum consueta, in sua quisque Schola consistat; ut ad primum secundi signi tinnitum, pro scholasticorum exercitationum principio, solitæ etiam Preces per Magistros incipiantur. * Quas quidem Preces, non modò audiant Magistri, sed simul etiam recitent. *Reg. Mag. num. 1.*

a. Curabit ergo Præfectus primum Scholarum signum dari juxta distributionem horariam, campanam quadrante circiter pulsando: à quo signo ad alterum semihora intercedat. Idem intereà Præfectus animadvertat, ut discipuli modestè se gerant in suis classibus, donec Magistri accedant; ad quorum præscriptum adolescentes promant ex memoria lectiones Decurionibus; qui singulorum errores, scripto notatos, debunt Magistris, pro diligentiæ, seu negligentiæ punctis, unicuique pro merito statuendis. Imò, ad fraudes adolescentulorum avertendas, & ad memoriæ periculum, ab aliquibus discipulorum inopinatò lectiones memoriter exigantur. *Rit. c. 12.*

b. Scholæ duarum horarum cum dimidia spatio, tàm de mane, quàm de sero, non plùs, nec minùs, concludantur: diebus tamen Vacationis à prandio, semi hora detrahitur. *Rit. c. 12.* Quod etiam singulis Sabbatis ad Vesperas fit pro Concione ad omnes discipulos, à Scholarum Præfecto, seu aliquo Deputato per Rectorem, ante Litanias Lauretanas habenda de more. *

c. Nec ultimo solùm quadrante scholastico Magistri aliquid ad Pietatem pueris explicent. *Rit. c. 12.* Verùm etiam, ut Scholæ nostræ verè Piæ sint, quæcumque adhibeantur, & excogitentur à Magistris industriæ, ut nihil sale Pietatis inconditum doceant auditores. In classe itaque legentium, ex iis, quæ pueri legunt, ansam ad actus virtutum suggerendos per opportunas similitudines, parabolas, comparationes, & exempla, pro captu, nanciscantur. Item in classe scribentium: satagendo etiam, quatenùs exemplaria, characteribus efformandis proposita, sacrum aliquod, seu morale complectantur effatum, ad virtutis amorem, seu vitii alicujus nauseam; quod, per scripturitionem repetitum, altiùs adolescentulorum animis inhæreat: quod etiam fructuosiùs fiet, si paucula sint carmina: natura quippe ad numeros ducimur; & rythmos faciliùs pueri recordantur. In classe Rudimentistarum, nomina, verba, & signa ita proponantur, ut facilis pariter Pietatis promovendæ occasio porrigatur.

d. In reliquis altioribus classibus quidquid explicatur, quidquid pro lucubrationibus præscribitur, virtutis epræferat documenta. Operosi, & industrii Præceptoris erit in primis, ut Oratorum, & Poetarum dicteria in pias interpretationes deflectat.

e. Sive ergo Grammatici, sive Poetici, aut Rhetorici canones tradantur, eò colliment exercitamenta, ut Pietas promoveatur, vinum adoleatur. Ea sit veri Scholarum Piarum Magistri cura, ea tanti Muneris explendi sedulitas, ut Pietatis vehiculum literaria sit Institutio. *

f. Subinde sæpè Præfectus, & sæpè Rector videat, ne, quæ à Magistris dictantur, aliquid sapiant inconveniens. Ideò sæpè Scholas visitet, intuendo etiam, an Magistri, & discipuli ritè suo Munere fungantur. *Reg. Præf. n. 11.*

g. Prout autem in Scholarum initio tanti est ad signa campanulæ solertia; ita, dato signo, fiat in dimittendis.

h. Statim itaque, solitis Precibus persolutis, Magistri singuli discipulos ex ordine binos secundum classes, cum Modestia, & silentio è Scholis egredientes, comitentur in Ecclesiam, de mane ad Sacrum audiendum, de sero ad Litanias B. V. cantu plano, devoto, ac suavi, Præfecto assistente, decantandas; ut indè pariter per classes ordinatim, & sinè strepitu dimittantur, à majoribus ad minimos, gradatim in dimissione procedendo; tempestivè autem parati sint, qui debebunt ex ordine scholasticos comitari. *Rit. c. 12. & Reg. Mag. n. 7.*

i. Quòd præter sedulam Pietatis Institutionem, bonos quoque mores, & urbanitatem Nostrates in Scholis profiteantur; non modò verbo, sed factis etiam doceant. Venientibus itaque, ac redeuntibus Rectore, aut Præfecto, Magistri cum discipulis, aperto capite, assurgant; neque, nisi ad eorum nutum, sedeant. Quòd si Provincialis, aut Visitator supervenerit, Magistri, statim occursuri, è cathedris descendant. *Rit. c. 12.*

Ad 237. Absoluto Studiorum curriculo, Clerici, seu novelli Sacerdotes ità Scholis docendis addicantur, ut per annum saltèm infimis classibus gradatim applicentur, ascendendo à classe legentium, & scribentium, ac numerantium ad Rudimentistas; indè ad Grammaticos, ad Poetas, & Humanistas; neque, nisi Præpositi Generalis, aut Provincialis Dispensatio accedat, hic ordo prætermittatur, aut quispiam ad Rhetoricam, Philosophiam, vel ad Moralem, sivè scholasticam Theologiam profitendum valeat promoveri, qui priùs prædictos inferiores gradus annuatim non ascenderit. *

a. Magistri, qui primò ad Scholas docendas, vel ad superiorem ab inferiori classe promoventur, anteà examinentur. *Cap. Gen. 1637.*

b. Magiſtri, & alii quicumque petere quidquam à ſcholaribus, vel eorum Propinquis prohibentur; gratis enim ex Voto Scholæ Piæ exercendæ. *Cap. Gen.* 1637.

c. Magiſtros in ſingulis claſſibus aſſignat Provincialis. *Reg. Prov. num.* 8.

d. Singulæ autem Scholæ, ad quas numeroſi confluunt auditores, non plures, quàm duas claſſes doceant, ad confuſiones tollendas: & ea ſit Magiſtrorum ſolertia, ut (poſtquàm communiter aliquid, ad piam auditorum inſtitutionem, de Chriſtiana Catecheſi ab eorum memoria exegerint; & monitum aliquod ſuper ea, pro morum politie, breviter protulerint, juxta *Cap. Gen.* 1637.) dum unam claſſem docent, alteram teneant in componendo, vel traducendo, vel emendatas lucubrationes reſcribendo, vel, ad æmulationem acuendam, extemporaneum aliquod argumentum, vel quid ſimile opportunè perficiendo ritè occupatam. *

e. Non ſolùm attendant Magiſtri, ut Scholarum ſuarum alumni ſecundùm regulas ritè componant; ſed etiam omninò, ut charaćteribus graphicè, & orthographicè formatis ſcribant; satagendo, quatenùs, ad manum confirmandam, & æqualitatem in ſcribendo ſervandam, in papyro lineis obſignata, ſeu potiùs ſuffulta, præſertim adoleſcentiores, reſcribant lucubrationes, relićto margine pro correćtionibus. *

f. Earum autem emendationes manu intelligibili Præceptorum fiant: qui, ſi ob diſcipulorum copiam nequeant omnes ex integro caſtigare, partem ſaltèm aliquam, commiſſa æmulis aliorum errorum indagine, manu ſua à mendis vindicent; advertendo, ut adoleſcentes lucubrationis pićtacium ſemper faciant, in quo attentiùs ea, quæ componunt, perpoliant. *

g. Authorum interpretationes hac lege fiant in Scholis. Magiſter primò, auditoribus è libro attendentibus, eam partem, quam intendit explicare, prælegat: mox Authoris mentem, & rationes aperiat; & ad aliquam piam direćtionem deflećtat. Indè periodum primam relegat, conſtruat, vertat. Tandem ad caput rediens, iterùm periodatim explicet, attendendo notata grammatica, ſi Grammaticæ claſſim docest; rhetorica, ſi Rhetoricæ; narrando hiſtorias, indicando argumenta, & formas dicendi elegantiores. Quibus expeditis, explicationem ab aliquo repetat. Poſtremò, ut omnes ſcripto traducant, ſi Grammatiſtæ; recenſeant autem notabilia, ſi Humaniſtæ, vel Rhetores, præcipiat. *

h. In Infimis item claſſibus, dum claſſis una coram Magiſtro legit, altera ſtudeat Lećtioni, vel ſcribat: dum alterius corriguntur charaćteres, altera pariter occupetur.

i. Conducet autem plurimùm ad ordinem, & puerorum profećtum, ſi claſſes ex eodem ſingulæ libro legant; ut cum una legit, cæteri attendentes aćtu legentem, corrigendo, uberiùs exerceantur. *

k. Magiſtri ne propriæ doćtrinæ ſtudeant oſtentandæ in docendo; ſed omnia omnibus ſaćti, res, & verba puerorum capacitati conſentanea ita proponant, ut optimi Magiſtri laudem in eo verſari meminerint, ſi auditorum captui ſe ſciant accommodare. *

l. Nemini autem liceat in Sæcularium ædibus ullatenùs adoleſcentes primatim docere, niſi Generalis facultas priùs accedat. *Cap. Gen.* 1671. Idem de Lećtionibus particularibus in Schola, tempore Scholæ, alio quocumque tempore, vel in aliis quibuscumque locis intelligendum. *

Ad 238. Præfećtus novum aliquem adoleſcentem ad Scholas adventantem ſumma Charitate excipiat. Pueros diſciplinæ incapaces, & morbis contagioſis infećtos, tùm etiam ad nauſeam cæterorum ſordidos non admittas, donec, vel convaluerint, vel, ad pauperum honeſtatem, decentiùs compareant. *Cap. Gen.* 1659. Cæterùm apti ad prima elementa, ſi Scholarum capacitas ferat, non excludendi. Alex. VII. 28. April. anno 1660. Conſt. *Cum ficut.*

a. De Scholis, & claſſibus, quibus antea ſtuduerint, interroget: de Parentibus, & eorum domo ſciſcitetur, ut vitentur inconvenientia. Capacitatis periculum faciat; quatenùs in debita claſſe ſinè ordinis perturbatione valeant collocari.

b. Notabili morum vitio infećti, nec non diſciplinæ incapaces prudenter reſpuantur.

c. Si cenſeat, aliquem admittendum; deſcripto ejus nomine, cognomine, Patria, & habitatione, nec non claſſe, in qua collocatur; monitum de Scholarum noſtrarum Regulis, ſuo inſtituendum Præceptori inter opportunas commendationes tradat. *Ex Reg. Præf. per totum.* *

d. Sit etiam Scholarum præfećti novorum Scholarium conditionem ita librare, ut ab admittendo ad Scholas latinas caveat eos, qui præ conditionis tenuitate diù nequeunt in ſtudiis immorari: tales enim legere, ſcribere, & numerare tantùm docendi ſunt. * *Conſt. c.* 9. *p.* 2.

e. Quòd ſi eò feratur Parentum voluptas, & deſiderium, ut Scholas latinas adoleſcentes ejusmodi doceantur; de Superioris approbatione fiat. Verùm aditus ad latinitatem non intercludatur iis adoleſcentibus, qui altioris compotes ingenii, ad Statum Clericalem anhelant; dummodò Studiorum continuationi ſint pares.

Ad 239. Ex Officio Scholarum Præfećtus bis in anno fieri curet examen diſcipulorum; nempe poſt kal. Novembris, & ſolemnitatem Paſchatis. *Reg. Præf. num.* 2. Non improbandum tamen, ſi Superioris arbitrio eadem examina ante ferias autumnales, & feſta Paſchalia præveniantur. *

a. Ejusmodi autem examini faciendo adeſunt Rećtor, Præfećtus, & alius ſaltèm, peritus rerum ſcholaſticarum, Sacerdos; qui ritè ſcholaſticorum ingenium, & profećtum ſcrutati, eos ad claſſes reſpećtivas promoveant. *

b. Ha-

b. Habebitur autem semestre discipulorum examen in Aula Scholarum, seu alio decenti loco per singulas classes circa præteriti semestris Studia; & quisquis fuerit superiori classi par inventus, à Præfecto scribatur, ut post absolutum singularum classium examen, in catalogo ad majorem classem promotorum publicè in eadem Scholarum Aula renuncietur. *

c. Ubi cavendum, ne, quamquam aliqui minùs profecisse comperiantur, diutiùs, quàm par est, in eadem classe immarcescant. Vitium itaque ingenii, cæteris paribus, debitum Scholis cursum ne retardet: secùs gravis ordini scholastico pareretur confusio. *

d. Cum verò aliquis pusillæ capacitatis offeratur, qui ad classes ulteriores progredi non posse videatur; facto cum Parentibus, aut Propinquis verbo, characteribus ritè formandis, & computis faciendis in classe respectiva dedicetur. *

Ad 240. Ea sit Magistrorum sedulitas, ut adolescentes habiles reddant de semestri in semestre; ita ut ab inferiori ad superiorem classem, scilicet, ab Infima ad Mediam, à Media ad Supremam, & mox ad ulteriores in examine generali promoveantur. *

a. In Singulis Collegiis, in quibus commodè id fieri potest, novem, ut plurimùm, classes distinguendæ. Quarum tres ad Arithmeticam, tres ad Grammaticam reducuntur: reliquæ verò Humanitatem, Rhetoricam cum Poesi, & Moralem Theologiam concernunt.

Prima est Infima legentium, primis Fidei, Pietatis, ac literarum incumbens elementis.

Secunda, Media legentium, scribentium, &, juxta faciliores Arithmeticæ Regulas, præsertim quatuor cardinales, numerantium.

Tertia, Suprema Arithmeticæ, in qua, præter canones ad abbacum, perfectèque scribendum, universæ Arithmeticæ Tractatus expediuntur.

Quarta, Infima Grammaticæ, cujus Regulas generales excurrit.

Sexta, Suprema Grammaticæ, cujus Regulas generales repetit, & quascumque ejus Observationes cum integro Prosodiæ Tractatu, nec non aliquid de structura Carminum edisicit.

Septima est classis Humanitatis, in qua, præter assiduas Grammaticæ, quoad difficiliora præsertim, repetitiones, & exercitationes, Methodus Epistolaris, Progymnasmata, Tropi, & Figuræ cum aliquo græci sermonis exercitio proponantur: nec non solutæ, ac ligatæ Orationis fundamenta jaciantur.

Octava, Rhetoricæ de mane, Poesis de sero, brevi, facilique methodo tradendæ. *Rit. c. 14.*

Nona, Moralis Theologiæ, quæ sub quarto nostro Scholarum Piarum Voto non comprehenditur; sed *à Const. pag. 2. c. 10.* publicas inter classes perspicuè indicatur. *Vide n. 6.*

b. Syllabum Anthorum in singulis classibus adhibendorum habes infra in *Notis ad 258.*

c. Ubi Casus conscientiæ, aliæque Scientiæ traduntur, canones pro Studentibus, & Lectoribus Nostrorum respectivè serventur; recensentur autem *in Notis ad 252.*

Ad 241. Nonnisi libris assignatis per classes Magistri utantur, juxta catalogum à Præfecto quotannis in Atrio Scholarum publicè proponendum eadem die, quo examen autumnale absolvitur. *Reg. Praef. num. 7.* * Qui non solùm caveat, ne libri prælegendi bonis puerorum moribus obsint, sed etiam ut optimis characteribus sint impressi, ac de rebus agant, à quibus, tàm pueri, quàm eorum Parentes pia documenta percipiant. *Ibid.*

Ad 242. Dietim in Scholis minoribus, & majoribus ex memoria scholastici Sacram Catechesim in primis reddant ante cæteras Arithmeticæ, seu Grammaticæ Lectiones, ita ut indè sumant exordium Scholæ quæcumque; additis per Magistros opportunis explicationibus, & monitis, ad Pietatis cultum apprimè conducentibus. *Cap. Gen. 1637.*

a. Dominicis diebus publicè in Ecclesiis nostris Doctrina Christiana puerorum disputationi proponatur: cui Magistrorum accedet explicatio. *Reg. Praef. num. 4.*

b. Imò, præter diurnas in Sacra Catechesi exercitationes, & festivas prædictas, diebus maximè Sabbati ad eam incumbendum. *Rit. c. 14.*

c. In solemni Catechesis exercitio, diebus Dominicis ad Vesperas consueto, in Domibus Probationis, ubi sunt Scholæ, aut Juniorattis, Novitii, sive Studentes, ad Superioris nutum, in eam docendis adolescentibus exerceantur. Laici tamen, ubicumque in nostra Ecclesia id exercitii fiat, taciti assistant. *Cap. Gen. 1692.*

d. Ordo autem commendati tantopere Muneris adimplendi esto.

e. Præfectus Doctrinæ Christianæ, sive idem, qui Scholarum, sive alius, Superioris arbitrio, audito primo campanæ signo, cum aliis assignatis Magistris descendet in Ecclesiam: & ibidem in distinctis classibus, juxta ætatem, & captum, pueros in silentio, & Modestia contineat, donec tempus incipiendi recurrat.

f. A primo signo ad secundum semihora circiter intercedat. Interea verò pius aliquis liber legatur, vel cantio spiritualis decantetur. *Rit. c. 11.*

g. Dato secundo signo, adolescentes omnes ordinatim genuflectant; & illorum duo ante Altare Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, ac Decalogum, cæteris modestè respondentibus, patria lingua præcinant: mox Præfectus dicat: *Actiones nostras &c.* jubeatque singulos, facta genuflexione, in suis classibus consistere. *Rit. c. 11.*

h. In-

h. Indè per horam pueri sedulò exerceantur: primo semihora singuli coram suo Magistro reddent memoriter Doctrinæ Christianæ partem, ex Præfecti condicto: postea Magistrorum explicationem facilem, & efficacem accipient. *Rit. c. 11.*

i. Per alteram semihoram, primò pueri, ex præscripto pariter præparati, memoriter per saltum, vel alio modo disputando concertent pro præmio, vel pro consequendo singulis trimestribus super cæteros Imperio. *Ex Rit. c. 11.*

k. Ultimo circiter quadrante Præfectus brevissimam habeat Concionem, super iis maximè Mysteriis Fidei, quæ occurrunt, sacris dictis, & exemplis referam: præscribatque, quæ in futura sessione promenda fuerint ex memoria. *Rit. c. 11.*

l. Quibus intra horæ spatium absolutis, duo designati à Præfecto discipuli Litanias Deiparæ præcinant, cæteris respondentibus, ut supra, genuflexis. Addet Orationem, *Gratiam tuam*, Præfectus; Preces aliquas injunget pro Christianæ Religionis incremento, hæresum extirpatione, Concordia Principum Christianorum, & ejusmodi. Postmodum classes ordinatim dimittat. *Ex Rit. c. 11.*

m. Non solùm autem festivis diebus, ut præfertur, habenda Catechesis ad Vesperas; verùm etiam horis matutinis Oratoria, seu Congregationes scholasticorum summa sedulitate instituantur. *Cap. Gen. 1637. & 1641.*

n. Oratoria pueri frequentent singulis diebus Dominicis, & solemnitatibus primæ, & secundæ classis, exceptis diebus Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, & Dominicæ Quinquagesimæ. *Rit. c. 10.*

o. Eadem ex Consuetudine habentur diebus ad Sacram Synaxim statutis: nec ullus, quemadmodum nec à commoni Confessione, & Communione, ab illis eximatur, nisi ex legitima causa, per Superiorem, vel Præfectum Scholarum probanda.

p. Ejusmodi Congregationum Præfecti sedulò curabunt, quatenùs pridie locus mundetur, & Altare ornetur, pro temporum varietate, ab Officialibus respectivè assignatis. *Rit. c. 10.*

q. Juxtà numerum discipulorum plura, vel pauciora ubique Domorum habeantur Oratoria; quæ saltem duo sint. Primum, Officii Deiparæ pro majoribus. Secundum, Rosarii pro minoribus discipulis. In quibus attendendum, ne pueri discordibus vocibus canant, aut nimiùm properent; sed suaviter, & devotè Deo laudes persolvant. *Rit. c. 10.*

r. A primo campanæ signo ad secundum semihora de more intercedat: & interea pueris convenientibus pius, & facilis aliquis liber prælegatur. *Rit. c. 10.*

s. Ad finem cujusque Oratorii brevis aliqua, & exemplis proficua concio pro captu puerorum per singulos Oratoriorum Præfectos habeatur; quæ cum Officio, aut Rosario horam non excedat: mox Litaniæ Lauretanæ decantentur, sicut in Doctrina Christiana: indè ad Sacrum de more ordinatim, sinè strepitu ab Oratoriorum Præfectis associentur; à Præfecto autem Scholarum custodiantur: denique paulatim sinè confusione dimittantur. *Rit. 10.*

t. Invaluit Consuetudo, ut semel in Mense, loco parvi Deiparæ Officii, Defunctorum Officium à discipulis pro condiscipulis, aliisque vita functis, secundùm piam cujusque intentionem, in Oratorio cantetur; prout pariter in obitu alicujus ipsorum, præsertim Congregationibus adscriptorum.

u. Nullibi tandem, præterquam scholarium nostrorum, instituantur; & alibi institutæ, nec intra Claustra, nec in Ecclesiis nostris imposterùm admittantur Societates, Confraternitates, Sodalitates, & aliò quocumque nomine appellatæ, Sæcularium Congregationes; nisi re, & conditionibus maturè à Generali examinatis, & approbatis, ejusdem facultas accedat.

Ad 243. Quæcumque Lectio, quodcumque argumentum, & lucubratio in Pietatem, tanquam Instituti Scholarum Piarum scopum, feratur.

a. Ut autem ordinatim omnia decurrant, curet Præfectus, ut Regulæ Scholasticæ ob oculos omnium in Atrio, seu Aula Scholarum pendeant. *Reg. Præf. n. 9.*

Ad 244. Muneris etiam Præfecti est attendere, ut Confessionem, & Communionem singulis mensibus, certo die assignato, discipuli frequentent; & qui non sunt apti ad Communionem, à Catechista ad Confessionem erudiantur. *Reg. Præf. n. 8.* Parvuli autem octies, aut novies in annum pariter confiteantur: & exploretur sufficiens rationis usus ad Communionem; ut ad eam eruditi, suo tempore promoveantur, præsertim in Paschate.

a. Triduo ante Confessionem, & Communionem generalem curet Præfectus in Atrio Scholarum affigi Tabellam cum futuræ Confessionis, & Communionis Indictione, quatenùs adolescentes præmoniti ritè se præparent, & liberi fiot Confessarii.

b. Pridie ante sacram Synaxim indictam, ad alterum Scholarum pomeridianarum signum Confessarii se sistant in suis Sedibus Confessionalibus ad puerorum adventantium Confessiones summa Charitate, Benignitate, & Patientia excipiendas.

c. Erit interea Præfecti, sive etiam Catechistæ per classes ordinarim scholares in Ecclesiam adducere, iisdem assistere, eosdemque reducere; alios interea præmonendo in Scholis, ut

ut per examen conscientiæ, aliosque actus ritè se præparent: in qua re singuli quoque Magistri insigni Zelo immorentur; docendo præsertim rationem, & praxim examinis instituendi, & actuum Contritionis, & Propositi eliciendorum; summam pariter adolescentibus confidentiam ingerendo, ad integritatem Sacramenti, dictis, & exemplis opportunioribus in eum finem utentes.

d. Ea die, qua ejusmodi scholasticorum Confessio prævenitur, semihora, Scholis vespertinis subtracta, per earum Præfectum, seu alium Deputatum à Superiore impendatur in opportuna Concione ad scholasticos omnes in Ecclesia congregatos, ante consuetas Deiparæ Litanias, ut moris est: tunc autem Sabbatum sequens consueta vacat Concione. *

e. Item in Oratoriis, ante Communionem habendis, per eorum Præfectos patheticis adhortationibus, & exemplis adolescentes ad veram devotionem accendantur; ut summam animi, & corporis moderatione, ac innocentia ad sacram Synaxim accedant. Quod iterum post Communionem pro gratiarum actione in iisdem Oratoriis per horæ circiter quadrantem præstandum: ubi tandem, cantato hymno, *Pange lingua*, cum solitis Precibus, Congregationes absolvantur. *

Ad 245. Dato in singularum horarum lapsu campanæ signo, Magistri, & scholares, aperto capite stantes, Angelicam Salutationem, alta voce ab ipso Magistro, vel ab uno ex discipulis recitatam, devotè audiant, Deiparæ Intercessione toties quoties in ejus fine implorata per ℣. *Sancta Maria.* ℟. *Ora pro nobis.*

a. Item, consuetis gratiarum actionibus exercitationes literariæ absolvantur. *Rit. c.* 12.

Ad 246. Cautum Præfecto, & Magistris, ne quem nudis carnibus verberent. *Cap. Gen.* 1665. Quòd siquis verberandus sit, non verberent, ut verberent; sed ut metum incutiant, non nisi scutica utantur; ità verò, ut nullum signum, seu livor imprimi possit; imò potiùs per genuflexiones ad aliquod tempus, per Precum aliquarum recitationem, per notas negligentiæ inflictas, & ejusmodi contineantur. Quòd si gravitas delicti, vel alia ratio digna sit exclusione studiosi alicujus à Scholis, id neque à Præfecto, neque à Magistris fiat, nisi de authoritate Rectoris; nec ullus ejectus, iterum sinè ejusdem facultate recipiatur. *Reg. Præf. num.* 10.

a. Exemplo etiam urbanitatem doceantur adolescentes à Magistris, abstinendo ab improperiis, & id generis: imò per aliquem respectum cum illis agant, ut agere addiscant. Servetur propterea in alloquendo scholasticos mos Gentis decentior.

b. Ad Magistrorum autem levamen à gravibus Instituti oneribus, & ad scholasticorum recreationem vacabitur à Scholis juxta sequentem temporum distributionem.

c. Vacationum, seu feriarum scholasticarum aliæ sint hebdomadales; aliæ autumnales.

d. Vacationes hebdomadales à kal. Novembris usque ad Pentecosten erunt feria quinta à prandio, mane semihora Scholis adempta; à festo autem Corporis Christi usque ad kal. Novembris tota feria quinta vacat. *Rit. c.* 13.

e. Si occurrat festum feria secunda, vel Sabbato, datur vacatio; si feria tertia, vel quinta, vel sexta, vel bis integrè in eadem hebdomada, non datur vacatio. *Cap. Gen.* 1637.

f. Aliæ vacationes autumnales dicuntur, quæ à festo Sancti Francisci, seu alias, juxta Locorum Consuetudines, usque ad solemnitatem Sanctorum Omnium consueverunt concedi; dimittendo gradatim classes, ita ut à quarta Octobris Casistæ cum cæteris Scientiarum auditoribus, ubi docentur, Rhetores, Humanistæ, & Grammatici, & Arithmetici Supremæ classis ad ferias dimittantur.

g. A sexta Octobris vacant classes Mediæ Grammaticæ, & Arithmeticæ.

h. A nona Octobris Infima Grammaticæ, & Arithmeticæ.

i. A duodecima Octobris cæteræ classes. Classis tamen Abecedariorum, quorum feriæ quindecim dierum spatium non excedunt, ad mentem *Cap. Gen.* 1637 die 15. Octobris ferias autumnales ingreditur. Ubi notandum, à classe majori trahi ad vacationes quemcunque minorem ejusdem Scholæ.

CAPUT X.

De Promovendis ad Studia Litterarum.

247. Versantur Scholæ Piæ circa piam, & litterariam puerorum eruditionem, ad animarum salutem.

248. Assequendo Instituti ejusmodi fini requiruntur exemplaritas vitæ, doctrina, modus docendi.

249. Juniores Nostri, Virtutibus adulti, Studiis litterarum dedicentur.

250. Singulæ domus binos Alumnos ex nostris alant, donec in singulis Provinciis Collegium unum instituatur pro eisdem unà erudiendis.

251. In ejusmodi Collegio, nisi pro Nostris, ultra Rhetoricam, & casus conscientiæ non procedatur.

252. Scientiarum Studiosi frequentiùs de illis disputando concertent. Operam autem Humanioribus dantes, Actus academicos, etiam extemporaneos, ad aciem ingenii explorandam, coram aliquo, qui eos dirigat, frequentiùs habeant.

253. Idem communiter latine loquantur.

254. Secundo Probationis anno Novitii, approbante Superiore, doceantur modum docendi Doctrinam Christianam, Characteres, & Arithmeticam. Quisquis autem ad ea singulare talentum præsefert, in eisdem perficiatur; ut ad congrua promoveri possit Officia; sicut etiam, qui tra-

tradendis Linguæ latinæ Rudimentis excelluerit.

255. Nullum tempus à Studiosis Nostris extra solitas recreationes otiosè teratur; neve Orationis Studium, animique Modestiam posthabeant; & sedulò Pietatem cum Studiis colant.

256. Ad instaurandum, augendumque Spiritûs fervorem, ante binam Solemnem per annum Votorum Renovationem, Spiritualibus Exercitiis vacent.

N O T Æ.

Ad 247. *Vide n. 1. Ad 1. & seq.*

Ad 248. Juniores, qui non dederint Regularis Observantiæ specimina inhabiles ad Studia censeantur: neque ad ullos Ordines valeant promoveri, donec prursùs emendati Studiis restituantur, & diutiùs circa mores probentor. * Quod potissimùm præscribitur pro observantia Sacrorum Canonum, præcipuè Decr. dist. 38. cap. *Ignorantia: mater* & cap. *Nulli Sacerdotum.*

a. Quandiù verò Studiis privati extiterint, humilioribus, ac mortificationis exerciiis dedicentur: & illud tempus (tanquam non fuissent in Religione) pro suscipiendis Ordinibus, & pro complemento septennii à Professione non computetur.

b. Gravioribus etiam pœnis, pro relaxationis, & errorum gravitate, afficiantur. * *Cap. Gen.* 1637.

c. Singulæ Provinciæ continuum habeant Studium Humaniorum literarum, Linguæ Græcæ, Characterum, Arithmeticæ. Philosophiæ, Matheseos, Theologiæ Moralis, & Scholasticæ; nec ulli ex quacumque causa, nisi in pœnam, seu ex necessitate, liceat Studia differendo intermittere. *Cap. Gen.* 1665. & 1671.

d. Provinciales de Studiorum ratione, quoad litterarios, & religiosos progressus, Generalem frequentiùs informent; à cujus præscripto in Studiorum ordine non discedant. *

e. Juniores ad Scientiarum Studia promoveri non valeant, nisi tantam habeant Humaniorum literarum peritiam, ut eas laudabiliter docendo sint pares. *Cap. Gen.* 1692. & *Reg. Scholast. n.* 5.

Ad 249. Clerici, expleto Probationis tempore, literis Humanioribus, Instituto pernecessariis, solidè biennio instituantur: mox, per accuratissimum examen habiles comperti, ad Philosophiam, biennio pariter excurrendam, promoveantur. Qui verò in Humanioribus ex vitio ingenii, aut valetudinis minùs eo tempore profecerint, Casibus conscientiæ, & Arithmeticæ, cum Characteribus addiscendis, post auditam Logicam, applicentur.

a. Absoluta biennio Philosophia, qui præ cæteris probitate morum, ac doctrinæ præstantia per idem examen laudabiliter profecisse inventi fuerint, Sacræ Theologiæ triennio absolvendæ addicantur; repetito singulis annis circa ferias autumnales solemni omnium examine; privatum verò singulis quadrimestribus iterandum, si Provinciali expedire videatur.

b. Ne per Scientiarum lucrum, religiosæ jactura fiat Humilitatis, interdictum quodcumque Lectoribus, & Studentibus Privilegium; imò quò altiùs fertur ingenium, eò profundior colatur Humilitas. *Cap. Gen.* 1683.

Ad 250. Novitii ad Professionem admissi, ut meliùs in Regulari Observantia stabiliantur, & confirmentur, in eodem Novitiatu, tanquam Novitii, detineantur, donec, in opportuna classe collocandi, in aliam Domum ex designatis pro secundo Novitiatu transferantur; ubi sit locus cum requisitis ad ipsum Novitiatum; in quo Neoprofessi degant sub Regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quàm antiquiores Professi, abdicati à tractatibus, & externis quibuscumque rebus, operam literarum Studiis navando sub Regimine Institutoris, qui eas habeat qualitates, quibus Novitiorum Magister sit refertus oportet. *Ex Decr. Clem.* X. 18. *Martii* 1676.

a. Imò sub ejusmodi Legibus Clerici perseverent, tanquam Novitii, donec Artium, & Scientiarum Studium, vel tempus ad id requisitum absolverint, & non solùm quousque ad ætatem Sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem pervenerint. *Ex Decr. Clem. VIII. & X.* Quorum Decreta non derogant Constitutionibus nostris c. 4. P. 3. remittentibus Superiorum arbitrio ulteriorem secundi Novitiatus durationem; prout expressè Clemens VIII. Const. *Cum ad Regularem.* §. *Ab hoc tamen.* & Clemens X. Const. *Ad Propagandam.* 18. Martii 1676. *Vide* 365. & *ad* 365.

Ad 251. Cum nostra Constitutio in ea tantùm Domo, in qua Studium Provinciale Nostrorum instituitur, ultra Rhetoricam, & Casus conscientiæ, nisi pro Nostris, procedi vetet; hujusmodi exceptio firmat Legem in contrarium; videlicèt, non prohiberi in cæteris omnibus nostris Domibus, Studio Provinciali Nostrorum non destinatis, publicam ulteriorum Scientiarum Professionem. Itaque in Domo duntaxat prædicti Studii Provincialis pro Nostris, quæ, juxta Constitutionem, una esse debet Formalis, seu Principalis in singulis Provinciis, requiritur ad ulteriores Scientias publicè pro solis Exteris profitendas Præpositi Generalis Dispensatio. *

a. At verò Studentes Nostri cum Scholasticis Externis, præterquàm literariarum exercitationum, à Lectoribus ordinandarum, occasione, nullam ineant familiaritatem; neque ipsi Externi ad Lectoris, Juniorum, vel aliorum Cellas, aut Officinas domesticas unquam admittantur. *

b. Jubentur Lectores, & Magistri Scientiarum juxta mentem Doctoris Angelici Theologiam tradere, & profiteri. *Cap. Gen.* 1677. Item præcipiuntur, tam in Philosophicis, quam in Theologicis illibatam ejus sententiam tueri; maximè circa physicam Præmotionem, & efficaciam Gratiæ prædeterminantis, sub pœna inhabilitatis ad Cathedras. * *Cap. Gen.* 1692.

Ad 252. Quoniam à Nobis condendos pro Studentibus Nostris, & Externis eorumque Magistris, & Lectoribus canones decrevit *Cap. Gen.* 1665. & 1692. sequentem Studiis Nostrarum cursum, pro Præfecti Studiorum arbitrio, & prudentia, definimus. Cum itaque Con-

Constitutio nostra Aliquem requirat, qui Juniores in Studiis dirigere valeat: Generalis, seu Provincialis ex Delegatione Præfectum Studiorum, vel eundem, vel alium ac Institutorem, in Junioratibus designet; qui Artium peritia plurimùm pollens, Literarum, & Scientiarum Professoribus, & Studiosis, etiam Moralis Theologiæ, quidquid ad rectum ordinem, ac decorem expedire sibi videbitur, Superiore consentiente, demandet, vel prohibeat: nec non Actibus præsit; &, quà publicè, quà privatim, omnia prudenter moderetur. *

a. Primo Rhetorici, & Poëtici biennii quadrimestri summaria repetitio Grammaticæ cum Prosodia, Carminum generibus, & Figuris ad eam spectantibus, & Methodus aliqua Epistolaris tradatur.

b. Secundo quadrimestri Elocutionis Rhetoricæ præcepta, nec non Poëseos, sequentibus quadrimestribus continuandæ, cum praxi continua proponatur. *Vide ad* 240. *d.*

c. Tertio quadrimestri agatur de Progymnasmatis, & Rhetoricæ Proæmialibus.

d. Quarto quadrimestri de Iovenſione * cum reliquis Rhetoricæ partibus.

e. Quinto quadrimestri de triplici Dicendi Genere.

f. Sexto quadrimestri, cujus nomine varia per annum vacationum tempora complectimur, partim in ferias scholasticas, partim in Spiritualia Exercitia, & partim in examina quadrimestria consumpto, siquid superest, jugis Legum Rhetoricarum, & Poeticarum, cum eruditis Observationibus praxis instituatur; quæ quidem debet esse diurna super occurrentibus utriusque Facultatis Præceptis.

Authores, tàm theorici, quàm practici respectivè recensentur infra *ad Const. n.* 458 Ex quorum usu in Studiis suis Juniores Nostri, cum primùm Scholis docendis addicti fuerint, illud commodi nanciscentur, ut jam satis eorum habeant peritiam, nullas difficultates in eisdem interpretandis habituri. *

g Biennium item Philosophicum, in quo, post absolutam Logicam, dies una, Lectoris arbitrio, per singulas hebdomadas in Ethicis Quæstionibus impendenda, sequenti ordine procedat.

h. Primo quadrimestri Commendatio Doctrinæ D Thomæ Aquinatis, Magistri nostri; Modus disputandi; Summulæ, seu Logica Minor, & Proæmialia Majoris, ante, vel post Theses de Ente rationis; & de Universalibus in communi.

i. Secundo quadrimestri reliquæ de Logica Majori Quæstiones.

l. Tertio quadrimestri Proæmialia; & quinque priores Libri ex octo Physicorum.

m. Quarto quadrimestri Libri, qui supersunt ex octo Physicorum; de Cœlo, & Mundo; de Generatione, & Corruptione.

n. Quinto quadrimestri de Anima; Metaphysica; & Meteora.

o. Sexto quadrimestri, siquæ supersunt, Quæstiones de prædictis absolvantur; & reliquum, ut supra in biennio Rhetorico: sed literaria exercitia in Casus conscientiæ convertantur.

p. Pari passu in triennio Theologico progrediendum.

q. Primo quadrimestri de Sacra Doctrina; de Sacramentis in genere, & in specie de Eucharistia.

r. Secundo quadrimestri de reliquis Sacramentis in specie, signanter de Pœnitentia; & insuper de Actibus Humanis.

s. Tertio quadrimestri de Legibus; de Vitiis, & Peccatis; de Virtutibus in genere; & de Virtutibus Theologicis

t. Quarto quadrimestri de Deo uno, & Attributis; de Visione; & de Beatitudine.

u. Quinto quadrimestri de Scientia DEI; de Prædestinatione; & de Voluntate Dei.

x. Sexto quadrimestri de Trinitate, cum parte aliqua Tractatus de Angelis.

y. Septimo quadrimestri Quæstiones, quæ supersunt de Angelis, de Gratia, de Justificatione, & Merito.

z. Octavo quadrimestri de Incarnatione.

aa. Nono quadrimestri Theses reliquæ de præcedenti Tractatu, siquæ insperititea fuerint, absolvantur: & siquid temporis supererit, in ea, quæ ad calcem biennii Philosophici recensentur, impendatur.

bb. Memores autem esse debent Studentes Nostri, cum docendi Votum emiserint, debitum se contraxisse. Totis itaque viribus eò connitantur, ut in egregios Pietatis, & Artium assertores evadant.

cc Jugis itaque, tàm Rhetorices, quàm Philosophiæ, ac Theologiæ auditorum sit exercitatio privata, & publica, & in profectus experimentum (quòd omnia in Professoriis fieri debeant, ut in primis Novitiatibus) unoquoque quadrimestri Studentium Visitatio super moribus, & doctrina, etiam cum examine, si videbitur Visitatori, circa Tractatus, seu Materias eo quadrimestri habitas, ad formam quadrimestris Novitiorum Visitationis (de qua *in Cap.* 2. *P.* 1. *ad* 31.) instituatur; excipiendo, pro Commissarii libito, juratas Præfecti, & Magistri, seu Lectoris relationes, cum veridica cæterorum illius Domus Vocalium seorsim interrogatorum, informatione; cujus compendium toties, quoties ad Generalem epistolam transmittatur.

dd. Præmissis itaque præmittendis, lustrato, prout in Novitiatibus, loco, in quo cum suo Præfecto à cæteris segregati agunt Neo-Professi, auditisque Familiæ Patribus, ut præfertur, ad examen quadrimestre, si pro Visitatoris prudentia habendum sit, procedatur.

ee Antequam autem de Lectionibus quadrimestribus requirantur, tradantur Examinatoribus descripto Tractatuum eo quadrimestri habitorum Tituli, seu Theses: mox, si Rhetores fuerint, ad quæsita super Præceptis respondeant; deinde per extemporaneas lucubrationes videatur, an valeant uti theoricis in praxi, declamando, Authores interpretando, & ejusmodi, pro captu.

ff. Si verò de Philosophis, aut Theologis agatur, interrogati sine forma Syllogistica, enarrent in primis quidquid in ea Quæstione contineatur, varias Doctorum sententias recenseant, & Controversias: sententiam denique, quam docentur, per argumenta logicè produ-

cta confirment. Postmodum placita in contrarium refellant.

gg Hinc, ad Ingenii experimentum, contra singulos ab Examinatoribus opportunè arguatur.

hh. Examinati tandem singulatim, secreto Examinatorum suffragio subjiciantur; qui referant, non solùm per compendium in librum ejusmodi quadrimestrium Visitationum, quid de singulis circa mores, & sedulitatem auditum sit, sed etiam quota quisque prò, vel contra retulerit suffragia, quæ pariter cum cæteris informationibus ad Generalem referenda, ut ubertim de omnibus certior fiat per epistolas ad mensuram folii Romani cum amplis marginibus. Et inter cætera, quando ad ulteriorem classem, seu Facultatem transitus imminebit significetur, quinam ex Nostris Studentibus ad eam gradum facere, vel in propria subsistere, vel in inferiori reponi debuerint. Omnia tamen sub secreto fideliter contineantur.

ii. Ad singulorum quadrimestrium lapsum (præter menstruas per gyrum Declamationes, modò latinas, modò vulgares in Refectorio, ad cujusque Magistri præscriptum, memoriter habendas) tàm Rhetores, quàm Philosophi, & Theologi Actum aliquem academicum ritu solemni habeant; cujus argumentum Rhethoribus Magister præscribet; Philosophi verò, & Theologi concordes ad libitum Lectorum desument à Tractatibus, quos eo quadrimestri habuerint, aut aliundè.

ll. Tertio quolibet quadrimestri, loco Actus academici, tàm Philosophi, quàm Theologi Theses ex Tractatibus illius anni publicè tuebuntur, sumptibus Domus; at finè fastu, potissimum verò ad libelli formam imprimendas. Ad quas laudabiliùs defendendas, privatis Concertationibus, & Circulis inter se quotidie; coram autem Superioribus, & Patribus ejus Domus, semel saltèm in hebdomada; die per Lectorem statuenda, exercebuntur.

mm. Item, Humaniorum literarum Alumni singulis quintis feriis, vel Dominicis diebus, & quoties Magister præceperit, ad mensam memoriter, ligata, seu soluta oratione aliquid recitent.

nn. Super quibus pro Munere satagant *Reg. Rect. n.* 13.

oo. Hebescentes ingenio, si evidenter inepti ad altiores progressus, post absolutum Rhetorices curriculum, Studiis majoribus, excepta inviolabiliter Logica, interdicuntur; Characteribus, Arithmeticæ, & Casibus conscientiæ addicendi, donec perficiatur, saltèm sub Institutione Lectoris pro Exteris.

pp. Caveant Lectores, ne lato quidem ungue ab Angelica Doctrina deflectentes, inutilibus Quæstionibus immorari, aut nimiùm prolixis; neque insolita Methodo procedant, neque ultra bienniom Rhetoribus, & Philosophis præscriptum, Theologis autem trieonium, Tractatus producant; secùs privationem Cathedræ subituri. Pro quibuscumque Studiosis Nostris idem prorsùs exercitii scholastici tempus, quod publicis Scholis nostris præfigitur, tàm mane, quàm vespere, partim in scribendo, partim in explicando, repetendo, ac disputando, & piis præcipuè documentis, passim propositis impendatur.

qq. Quoniam verò inter cætera Studia Mathesis quoque asseritur; ejus Elementa, & Tractatus, cum sese obtulerit opportunitas, inter Philosophicas, & Theologicas Quæstiones tradantur, ad Generalis, vel Provincialis dispositionem.

Ad 253. Locutio latina, Studentibus communiter præscripta, in actu exercito Studiorum, Concertationum, & Examinum pænitùs observetur, tàm à Rhetoribus, & Philosophis, quàm à Theologis: *

Ad 254. Sacris quoque librorum sacrorum electionibus, aliisque spiritualibus mediis quotidiè utantur, ad Perfectionis fastigium inter Scientiarum Studia anhelantes; assertores effecti Angelici Magistri consuetudinum, quemadmodùm Doctrinæ. Quod & reliquis omnibus, tanquam singulare spiritualis vitæ subsidium, præcipitur. *

a. Præterea, jubente Clemente X. in Decr. 1676. quatenùs Neoprofessorum, & Novitiorum eadem sit disciplina; non modò quotidie cum Junioratus Præfecto post matutinam recreationem coram Augustissimo Eucharistiæ Sacramento se sistent, Vota privatim renovabunt, & Indulgentias lucrari contendent; sed etiam semel saltèm in hebdomada Rectori, seu Institutori Spirituali fidelem conscientiæ rationem reddent. * *Ritus describitur ad* 374.

b. Item festivis diebus in Superpelliceis bini, seu plures adsint in Sacrario Clerici Nostri, Rei Sacræ ministraturi. *Rit. c.* 1. *n.* 6.

Ad 256. Studentes ante Resurrectionem, & Nativitatem Domini per decem dies Spiritualibus Exercitiis vacabunt. *Reg. Scholast. num.* 3. *Vide ad* 41. *a. b.*

a. Nec solùm Clericis ejusmodi Spiritualia Exercitia præscribuntur; sed ab omnibus, ad renovandum Charitatis fervorem, ab externis occupationibus recedendo, præter injuncta pro Votorum Renuvatione, tempore Vacationum, vel alio commodiori quotannis fiant. *Rit. c.* 4. *& Cap. Gen.* 1683. *

b. Regulares, qui Exercitiis Spiritualibus per decem dies vacant, toties, quoties Indulgentiam Plenariam lucrantur. *Paulus V.* 23. *Maji* 1606.

c. Quapropter per decem dies post susceptionem Habitus, & ante Votorum emissionem Novitii, & ante singulos sacros Ordines, ex Alex. VII. P. M præscripto, Ordinandi, novelli præsertim Sacerdotes, in ejusmodi Spiritualibus Exercitiis, conscientiis etiam generaliter expiando, versentur. *Rit. c.* 4. *n.* 6.

d. Juniores, quanquam Sacerdotes, cum suo Præfecto seorsim habeant ab Antiquioribus locum recreationis, & accuratiori Disciplina contineantur. *Cap. Gen.* 1617. Neque Domo egredi valeant, nisi cum proprio Superiore, aut Præfecto, vel Lectore; secùs, non nisi

nisi terni procedant, vel unà omnes cum Superiore, aut Præfecto, seu Lectore. *

c. Admissi ad Habitum Sacerdotio initiati, per triennium saltem post emissam Professionem omnimodæ Juniorum Disciplina erudiantur. *Cap. Gen.* 1637. *& ex Decr. Clementis X.* 1676. *Vide ad* 250.

Caput XI.

De Disciplina Uniformi in Scholis observanda.

257. Sit eadem ubique Domorum Disciplina, eadem Exercitia, & eodem ritu persolvantur.

258. Eadem in omnibus Scholis Doctrina, idemque tradendi modus habeatur.

259. Hi sint ubique de Rectoris industriâ scholasticorum libri, à quibus tàm pueri, quàm Parentes ad virtutem erudiantur.

260. Præter Characterum formam, adolescentes Orthographiam doceantur.

261. Eadem sit ubique docendæ latinitatis methodus; nec, inconsulto Generali, alicubi varietur.

262. Authorum optimi, cæterisque faciliores, utiliores, & breviores in quacumque Facultate tradendâ seligantur.

NOTÆ.

Ad 257. Eò Rectorum studia dirigantur, ut in Domibus curæ suæ commissis Uniformitas in omnibus foveatur; maximè in vestitu: *Reg. Rect. num.* 21. etiam in Clericalis Coronæ, comæ tondendæ, barbæque forma; quam neque frequentiùs radant, neque diutiùs nutriant quindenis circiter diebus. * *Vide num.* 205. *pag.* 131. Nihil novi, nihil insolitum, tam in Domus ordine, quàm in Scholis, & in Ecclesia patiantur: neque praxim, nisi fortè Statutis, aut Consuetudinibus nostris adversetur, usurpatam, ullatenus mutent, aut pervertant, seu negligi sinant. Idemque in omnibus agendis Ritus Religioni solemnis adhibeatur. *

Ad 258. & 259. Ad eandem in Scholis omnibus doctrinam tradendam, uniformis, quoad fieri poterit, sit Authorum delectus, potissimùm ex Nostris. *Cap. Gen.* 1692.

a. Pro Infima legentium classe Psalterium, seu Abecedarium; Compendium Doctrinæ Christianæ Card. Bellarmini, & ejus Declaratio; & Gesta Servorum Dei nostræ Religionis; vel piæ aliquis ejusmodi libellus.

b. Pro Media classe legentium Acta Vitæ Servi Dei Glyceni à Christo ab Alexio à Conceptione descripta; Centuria Exemplorum notabilium, Joannis Francisci à JEsu; & Elementa Arithmetica Joannis Baptistæ à S. Francisco, & idem Bellarminus, vel ejusmodi.

c. Pro Suprema, eadem Sacra Catechesis; Officium Deiparæ cum reliquis unà collectis; & eadem Centuria Exemplorum, si lectione hæc classis indigeat, cum ejusdem Joan Baptistæ à S. Francisco Elementis Arithmeticis; vel ejusmodi.

d. Pro Infima Grammaticæ, quemadmodum pro reliquis, Ambrosii à Visitatione in Latinam Linguam Grammaticæ Institutiones (vel alterius Authoris facilis, & præcipuè) de Rudimentis, usque ad Regulas generales Activorum, & Passivorum inclusivè.

e. Pro Media Grammaticæ idem Author, de Generibus nominum, ac Præteritis, & Supinis Verborum, per generales Syntaxeos Regulas, absque Observationibus, usque ad Prosodiam exclusivè; Epistolæ Selectæ Ciceronis, & Ovid. de Tristibus.

f. Pro Suprema eædem Institutiones Grammaticæ cum omnibus Observationibus; Prosodia, cum Pedibus metricis, Versibus, & Figuris. Lælius de Amicitia; Ovidius de Ponto, vel Eclogæ, seu Georgica Virgilii, vel ejusmodi.

g. Pro classe Humanitatis Methodus Epistolaris, sivè Breves Institutiones ad literas conscribendas, Camilli à S. Hieronymo: deinde Methodus Progymnastica, sive Artificiosæ Orationis prolusivæ Institutiones Ejusdem, & Caroli à S. Antonio Patavino Anconitani de Arte Epigrammatica: Cicero de Officiis, Virgilii Æneidos, Q. Curtius, & Odæ Horatii expurgatæ, vel ejusmodi.

h. Pro classe Rhetoricæ Methodus Artificiosæ Orationis, sive Rhetoricæ Institutiones Camilli à S. Hieronymo; & ejusdem Methodus Metricæ Orationis, sive Poeticæ Institutiones: Orationes Ciceronis Selectæ; Salustius, Odæ Horatii, Virgilii Æneidos, & Martialis expurgatus, vel ejusmodi.

i. Præcepta, & exercitia scholastica matutina tradantur ubique respectivè de Oratione Soluta; itemque Authores explicentur. De Oratione Ligata, cum Poetarum interpretatione, atque lucubrationibus de sero.

l. Pro classe Casuum conscientiæ, in quibus tradendis Angelici Doctoris, prout alii Professores tueri tenentur, Lectores sententiam sequantur. Genuinè tantùm Morales Tractatus ordinatim scripto tradant; explicent, repetitiones exigant, concertationes instituant.

m. Memores autem sint Magistri, sibi vetitum alios Authores, quam assignatos in annuo eorum Syllabo, explicare. *Rit. c.* 12 *n* 8.

n. In Præceptis tradendis (dummodò propositorum Authorum methodus per singulas classes ad unguem, servetur, & dietim Theoremata proponantur) licitum Professoribus Tractatum aliquem cum exemplis uberioribus, brevem, & facilem ex ingenio dictare. *

o. Idem sit Magistrorum omnium ordo: genuflexus quisque cum suis Auditoribus de more Preces devotè recitet: Cathedram ascendat: Lectiones è memoria requirat ab aliquibus: exigat lucubrationes: data uni classi occupatione interim opportune, exercitium alterius emendet: indè alterius classis occupationes corrigat: mox ad Præcepta ex Authore præscripto desumenda, cum exemplis practicis se convertat: argumenta pro sequentibus occupationibus præscribat, ea, quæ necessaria videbuntur pro lucubratione, suggerendo. Tandem Oratorem, vel Historicum, si de matutinis Lectionibus agatur, si de vespertinis, Poetam interpretetur per notus, ad captum Auditorum, opportunas, omnia semper de more in Pietatis cultum derivando. *Vide ad* 237. *&c.*

p. Ut adolescentes locutionis latinæ libertati assuescant, promoti ad classes Mediam, & Supremam Grammaticæ, ad Humanitatem, & Rhetoricam semper latinè loquantur, neque Magistri secùs fieri sinant, ut etiam ex necessitate dictionum quærendarum, uberiori, & faciliori colloquendi usu in habitum proficiant.

SYNOPSIS CONSTITUTIONUM

PARS TERTIA.

CAPUT I.

De Capitulo Generali.

§. I.

263. Capitulum Generale bifariam cogendum: vel scilicet, ad novi Generalis electionem, vel ad graviora Religionis negotia.

264. Capitulum pro habenda Generalis electione, à Generali Vicario indicendum.

265. Ut quis utraque Voce fruatur, sit à septennio saltem Professus, & à triennio Sacerdos.

266. Triduo ante conventum electionis, seriò per Vicarium adhortandi Vocales; ut sese Oratione, Sacrificiis, & Informationibus ad optimam electionem præparent; enunciatis inconsultæ electionis malis, & perjuriis, & Censurarum Ecclesiasticarum periculis.

267. Ipsa electionis die sit in Ecclesia conspicuum Sanctissimum Sacramentum, ad impetrandam electionem illius, in quo major Prudentia, Experientia, & Virtus emineat.

168. Nemo apud se definiat, quem sit electurus, donec Aulam Comitiorum ingressus, rem iterum Deo commendaverit.

269. Sub anathematis latæ Sententiæ pœna revelandus quisquis directè, vel indirectè Generalatum ambierit. Convictus de ambitu perpetuam statim Vocis privationem, & inhabilitatem incurrit; sicut etiam quicumque pro alterius electione aliquem induxerit, vel sollicitaverit.

270. Ipsa electionis die omnes celebrent Missam de Spiritu Sancto; vel saltèm, ad ejus afflatum impetrandum, communicent.

271. Ad Vocales campanæ signo convocatos, unus ex ipsis, à Vicario designatus, per semihoram de optima Generalis electione in genere concionetur.

272. Absoluta Concione, dicitur Hymnus de Spiritu Sancto: *Veni Creator Spiritus.*

273. Custos à Vicario deputatus Vocales concludat: nec ullus egredi permittatur; nec aliud in victum suppeditetur, quàm panis, & aqua, antequàm Generalis eligatur.

274. Iterandæ Preces: & nullum alium alloquendo, coram Deo statuendum, quem quisque sit electurus.

275. Scribatur secretò à singulis Vocalibus nomen illius, quem senserint eligendum in Generalem; ad quæ omnia unius horæ spatium ad summum præfigitur.

276. Omnibus ordinatim sedentibus, Vicarius Congregatos ab omnibus Censuris, ad effectum electionis Canonicæ faciendæ tantùm, absolvit.

277. Secretarius, & Adjunctus, per secreta suffragia ex Vocalibus electi, Vicario ad mensam in medio positam assistant.

278. Vicarius cum juramento protestetur, se nullum, quem non debeat, admissurum, vel exclusurum.

279. Mox, repetita Sancti Spiritus Invocatione, primò Vicarius, deindè Singuli Juramentum hujus tenoris præstent.

Te-

Testem invoco cum omni reverentia Jesum Christum, qui est Sapientia Æterna, quòd Ego N. eligo, & nomino in Ministrum Generalem Religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, quem sentio, ad hoc onus ferendum, aptissimum.

280. Continuò schedulam in urnam clausam ex rimula immittat; & consequenter Secretarius, Adjunctus, & Cæteri, juxta ordinem suæ antiquitatis.

281. Omnibus videntibus, Vicarius urnam aperit: schedulas effundit: effusas numerat, an Vocalibus respondeant.

282. Secretarius explicat schedulas; easque Vicario, & Adjuncto videndas porrigit; & seorsim describit cujusque electi suffragia.

283. Quisquis vota supra medietatem sortitus fuerit, in Generalem à Vicario sequentis Decreti tenore pronuncietur.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego N. tàm nomine meo, quàm Caeterorum, idem sentientium, eligo N. & declaro in Ministrum Generalem Religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum. *

284. Ad reverentiam Electo exhibendam, ejusque manum genibus flexis osculandam statim omnes accedant: quod ab Electo neutiquam recusandum.

285. Afferta novo Generali Obedientia, Deo gratiæ agantur per Canticum: *Te Deum laudamus.*

286. Quatenùs pro nullo suffragia excedant medietatem, confugiatur ad Compromissionem in quinque Electores, ex numero Vocalium per votorum pluralitatem assumendos. Is, in quem pars major Compromissariorum inclinat, Generalis eodem ritu, qui supra, renuncietur.

287. Promulgata, terque proclamata electione, nemini licitum quidquam opponere sub anathemate latæ Sententiæ, aliisque gravibus pœnis, pro Electi, & Congregationis arbitrio.

NOTÆ.

Super §. 1. Cap. 1. p. 3. Const.

Advertendum, Caput primum Partis tertiæ Constitutionum in duos Paragraphos divisum; tùm propter uberem rerum, quas complectitur, copiam, cùm propter earundem varietatem.

Ad 264. Alex. VII. P. M. die 28. Apr. 1660. Const. *Cum sicut.* decrevit, Præpositos Generales, & quatuor Assistentes, in Capitulo Generali electos, ad Sexennium tantùm duraturos.

a. Propterea Capitulum Generale ab ipso Generali, anno ante Sexennii lapsum indicitur; ut maturiùs in ea agenda præparentur. Quòd si per obitum vocet Generalatus, id Muneris præstat Vicarius.

b. Si Generalis moriatur intra primum triennium, hoc finito, Vicarius intimet Capitulum. Si verò post primum triennium obierit, statim Capitulum Generale intimetur, nisi fortè jam fuisset intimatum.

c. Quòd si scripto non fuerit nominatus Vicarius à Generali defuncto, sed Primus Assistens Vicariatus Munere fungatur; hujus loco, Assistens de Voto Collegarum cum Vicario duraturus eligatur. *Cap. Gen.* 1686.

d. Acta verò Capituli Generalis inchoentur die 25. Apr. D. Marco Evangelistæ solemni; quo tempore decernantur, quæ pro Regulari Observantia videbuntur statuenda; ita verò, ut novo Generali aliarum propositionum Jus relinquatur. *Cap. Gen.* 1692.

e Nihil autem, ut plurimùm, in Capitulo Generali decernendum proponatur, quod priùs non fuerit in Provinciali discussum; prout etiam in Provinciali, quod non fuerit in Localibus examinatum, privatis quibusque literis, & supplicationibus rejectis. *Cap. Gen.* 1671. *Vide ad* 291.

f. Pro Decretis cujusque Capituli Generalis, antequàm publicentur, maturiùs examinandis, Generalis electus statuat Congregationem quatuor Patrum sibi Assistentium, & Comitiorum Secretarii; qui scrutati difficultates, in ipsis Ordinationibus occurrentes, eidem referant enodandas: mox, quæ definita fuerint, in ipso Capitulari Congressu publicè fiant per eundem Secretarium: eisque, cum totius Capituli Actibus sub præcepto formali sanctæ Obedientiæ a Generali ferendo singuli subscribant. *Ex Act. Capitul. Gen.* 1683. *& ex Consuetudine.*

Ad 265. Habent in Capitulo Generali utramque Vocem: Generalis, & in ejus defectu Vicarius Generalis; Exgenerales, Assistentes Generalis, Procurator Generalis, Provinciales, & bini ex singulis Provinciis Vocales. * *Vide ad* 362.

Ad 266. Ad èvitandam insuper confusionem quamcumque in propositionibus à Capitulo Generali discutiendis, singuli Provinciales cum suis Vocalibus ordinatim referant Capitula Provinciarum cum eorum propositionibus, Capitulo Generali directis. * *Cap. Gen.* 1637.

a. Diebus Generalium Comitiorum præliminoribus eligantur tres de gremio Capituli, ad excipiendas rationes à Generali, Assistentibus, & Procuratore Generali super exactis Muneribus juxta Clem. VIII. Decreta de Reform. Reg. c. *Nullus n.* 13. *Cap. Gen.* 1686.

a. Ele-

a Electum novum Generalem, novosque Assistentes congregatos quilibet Provincialis, & bini Provinciarum Vocales conscientiosè informabunt de Provinciæ Personis, maximè verò de Subjectis ad qualecumque Regimen idoneis; ut Electiones, propediem faciendæ, juxta pondus meritorum instituantur. Quas quidem relationes quilibet Provincialis proferat potissimùm ex authenticis Visitationum Actis circa mores, ætatem, indolem, Studia, tempus in Instituti Ministerio, sive in docendo quamcumque Scientiam, vel literariam Facultatem Nostrates, aut Exteros (Ità intelligendum, quod præscribitur de Scholarum Piarum exercitio ad 226.) laudabiliter impensum, Zelum Observantiæ, & similia, ad plenam Personarum cognitionem. * *Vide ad* 354. *a.*

Ad 267. Electio novi Generalis semper facienda die 2. mensis Maji. *Cap. Gen.* 1671.

Ad 269 Convicti de ambitu, tàm intra, quàm extra Religionem, ipso facto, & Jure utraque Voce in perpetuum privantur; qua pariter pœna damnantur conscii, si non revelent. *Cap. Gen.* 1641. Quod etiam intelligendum de his, qui pro aliquo eligendo aliquem induxerint, vel sollicitaverint. *

a. Propterea, ne pateat ad ambitum aditus, renunciatum est in perpetuum à Religione literis quibuscumque Apostolicis circa Nostratum electionem ad quascumque Dignitates, & Gradus in Religione consequendos. *Cap. Gen.* 1637.

b. Nullius pariter valoris habendæ literæ Apostolicæ in favorem supplicantium edite, nisi libelli supplices fuerint priùs à Generali cum sibi Assistentibus subscripti; quatenùs per Sedem Apostolicam specifica ejusmodi subscriptionis derogatio non accedat. *Cap. Gen.* 1637. & 1641. Quod tertiò confirmatum *in Cap. Gen.* 1659.

Ad 270 271. & 272. Generalis, seu Vicarius, ministrantibus duobus Primis Assistentibus pro Diacono, & Subdiacono, Sacrum solemne facit de Spiritu Sancto, Capitularibus omnibus in Superpelliceo assistentibus: & post Evangelium habetur prima Concio latina; ad quam quicumque idoneus, quamquam non sit Vocalis, pro libitu consuevit à Generali deputari. Secunda verò in ipso Capitulari Congressu latinè quoque proferenda, per unum ex Capitularibus ad nutum Generalis recitatur; & absoluto Sacro, dicentes hymnum, *Veni Creator Spiritus*, bini processionaliter ad Aulam Comitiorum procedunt. *Ex act. Capitulorum Gener. Vide Synopsim Rituum habendi Capitula.*

a. In fine cujusque Capituli Generalis, & Provincialis Sacrum solemne fiat de Sanctissima Trinitate pro gratiarum actione, Vocalibus in Superpelliceo assidentibus: & post Communionem intonetur Canticum: *Te Deum laudamus. Ex. Act. Capit. & Synopsi Rit.*

Ad 273 Constitutio prohibens exitum ab Aula Capitulari post Vocales ad electionem conclusos, intelligenda est juxta Juris Communis dispositionem; excipiendo nimirùm casum necessitatis, & accessum Scrutatorum ad Vocales infirmos; qui quamquam præsentes in ea Domo existant, personaliter tamen Comitiis nequeunt interesse; ut eorum suffragia suscipiant. * *Vide ad* 358. a.

Ad 276. Absolutionem à Censuris consuevit impertiri pro Canonica electione Præses Capituli, Eminentissimus nimirùm Protector, vel Alius à Sede Apostolica Deputatus; quatenus adsit: secùs id Muneris præstat Generalis, vel Alius, qui præsidet.

Ad 277. Pro electione Secretarii, Adjuncti, & Compromissariorum, *Vide ad* 357. *f. g.*

a. In Secretarios, & Adjunctos in Capitulis Localibus eligi possunt fruentes Voce tantùm activa. *Cap. Gen.* 1692.

b. Electio Adjuncti declaratur de Capitulorum essentia in electionibus. *Cap Gen.* 1692. nàm Secretarius, & Adjunctus necessariam Scrutatorum electionem supplent; imò ipsi sunt nostri Scrutatores, cum Superiore Capituli.

Ad 278. Protestatio, quæ ex Constitutionis præscripto à Vicario facienda est, de non excludendis admittendis, & de non admittendis excludendis, fit à Generali, si adsit, vel à Præside Capituli.

Ad 279. Præter juramentum de aptissimo in Generalem eligendo, aliud etiam juramentum in omnibus Capitulis per singulos Vocales in ipso Actionum Capitularium principio, statim post Personarum legitimationem, præmittitur, juxta Decr. *pro Refor. Reg.* Clementis VIII. *n.* 36. tenoris ejusmodi.

a. *Cum omni reverentia Ego N. à S. N. invocans testem JEsum Christum, qui est vera Sapientia Æterna, fateor, me electurum in præsenti nostro Capitulo, quos noverim secundùm veritatem conscientiæ probiores, & magis idoneos; & in eodem omnia acturum, quæ utiliora pro bono Religionis Regimine judicavero; & quidquid actum, vel agendum erit, sub sigillo secreti conservaturum: & sic juro, tacto pectore.*

b. Juramentum verò de secreto in Capitulis servando, de gravioribus, & quæ ex natura sua sub secreto servari debent, intelligendum. *Cap. Gen* 1686.

Ad 280. Schedarum forma pro electionibus, in Synopsi Rituum Capitulorum describitur.

a. Sacris initiati, qui triennium à Sacerdotio, & septennium à Professione non attigerint, Voce tantùm activa fruuntur, & in solis Capitulis Localibus. *Cap. Gen.* 1637. *Vide n.* 265.

b. Assistentes, & Procurator Generalis possunt ferre suffragium in Capitulis Localibus, ad negotia congregatis: quod pariter de Provincialibus in Domibus suæ Provinciæ declaratum. *Cap. Gen.* 1686.

Ad 281. Schedulam albam, inutilem, aut incertam adhibentes in suffragando, censeantur cessisse juri suo, & tanquam extranei Capitulo, in Eligentium numero non computentur; eisque non computatis, deveniatur ad electionem; eo autem modo suffragantes ipso facto excommunicantur; & aliis pœnis arbitrio Præsidis Capituli mulctantur, si valeant cognosci. *Ex Act. Cap. Gen.* 1637. & 1641.

Ad

Ad 282. Vide Synopsim Rituum habendi Capitula.

Ad 283. Cum adest Eminent. Protector, seu Alius Præses, nomine Sedis Apostolicæ Deputatus; Is Decretum electi Generalis pronunciat, *ut in Synopsi Rituum habendi Capitula.* *

a. Quòd, si absit Præses Apostolicus, accidat autem in Generalem eligi Vicarium Generalem, Decretum electionis facit Primus Assistens; qui si fortè sit Vicarius, & in Generalem eligatur, Secundus Assistens. *Gen. Cap.* 1637.

Ad 285. Quid, absoluto Capitulo Generali, pro gratiarum actione præstandum sit, *vide ad* 270.

Ad 286. Cum Clementis VIII. Decreta, ab Urbano VIII. die 25. Junii 1699. confirmata, præcipiant, ut in Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur; nostræ verò Constitutiones, à Gregorio XV. & Alexandro VII. approbatæ, prout pag. 14. dictum est, electionem Generalis per Compromissionem admittant *p.* 3. *c.* 1. *n.* 286. & Capitulum Provinciale ad formam Capituli Generalis; electionem verò Vocalis in Capitulo Locali per plura secreta suffragia fieri præscribant *p.* 3. *c.* 4. *n.* 361; nulli dubium erit, ejusmodi electionem per Compromissarios in Religione nostra pro prædictis Capitulis tantùm Provinciali, & Generali vigere. *

a. Compromissarii ergo in Capitulis Provincialibus, & Generali quinque per Schedulas ex numero Vocalium per singula distincta scrutinia eliguntur. Porrò ad eorum electionem sufficit Votorum pluralitas. Quòd si suffragiorum paritas detur, pro electo habeatur antiquior in Professione. *Cap. Gen.* 1686.

Ad 287. Easdem omninò pœnas, à Constitutione nostra contra opponentes Generali Electo, terque proclamato decretas, subeat, qui-quemlibet alium Superiorem in Religione nostra Electum recusaverit. *

CAPUT I.

De Capitulo Generali.

§. II.

288. Sexto quoque anno, seu citiùs, arbitrio Generalis, cogenda Congregatio Generalis pro rebus agendis, quas Generalis cum Assistentibus definire non potest.

289. Non est in ea necessaria inclusio Vocalium per Custodem: sed fiat expeditissimè.

290. Generalis habet in ea duo suffragia, & præcedentiam, cæteris paribus.

291. Missarum Sacrificia, & Preces particulares pro felici ejus conventus exitu per Generalem indicuntur.

292. Res in primis Deo commendatæ proponantur, ventilentur, & scripto, ad maturius omnium consilium, tradantur.

293. Si tantopere discrepent Patres, ut Rerum conclusio dubia videatur; quatuor ex Vocalibus per omnium suffragia eligantur, qui cum Generali definiant.

294. Quidquid à majori Vocalium parte fuerit statutum, ab omnibus, tanquam cælitùs datum, admittatur.

295. Generalis, infirmitate præpeditus, potest alium loco sui ejusmodi Congregationi præficere.

296. Quæcumque decernuntur, ordinatim scribantur, & coram omnibus legantur, factâ iterum Vocalibus veniâ dicendi quid sentiant.

297. Difficultates, quæ super Decretis emergunt, Generali cum Definitoribus committantur.

298. Omnia definita; per Secretarium in libro regerantur, postmodom publicanda.

299. Generalis ob causas gravissimas potest à Munere suo amoveri per Congregationem Generalem, ab Assistentibus, & Provinciali Romano, de voto trium viciniorum Provincialium, indicendam.

300. Votum trium Provincialium viciniorum quærendum per literas à tribus saltem Assistentibus subscriptas: quibus certiores facti de causis Generalis deponendi, solidè respondeant, an sit propterea Congregatio Generalis convocanda: quod si major Assistentium, & Provincialium pars consentiat, convocetur.

301. Congregationem de Generali abdicando non ingrediatur Generalis, nisi vocatus.

302. Causæ Generalis deponendi, sunt crimen hæresis, carnis incontinentia, secordia in Regimine, conniventia circa Subditos, cum scandalo in peccatis insordescentes, & quodlibet crimen, capitis, vel depositionis pœnâ puniendum.

303. Ad solos Assistentes cum Provinciali Romano spectat Causæ formatio contra Generalem; cognitio verò ad totam Congregationem.

304. Testes contra Generalem, non modò contestes, verùm etiam bonæ famæ sint, oportet.

305. Siquid per calumniam, odium, & cupiditatem quis contra Generalem deferat, tanquam paternæ famæ detractor, debitas luat pœnas, ab eisdem Assistentibus infligendas.

306. Primus assistens Causam proponit, & probationes criminis producit.

307. Ut crimen satis probetur, accersito in Congregationem Generali summaria, & simplex defensio concedatur.

308. Mox, Causâ maturè discussâ, si duæ partes ex tribus consenserint, amovendum; vocatus moneatur, ut sponte abdicet.

309. Si statim Generalis suo Muneri cesserit, cessio admittatur.

310. Porrò Primus Assistens in virtute sanctæ Obedientiæ præcipiat, quatenùs acta de Generali amovendo secretò celentur, & sponte Munere abdicasse dicatur.

311. Ad novi Generalis electionem, his peractis, de more deveniendum.

312. Duabus ex tribus Congregationis partibus in amotionem non consentientibus, seu culpa non satis probata, Primus Assistens Omnium nomine vocatum Generalem, verbis antea in eo Cœtu statutis advertat.

313. Is humiliter audiat; non se excuset; sed emendationem polliceatur.

314. Quidquid in ea re factum fuerit, sub Obedientiæ præcepto celandum.

315. Ne frustra Patres convenisse videantur, aliqua de Regulari Disciplina decernant; ut ad ea congregati credantur.

316. Generalis, ob ætatem, seu valetudinem ad Regimen effectus inhabilis, ab Assistentibus, & Provinciali Romano admonendus, ut sibi Coadjutorem eligat.

317. Reluctante Generali Coadjutorem eligere, Assistentes cum Provincialibus Romano, tribusque vicinioribus eum eligant per secreta suffragia.

318. Usque ad novi Generalis electionem, omnia cum Assistentibus Coadjutor moderetur.

NOTÆ.

Super §. 2. Cap. 1. Par. 3. Const.

Ad 288. Postquàm Alex. VII Const. *Cum sicut.* die 28. Apr. 1660 sanxit Generalatum Sexennio absolvendum, ea tantùm propterea Congregatio Generalis habetur, in qua cum novi Generalis electione, res pariter totius Religionis definiuntur.

Ad 291. Ad impetrandam rebus, in Congregatione Generali definiendis, opem divinam, consueverunt in singulis Domibus dietim, ab Intimationis publicatione, recitari Litaniæ Lauretanæ; celebrari binæ saltèm in singulos menses Missæ de Spiritu Sancto (poterit earum vice addi in Missa diebus congruis Collecta de Spiritu Sancto,) & applicari per Clericos, & Operarios binæ pariter Communiones: ipsa verò die, qua electiones haberi consueverunt, de Ordinariorum facultate exponitur Sanctissimum Sacramentum in forma Orationis quadraginta horarum per triduum durituræ. *Ex Act. Cap. Gen.* 1637. *&* 1641.

Ad 292. Quisquis aliquid habuerit pro Personis, pro Domibus, pro sua Provincia, seu etiam pro tota Religione in Congregatione Generali proponendum, quod non fuerit in Provinciali Capitulo probatum, illud scribat, & se subscribat, detque alteri ex Vocalibus; cujus erit negotii conclusionem penes Generalem promovere. *Ex Act. Cap. Gen.* 1641.

Ad 293. *Vide Notas ad* 297.

Ad 294. Nedùm vigore Constitutionum nostrarum, verùm etiam ex Ordinum Mendicantium Privilegiis, Religioni nostræ concessis, facultate legislativa fruuntur Capitula nostra Generalia; quorum Decreta tam Nostrates omnes, vel ipsum Generalem respectivè obligant. *Vide ad* 122. *& Paranesim in principio hujus Synopsis num. VI.*

Ad 297. Plura Capitula Generalia Generali, cum sibi Assistentibus pro tempore, facultatem interpretandi, declarandi, & definiendi super ejusmodi Decretis reservant; indicendo quibùsque, quatenùs his Interpretationibus, Declarationibus, &c. acquiescant. *Cap. Gen.* 1617. 1677. 1683. *&c.*

Ad 298. Provinciarum Præpositi tenentur publicare in singulis Provinciæ Domibus Decreta singulorum Capitulorum Generalium, eorum exemplaribus authenticis ad singularum Archiva directis *Cap. Gen.* 1637. *&* 1641.

Ad 311. *Vide omnia, quæ præscribuntur in Const. à num.* 263. *usque ad num.* 287. *cum Notis ibidem, & in Synopsi Rituum habendi Capitula.*

CAPUT. II.

De Ministro Generali.

319. Ministri Generalis est Rempublicam Religionis sedulò promovere: quòd ea sit ejus Fidei, Consilio, & Regimini concredita.

320. Sit ætate maturus, habilis ad Regimen, & virtutum omnium exemplar.

321. Multa Charitate, Patientiaque Subditos moderetur.

322. Quatenùs per valetudinem liceat, communem ubique Disciplinam servet.

323. Altera simplex cella, & Operarius à servitiis permittitur Generali.

324. Vita durante, non autem ad aliquod tempus determinatum, eligendus.

325. Domorum, & Personarum omnium habeat catalogos, singulis annis renovandos.

326. Nominat scripto Vicarium; qui post obitum suum suas vices gerat usque ad Successoris electionem.

327. Si Generalis, Vicario innominato, moriatur, Primus Assistens Religionem administrat.

328. Magistros Novitiorum, Provinciales, & Visitatores instituit, seu confirmat, vel per aliorum electionem amovet.

329. Cavet, ne indigni ad Sacros Ordines, & ad Confessiones audiendas admittantur.

330. In Ecclesiis nostris tantùm, Conciones haberi permittit à Nostratibus in Adventu, & Quadragesima.

331. Eligit Procuratorem Generalem, qui Romæ semper sit ad gerenda Religionis negotia; quibus nemo se immisceat sine Generalis facultate. Quidquid autem susceperit agendum, antequam aggrediatur, simpliciter conferat cum Generali: dietimque quid actum sit, si alicujus momenti fuerit, eidem communicet.

332. Generalis ex vehementi ratione dispensat super Constitutionibus; quod etiam Provincialibus in sua Provincia, & Rectoribus in suis Domibus quandoque tantùm, & cum quibusdam indigentibus licitum; qui tamen in gravioribus consulant Generalem: at cavendum, ne dispensationum prætextu, abusus irrepant.

333. Potest hæresi, & carnis vitio laborantes à Votis absolvere, & secretò dimittere: item inquietos, & schismata contra Constitutionem aliquam solicitantes.

334. Apostatæ ipso facto manent Suspensi: & celebrando, Irregularitatem incurrunt; ad quos coercendos brachium sæculare, si opus fuerit, invocandum.

335. Eisdem in carcerem detrusis, ut resipiscant, sedulò cum Patientia Charitas adhibenda.

336. Quisquis ita per annum sese præstiterit incorrigibilem, dimittatur.

337. Sacerdotes ejecti, tamdiu censeantur Suspensi, donec habeant unde vivant.

338. Pœnæ delinquentibus impeosæ, aliorum innocentiam tuentur.

NOTÆ.

Ad 319. Generalis cum quatuor sibi Assistentibus Voce activa, & passiva donatur; & Corpus Religionis repræsentat Gregorius XV. Const. *Apostolici Muneris*, die 28. Apr 1622.

Ad 324 Alex. VII. P. M Constitut. *Cum sicut* 28. Apr 1660, decrevit, ut Præpositus Generalis, & quatuor Assistentes eligantur ad Sexennium tantùm. Quod à Clem. IX. confirmatum. Const. *Ex injuncto* 23 Octob 1669.

a. Cum Assistentibus, quanquam res gravioris momenti non occurrant, debet Generalis in singulas hebdomadas convenire. *Cap. Gen.* 1637.

b. Semper solicitus Generalis existat circa Observantiam. *Cap. Gen.* 1679.

c. Item circa Provinciarum Studia; ne ulla ratione intermittantur; sed illarum Alumni ad ipsa gradatim promoveantur. *Cap. Gen.* 1665.

d. Cum quatuor sibi Assistentibus debet residere in Domo S Pantaleonis de Urbe. Alex. VII. Const. *Cum sicut*. die 28 Apr. 1660. & Clem. IX Const. *Ex injuncto*. 23. Octob. 1669.

e. Exgenerales (eo nomine appellantur Generales, expleto Munere habent locum immediatè post ipsum Generalem ubique; gaudentque voto, tàm in Generalibus, quàm in Provincialibus Capitulis ejus Provinciæ, in qua resident. Eisdem Indultum, quatenùs Domum, & socium Operarium, durante vita, sibi eligant. *Cap. Gen.* 1665. Insuper uni subjacent Generali. *Cap. Gen.* 1671. *&* 1692. Ubique ante actuales Assistentes locum habeot Si verò plures Exgenerales in unum conveniant, ordinem Professionis inter se observent. Illis etiam permittitur, ut Generali proponant Rectorem ejus Domus, quam sibi elegerint, firmis remanentibus omnibus eorundem Privilegiis, aliàs impertitis. *Cap. Gen.* 1692.

Ad 328. Ex quo Assistentes voto decisivo in Superiorum omnium electionibus, deputationibus, ac mutationibus donati sunt ab Alex. VII. Const *Cum sicut*; & à Clem. IX. Const. *Ex injuncto*; facta per Generalem Eligendorum propositione, de Assistentium suffragio Superiores eliguntur. *Vide ad* 339. De Superioribus primi, & secundi Novitiatus, *vide ad* 26. a, quorum electionem, de Assistentium, Procuratoris Generalis, & Provincialis Romani Consilio, Generali commisit Clemens X. Decr. *Ad propagandam*. 18. Martii 1676.

a. Indè tamen die 12. Iunii 1693. Congr. Episc. & Regul. censuit, posse Assistentibus Generalis competere Votum decisivum in electionibus etiam Superiorum pro Domibus primi, & secundi Novitiatus, non obstantibus quibuscumque. Quo Decreto Procurator Generalis, & Provincialis Romanus sunt suffragio suo consultivo privati. *

b. Cum nostra Constitutio nullum determinatum tempus assignet pro duratione Provincialium, & Rectorum, aut Superiorum Localium; ideoque literæ Patentes à Ven. P. nostro Fundatore, aliæ ad annum, aliæ ad biennium, aliæ ad triennium, aliæ ad beneplacitum duraturæ, expeditæ fuerint; quemadmodum in Authographis penes Archivum nostrum Generale compertum est: idcircò pro perenni Regiminis Uniformitate statuitur, ut imposterùm ejusmodi literæ Patentes Provincialium, & Viceprovincialium ad triennium, Rectorum, verò, aut Superiorum Localium ad annum duraturæ, expediantur; salvis aliàs Eligentium Juribus, & facultatibus *

c. Prædicti autem Superiores, ad determinatum tempus electi, tempestivè de imminenti; Gubernii sui termino Generalem præmoneant; & donec cujusque Successor accedat, quamvis præfixum in literis Patentibus tempus fuerit elapsum, in Regimine perseverent. *

Ad 329. Indultum Provincialibus, quatenùs valeant Dimissorias, pro Minoribus Ordinibus tantùm, Clericis impertiri. *Cap. Gen.* 1677.

Ad 330. Esse penes Generalis arbitrium, concedere facultatem extra nostras Ecclesias tempore Adventus, & Quadragesimæ concionandi, declaravit, nemine discrepante, *Cap. Gen.* 1686. ; dummodò concurrant Requisita relata *Cap. 7. P. 3. per totum.*

Ad 331. Procurator Generalis pro tempore, habet locum, & Vocem in Capitulo Generali. *Cap. Gen.* 1637. *&* 1659. Quoad ordinem, in Urbe tantùm Provincialibus præcedit. *Cap. Gen.* 1683. Præbet cum Assistentibus, & Provinciali Romano consilium in creatione Superiorum, & Magistrorum Novitiorum, & Familiarum in Domibus primi & secundi Novitiatus. Decr. Clem. X. die 18. Martii 1676.

a. Gaudet suffragio in Capitulis Locorum, ad negotia institutis. *Cap. Gen.* 1686.

b. Ejus Muneris est negotia quæcumque Religionis in Romana Curia promovere; in primis autem apud Sacras Congregationes; ne quid alicubi in Religionis pernicem fiat: supplicet suis temporibus pro facultatibus Admittendorum, juxta numerum cuique Provinciæ à Sacr. Congreg. super Statu Regularium assignatum in Decr. Clem. X. & ejusmodi.

c. Ejusdem est quascumque Religionis contributiones assignatas, & assignandas exigere; de exactis testimonia scripto Rectoribus dare; nec non earum, sub duplici clave, quarum una sit penes Generalem, altera penes se, custodiendarum rationem in Capitulo Generali reddere. *

d. Procurator Generalis, post Munus absolutum, Vocem habet in Capitulis Provincialibus ejus Provinciæ, in qua fuerit collocatus, in loco tamen suæ Professionis, vel Prælationis inter Vocales. *Cap. Gen.* 1665.

Ad 332. Indulta, ratione Studiorum, Generali pro tempore, facultas dispensandi super secundo Probationis anno cum Clericis Novitiis tantùm, per Decr. Sac. Congreg. Conc. ab Alex. VIII. in forma Commissaria sub die 23. Januarii 1691. Eminentissimo Card. Gaspari Carpineo Protectori: qui, servatis servandis, die 29. ejusdem per Acta Vincentii Octaviani sanxit eam facultatem habere locum.

a. Præsente in eadem Domo Superiore majori, minor non dispenset in his, quæ tangunt Communitatem. *

Ad 334. Cum Apostatis, & Ejiciendis agendum juxta fan. men. Urbani VIII. Decreta, propterea edita die 21. Septembris 1624. & Innoc. XII. P. M. data die 24. Julii 1694. Quibus carcerem annuum, ad probandam Incorrigibilitatem, redigit ad semestrem continuum; & facultatem, singulis Capitulis Generalibus tantùm indultam, eligendi sex ex gravioribus Religiosis, de quorum consilio, & assensu ejici debeant Incorrigibiles, extendit etiam ad singulos Provinciales Congressus, quatenùs cum Provinciali hujusmodi Causas Electi cognoscant, & accedente Generalis, quoad sex Electos, & Causas Ejiciendorum, approbatione, contra Ejiciendos definiant; firmis, quoad cætera, prædictis Urbani VIII. Ordinationibus.

a. Apostatæ, ad Religionem reduces, publicè per Superiores absolvantur à Censuris, & posteà debitis pœnis damnentur. *Cap. Gen.* 1641. *&* *Can. pæn. cap.* 7.

b. Pro singulorum Apostatarum, ad Urbem confugientium, & Carceratorum victu ea Provincia, ex qua facti sunt profugæ, julium in singulos dies de more contribuat. *Cap. Gen.* 1671.

c. Domus autem, in quibus deliquerint, in primis persolvant. Quòd si, præ tenuitate redituum, in toto nequeant, reliquæ ditiores illius Provinciæ à Provinciali cum Assistentibus taxentur. *Cap. Gen.* 1686.

d. Carcer autem in secretiori singularum Domorum parte, seu saltem cubiculum aliquod ad modum Carceris præparatum ubique sit, quod possit vecte deforis claudi; nullaque adsit fracturæ, aut correspondentiæ suspicio. *Cap. Gen.* 1692.

e. Detentis in carcere nihil ferreum permittendo, solita ex paleis culcitra cum stragulis necessariis sternatur. Liber aliquis ad lectionem spiritualem opportunè à Confessario deputato Reis provideatur. Item, aliquid ad tempus religiosè transigendum, prout Superiori videbitur. Verùm nemo in carcerem detrudatur; nisi qui fuerit graviorum criminum obnoxius, juxta Canonum pœnalium præscriptum. *Cap. Gen.* 1692.

f. Processus juxta ritum Religionis (qui servandus, donec aliàs à Sede Apostolica decernatur, ad formam Decreti de Ejectis, & Ejiciendis, editi Authoritate SS. D. N. P. M. Innocentii XII. 1. Martii 1693 Romæ verò publicati 24. Julii 1694.) summariè, simpliciter, ac de plano fiant; sola facti veritate inspecta, non verò per apices Juris; quemadmodum à pluribus Summis Pontificibus pro Regularium Causis definitum; præsertim à Bonifacio VIII.

Const.

Const. *Ad augmentum*; à Julio II. Gregorio XIII. & Aliis; quorum Indulta per communicationem Privilegiorum fruimur; cavendo solùm, ne deficiant in substantialibus. Is itaque ordo, usu acceptus in Religione nostra, ubique habeatur. Habita delicti alicujus notitia, seu informatione, Superior per se, vel per Delegatum, cum Actuario, requisito in primis actuali juramento, ad examina testium progrediatur. Inspecta facti veritate per eosdem contestes, Reum (præmisso pariter juramento de veritate dicenda; factaque mox interrogatione, an aliquem inimicum habeat, cum causis inimicitiæ, in Processu exprimendis) Constituat; eumque super objectis, suppressis testium nominibus, examinet. Qui si delictum humiliter fateatur, seu defensionibus renunciet, mitiùs tractandus. Si verò, non obstantibus testium fide dignorum contestationibus, negaverit; ad veritatem eliciendam, jejuniis, aliisque pœnis clausus maceretur. Confitentibus, mitigatæ ordinariæ Canonum pœnæ infligantur; convictis autem per legitimos contestes, sed culpam negantibus, extraordinariæ Ad Sententiam tamen definitivam antequàm deveniatur, defensiones præmittantur, citando Reum ad eas faciendas per se, vel per alium Nostratem intra tempus, à Judice per terminos peremptorios prudenter definitum, faciendas. Quo facto, formetur Sententia; quæ Reo intimetur; & Actis inseratur. * *Vide ad* 226. *a*.

g. Audentes uti Patronis, & Actoribus externis in Causis ad Religiosos, aut etiam Provinciarum Superiores pertinentibus, si fuerint Sacerdotes, triennio Voce activa, & passiva privantur; si Clerici, triennio pariter ad ulteriores Ordines non promoventur; Operarii denique per tres annos ultimum babent locum in Ordine suo ubique. * *Cap. Gen.* 1686.

h. Ex Religiosis autem Domus, in qua Reus constituitur, hujus arbitrio permittantur Patroni. *

Ad 335. Propter Incorrigibiles in carcere detentos ad meliorem frugem reducendos, Operarius exemplaris, & boni consilii, Custos constituatur; qui dictis, & factis eos juvet. Præterea duo Monitores, qui sint Sacerdotes, bis saltèm in singulos menses ad eos mittantur; ut ad resipiscentiam ipsos adhortentur; & cum Custode, tempore carcerationis labente, jurati deponant, quam in illis dispositionem compererint, occasione accessuum, & adhortationum; & an vera præbeant emendationis argumenta. Confessarius præterea probus eisdem provideatur; qui singulis pariter hebdomadis eos invisat, cum interdicto tamen sese quocumque modo in eorum Causis immiscendi. *

a. Ad Ejectionem denique non procedatur, nisi servata forma Decretorum Urbani VIII. & Innoc. XII. de Apostatis, & Ejiciendis, ut præfertur *ad* 334.

Caput III.

De Assistentibus.

339. Quatuor eliguntur Assistentes à Capitulo Generali per secreta suffragia, in levamen Generalis; ne solus rebus agendis obruatur.

340. Virtutum omnium specimine, rerum in primis Regularium polleant experientia.

341. Generali filialiter assistunt; & præbent consilia; ejus valetudinem tuentur; & per Admonitorem, seu Confessarium, ab ipso electum, si opus fuerit, eundem spiritualiter juvant.

342. Assistenti graviter delinquenti, seu vita functo, alius per Generalem sufficitur.

343. Resident Romæ penes Generalem: eorum tamen aliquis, ad breve tempus, ex gravi causa, extra Urbem potest ordinari.

344. Unus ex ipsis idoneus in Secretarium assumi potest à Generali.

NOTÆ.

Ad 339. Quatuor Assistentes Generalis semper eligendi erunt in Comitiis Generalibus, cum Generali; cum eodem ad Sexennium tantùm duraturi. Alex VII. Const. *Cum sicut.* die 28. April. 1660. & Clem. IX. Const. *Ex injuncto.* Uni Generali subsunt. *

a. Votum habent decisivum cum Præposito Generali in electionibus, deputationibus, & mutationibus quorumcumque Superiorum. Item in Causis, & Sententiis criminalibus; nec non in quibuscumque aliis Actibus, qui ex Constitutionibus Religionis, vel Decretis Capitulorum Generalium fieri, seu expediri debent à Præposito Generali, & Assistentibus. In reliquis consultivo tantùm gaudent suffragio. Alexandri VII. Const. *Cum sicut.* die 28. Apr. 1660. & Clem. IX. Const. *Ex injuncto* 23. Octob. 1669.

b. Sunt etiam cum Procuratore Generali, & Provinciali Romano Ordinarii Examinatores Admittendorum ad Habitum in Romana Provincia. *Vide ad* 9.

c. Ferunt ubique suffragium in Locorum Capitulis ad negotia; quemadmodum Procurator Generalis, & Provinciales in Domibus suæ Provinciæ. *Cap. Gen.* 1686.

d. Provinciæ, seu Provinciales nullo pacto ab aliquo ex Assistentibus dependeant, sed à solo Generali. *Cap. Gen.* 1637.

Ad 342. Causæ deponendi Assistentem sunt eædem, propter quas Generalis potest deponi. Eas autem habes recensitas *in Const. n.* 302. *

Ad 343. Assistentes resident in Urbe, in Domo S. Pantaleonis, cum Generali. Alex VII. & Clem IX. *Ibid.*

a. Plures, quàm unus ex Assistentibus, non absint Roma: quod etiam uni vix permittendum; nisi ob rei alicujus momentum aliter Generali cum reliquis Assistentibus videatur. *Cap. Gen.* 1637.

b. Assistentes Generales proximè præteritò, durante Capitulo Generali, habent locum post nuperrimos in eodem electos: alibi suæ Professionis, vel Prælationis. *Cap. Gen.* 1665.

c. Assistentes præterea Muneribus absoluti Vocem habent in Capitulis Provincialibus ejus Provinciæ, in qua fuerint collocati; locum tamen obtinent suæ Professionis inter Vocales, nisi aliô Gradu potiantur. *Cap. Gen. 1665.*

Caput IV.

De Provincialibus.

345. Aucta Domibus Religio, in Provincias à Generali dividatur; eisque Provinciales præficiantur.

346. Hi Charitatem, Mansuetudinem, & Benignitatem JEsu Christi præseferant; exemplo magis, quàm verbo, sibi Subditos gubernent.

347. Habeant suos Consultores; quorum confirmationem à Generali postulabunt.

348. Nullas ferant Leges, aut latas abrogent, inconsulto Generali, nisi rei gravitas dilationem prohibeat; quòd illicò eidem significent.

349. Ordinationum à Generali editarum promovere observantiam teneantur; easque, ad bonum Regimen spectantes, regestas conservent.

350. Archivum, in quo Provinciæ documenta, Successoribus consignanda, collocentur, Provincialis in Loco Provinciæ commodiori componat.

351. Licitum Provincialibus Vicarium usque ad novi Provincialis creationem scripto relinquere, maximè si plurimùm distent ab Urbe, ubi Generalis residere debet.

352. Si poscat necessitas, donec à Generali provideatur, Magistros Novitiorum, & Rectores valeant mutare, vel alios vita functis pro interim sufficere.

353. Debitum ordinem Provinciæ in scholis, classibus, libris perlegendis, & spiritualibus exercitiis tueantur.

354. Singulis annis, ad ordinem, & Observantiam continendam in Domibus, per se Provincias visitent, seu legitimè impediti, Visitatorem expediant.

355. Eucharistiam in primis, Ecclesiam, Sacrarium, & Valetudinarium lustrent. A Superioribus sciscitentur, an aliquis excessus, an suspectæ familiaritates, an Catechesis in Scholis, & Ecclesia habeatur? an Infirmis Charitas, & eleemosinæ pauperibus impendantur? A Subditis autem, quid de Superiore, Aliisque sentiant, percunctentur. Officinas tandem cubicula, & lectos, ne quid superfluum, & indecorum habeant, rimentur.

356. Tertio quoque anno, de Generalis facultate, Capitulum Provinciale pro gravioribus Provinciæ negotiis tractandis, tempore minùs incommodo convocent.

357. Conveniat ad Comitia Provinciæ quilibet in ea Rector, cum Socio, per plura secreta suffragia in singulis Domibus electo.

358. Locorum Præpositi, legitimè impediti, ad Provinciæ Congressum, loco sui, alium expediant.

359. Præses, qui Capitulis Provincialibus intersit, potest à Generali ordinari.

360. Cujusque Provinciæ comitiis, vel Provincialis, vel, eo impedito, Primus ejusdem Assistens præsideat.

361. Provinciarum Capitula eodem Ritu celebrentur, quo Generale.

362. In ejusmodi Provinciarum Cœtibus eligantur duo Vocales, ad Capitulum Generale progressuri.

363. Ibi per Provinciales confirmantur, vel abdicantur Confessarii, Concionatores, & Lectores; dummodò ab ipso Generali non fuerint approbati: & Familiæ disponuntur.

364. Deputent in singulis Domibus rerum spiritualium Institutorem: cujus sit cum Superiore Observantiam tueri, & præesse Junioribus, ac si esset Magister Novitiorum.

365. Junioratus ad triennium, & ultra, Superiorum arbitrio definitur.

366. Rectores eligunt Sacristas, Bibliothecarios, Infirmarios, Janitores, Custodes Cœnaculi, Vestiarii, & Dormitorii; Excitatores ad Orationem, ciborum Emptores, & Quæstores eleemosynarum; aliquos pariter Magistros pro interim, donec à Provinciali provideantur.

367. Semel singulis hebdomadis Rectores ad Provinciales; singulis autem saltèm mensibus Provinciales ad Generalem de rebus occurrentibus scribant.

368. Liberum cuique, cum opus fuerit, scribere ad Generalem; cujus literæ à nullo aperiantur, nisi ab eo, cui fuerint inscriptæ.

NO-

NOTÆ.

Ad 345. Si Generali expediens non videbitur novæ Provinciæ erectio, poterit Viceprovincia ab eodem institui, & Provinciæ sibi benè visæ aggregari; eique Viceprovincialis præfici, cum Privilegio conveniendi ad Comitia prædictæ Provinciæ, tanquam Vocalis, & utendi Provincialium Juribus in suæ Viceprovinciæ Domibus regendis: locum autem habeat ubique immediatè supra Rectores, & Assistentes Provincialis. At Viceprovinciales inter se antiquitatis Viceprovinciarum ordinem servent. Qui verò in tota Provincia vices Provincialis gerit, Vicarius Provincialis appelletur. *

a. Provinciales, prout reliqui Superiores, de consilio, & Voto Assistentium à Generali eliguntur. Alex. VII. Const. *Cum sicut*, & Clem. IX. Const. *Ex injuncto*. A solo Generali cum suis Provinciis dependent. *Cap. Gen.* 1637. *Vide ad* 339. f.

b. Singulis Provinciales in singulis Domibus Clausuram definire tenentur, ad formam Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum. *Cap. Gen.* 1677.

c. Provinciales nullo quæsito colore à suis Provinciis egrediantur, verùm ibi resideant in Locis ad correspondendum cum Generali, totaque Provincia opportunioribus. *Cap Gen.* 1637.

d. Eorum pariter curæ commissum, ut in sua Provincia Humaniorum Literarum, Arithmeticæ, Characterum, Matheseos, Philosophiæ, atque Theologiæ Moralis, & Scholasticæ Studia, ad Generalis præscriptum, promoveant; attendantque, ne ulli, nisi ex causis suo loco recensitis, eadem differantur; seu intermittantur. *Ex Cap. Gen.* 1665. * *Vide ad* 248. & *ad* 252. *a.* & *seq.*

e. Interdictum Provincialibus, transmittere Subditos extra Provinciam, inconsulto Generali; & Rectoribus, in alienam Domum, inconsulto Provinciali *Cap. Gen.* 1677.

f. Declaratum, Provinciales posse ferre suffragium tantùm in Capitulis Locorum suæ Provinciæ, ad negotia congregatis. *Cap. Gen.* 1686.

Ad 346. *Vide* 138. & *ad* 138.

Ad 347. *Vide ad* 9. *e.* & *ad* 13.

a. Assistentes Provincialis votum habent in Capitulo Provinciali, & locum ante Rectores, eo durante Capitulo. *Ex Cap. Gen.* 1665.

b. Suos Assistentes initio Regiminis quisque Provincialis Generali nominat ex aptioribus suæ Provinciæ, qui frequentiùs penes se possint residere. *Cap. Gen.* 1683. Non sint autem unà Rectores, nisi expressa Generalis Dispensatio ex causis benè visis accedat. *Cap. Gen.* 1692.

c. Declaratur, Provincialium Consultores habere suffragium decisivum, secretò præstandum, in Vicerectorum, & Promagistrorum Novitiorum nominationibus; Confessariorum pro Sæcularibus, Lectorum, & Concionatorum deputationibus; prout in admissione Novitiorum, & in Criminalibus; in reliquis consultivum tantùm. * *Ex Cap. Gen.* 1692. Propterea virtutibus, & doctrina eminent. *Cap. Gen.* 1637. *Vide ad* 9. *d.* e.

d. Si per accidens Provincialis non habeat secum sibi Assistentes, per literas eorum consilia requirat *Reg. Prov. n.* 2.

Ad 349. Tenentur Provinciales in singulis Provinciæ Domibus, non tantùm publicare, sed in primis attendere, ut observentur Capitulorum Generalium Decreta, quæ vigent; horum exemplaria authentica, in Archivis conservanda, ad easdem domos transmittendo. *Cap. Gen.* 1637. *Vide pag.* 33.

Idem de Generalium pro tempore Ordinationibus. * *Vide n.* 349.

Ad 350. Archivum Provinciæ fiat in ea Domo, ubi frequentiùs Provincialis residere consuevit: Ibidem autem asserventur Ordinationes Generalis, & libri rerum, quæ ad Gubernationem, & usum Provinciæ communem pertinent; ut valeant Successoribus tradi. *Reg. Prov. n.* 6.

a. Superiores quicumque majores, & minores tenentur Archivum Successoribus consignare, cum respectivis rerum omnium inventariis, aliisque, ad Officium spectantibus, intra quindecim dies. *Cap. Gen.* 1671. *Vide ad* 226. e

b. In Archivis Localibus per seorsivos libros, vel capita, sit regestum Documentorum omnium Fundationis, accessus, & recessus Superiorum, & Subditorum: obitus Nostrorum, Renovationis Votorum, Decretorum Cœtuum Generalium, & Provincialium, Ordinationum Generalis, Epistolarum notabilium ejusdem, & Provincialis; Visitationum, & earum Ordinationum; Lectionis tempestivæ Bullarum cum duorum Sacerdotum fide. *Cap. Gen.* 1692. Rerum memorabilium, & quorumcumque Actorum Capitularium ejus Domus, semper à majori saltèm parte Capituli subscriptorum: *Cap. Gen.* 1637. & eorum, qui Filiatione Religionis donati fuerint. Quæ quidem Filiatio, nisi probata causa à Generali, vel saltèm Provinciali in sua Provincia, aut Viceprovinciali in sua Viceprovincia, nulli omninò tradatur; aliàs invalida censeatur. *

c. Archivum, tàm Locale, quàm Provinciale, aut Generale duplici diversa clave custodiatur; quarum una sit penes Rectorem, altera penes Archivistam, seu, quod idem est, Secretarium Domus, si de Locali; si de Provinciali, una penes Provincialem, altera penes unum ex suis Assistentibus; si de Generali agatur, ejus custodia uni ex Assistentibus, & Secretario suo à Generali committenda. * *Ex Cap. Gen.* 1637.

d. In omnibus Archivis Documenta quæcumque respectivè sedulò serventur; eorumque suis locis, & pluteis ritè distributorum Index habeatur; nec aliquid ab ejusmodi Archivis extrahendum, nisi de facultate Rectorum à Localibus, Provincialium à Provincialibus, & Generalis Præpositi à Generali: neque sinè testimonio, Archivistæ tradendo ab asportante: quæ quidem Scripturarum extra-

ctio ad brevissimum tempus tantùm, & ob graviores causas concedenda. *Ex Cap. Gen.* 1637.

Muneris autem Archivistarum est, non solùm solers custodia, sed etiam, ut Scripturæ alicujus momenti authenticæ in Archivis habeantur, cum altero saltèm simplici exemplari. * *Ex Cap. Gen.* 1637.

Provincialium, & Superiorum Localium sedulitati commissum, authentica Fundationis cujusqoe graviorum Contractuum, ac Documentorum exemplaria statim ad Archivum Generale transmittare; ut, siqua emergat controversia, usui esse possint in Curia *Cap. Gen.* 1659. Idem de Viceprovincialibus intelligendum. *

Ad 351. Provincialis, gravi morbo correptus, potest scripto relioquere Aliquem, qoi suas vices gerat usque ad oovi Provincialis creationem; præsertim, si Provincia distet ab Urbe; nequeatque per Generalem cum Assistentibus celeriter provideri de Successore. Quòd si noo reliquerit; Primus ejus Assistens, donec provideatur, Provinciam guberoet. *Reg. Prov. n.* 15.

Ad 353. Singulis annis, ad festum Sanctissimi Nominis Mariæ, Provincialis catalogum Magistrorum pro singulis classibus, & Præfecti Scholarum, cum aliis Officialibus, à se constituendis, pro uosquaque Domo dispositis tempestivè mittat ad Rectores, ut ad instaurationem Studiorum, quid quisque agere debeat, non ignoret; imò, ut præmonitus ad Ministerium, ex Obedientia commissum, possit ritè se præparare. Quod quidem faciendum, etiamsi Magistri, aut Officiales confirmentur: statimque ad Generalem omnium ejusmodi collocationum catalogum, cum indicatione Ministeriorum cuique collatorum, quotannis transmittat. *

a. Neminem ante triennium in Domo alique consummatum amoveat; oisi ex causis non levibus citiùs quis videatur transferendus. *Cap. Gen.* 1637.

b. Cæterùm ex Familiis, nec primi, oec secundi Novitiatus, exceptis personis immediatè à Generali collocatis, liberum Provincialibus mutare, quos in Domino expedire judicaverint. *Ex Reg. Prov. n.* 9. Præcipuum sui Muneris est, Magistros omninò habiles singulis classibus destinare. *Ibid. n.* 8.

Ad 354. Consultum Provincialibus, ut cum procedunt ad Visitandum, alterum saltèm ex Assistentibus secum habeant. *Cap. Gen.* 1641. qui Secretarium agat. *

Provincialium, quemadmodum etiam aliorum Visitatorum sumptus viatici, ex causa Visitationis, habita cujusque Domus Visitatæ proventuum ratione, pro rata, ab eisdem Domibus erogentur. *Cap. Gen.* 1659.

a. Inviolabiliter singulis annis Provinciam suam Provincialis per se, aut legitimè impeditus, per alium, qui qualitatibus, à Const. n. 376. requisitis, sit præditus, visitabit. Inter alios autem articulos, à singulis cujusque Familiæ, sub formali Præcepto de veritate dicenda, & silentio servando (Idem Præceptum in Visitationibus Personarum quilibet Visitator semper imponat) diligenter requiret, quisoam ex Nostris in ea Domo virtute aliqua præcipua, uempe Regularis Communitatis Observantia, Charitate, Doctrina, Sedulitate in Instituto, Prudentia, in rebus agendis Peritia, ac Dexteritate, vel singulari aliquo Talentu, Indole, Idoneitate, vel Industria sit insignitus. Omnium verò depositionum fidelissimum Summarium, ab Actis Visitationis extractum; suo vero, & Assistentium suorum juramento, pro veritate, firmatum, & sub formali secreto ab eisdem contiuendum, ad Generalem illicò transmittet. *

Ad 355. *Videnda Synopsis Rituum Visitationis Regularis instituenda.*

Ad 356. Provinciales primo Generalatus triennio præmaturè moneant Generalem, an adsit justa causa celebrandi Capitulum Provinciale intermedium; quod oon aliter, quàm præscribat Constitutio, convocandum. * Singuli præterea Rectores semestri ante Provincialatus absolutionem, de bono, vel malo suorum Provincialium Regimine per juratas literas Generalem informabunt. *

a. Capitulo Provinciali celebrando definitur tempus Vacationum autumnalium. *Reg. Prov. n.* 11.

Ad 357. *Vide Synopsim Rituum habendi Capitula &c.*

a. Capitulum Locale, ad electionem Vocalis ad Capitulum Provinciale, neutiquam celebrandum, ubi, præter Rectorem, saltèm tres de Familia non existunt; ex quibus duo ad minus Vocem habeant passivam, & unus activam *Cap. Gen.* 1683. Secùs, solus Rector accedat ad Capitulum Provinciale. *Cap. Gen.* 1683. & 1686.

b. Servetur in Capitulis nostris Localibus Decretum Sac. Congregationis die 7. Februarii 1648. decernentis, *Collocatos de Familia in aliquo Conventu, nisi per tres menses immediate proximos Capitulo celebrando ibidem continuo permanserint, non habere votum in electionibus.*

c. Propterea in Hospitiis residentes, nisi verè sint membra alicujus Domus formatæ, de cujus Capituli gremio ceoseri debeant; nullibi Vocem habeant in Capitulis, donec Residentia, in Domum formalem adulta, per se subsistat. *

d. Quandocumque Provincialis Capitulis Localibus, aut Aliquis oomine Generalis, vel Provincialis Capitulis Localibus, aut Provincialibus electionum præsideat, in eis non ferat suffragium, nisi aliàs Præses sit de gremio illius Capituli. *Cap. Gen.* 1686. si de negotiis tamen agatur, fruitur suffragio, ut dictum est. *Cap. Gen.* 1686.

e. Pro observantia Decretorum Clementis VIII. editorum die 25. Junii 1599. confirmatorum ab Urbano VIII. præcipientium, in Superiorum, & Officialium omnium electionibus formam præscriptam à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servari; Vocales Domorum nostrarum, ad Capitulum Provinciale accessuri, oon per vota supra medietatem, sed per plura secreta suffragia, sicuti Constitutio nostra, cum specificis derogatoriis quorumcumque obstantium à Sede Apostolica approbata, *ut in Parænesi n.* 6., præscribit, eligantur: & in Votorum paritate antiquior in Professione habeatur pro electo. *

f. Ex

f. Ex vi eorundem Decretorum (quandoquidem Constitutio nostra electionem per calculos non exprimit) quoties in Generali, vel Provinciali Capitulo, post quintum Scrutinium per Schedulas, electio per vota supra medietatem non habebitur; quinque Compromissarii, ut infra subnectitur, eligendi; Alterum ex duobus, qui plura supra cæteros vota favorabilia in eodem quinto, & ultimo Scrutinio habuerunt, eligere debebunt. Quòd si Unus tantùm plura, quàm cæteri, vota habuerit; & duo, vel plures sint in paritate votorum, prior ille Unus cum Antiquiore ex posterioribus Professo proponatur Compromissariis, ut alteruter eligatur: si verò multi sint in paritate votorum; & non excedantur ab aliquo, duo ex his antiquiores Professi proponantur Compromissariis, ut præfertur.

g. Pro Electione, non nisi per Schedulas habenda, Secretarii, & Adjuncti in omnibus Capitulis, & quinque Compromissariorum, per singula Scrutinia eligendorum in Capitulis Generali, & Provinciali, non requisito excessu supra medietatem, sufficit Votorum pluralitas. *Cap. Gen.* 1683. 1686. *&* 1692. In paritate autem votorum, quorum numerus ab alio non excedatur, Antiquior Professus habeatur pro Compromissario, vel Secretario, vel Adjuncto electus. *Cap. Gen.* 1683. *&* 1686. *Vide ad* 277. *a.*

h. Illi duo, de quorum uno eligendo fit Compromissio, non ferunt suffragium in electione Compromissariorum. *

Ad 358. Rectores, qui nolunt accedere, vel legitimè impediti, ad qualecumque, etiam Intermedium, Capitulum Provinciale non accedunt, pœnam ipso facto Suspensionis ab Officio incurrant, nisi aliquem, utraque Voce in sua Familia gaudentem, substituant loco sui; qui Substitutus utraque pariter Voce in Capitulo Provinciali fruatur, tanquam esset ejusdem Rectoris Persona; inter simplices tamen Vocales in ordine suæ Professionis. * In Capitulis Localibus examinentur, & Actis Capitularibus inserantur, quæ in Capitulo Provinciali erunt tractanda; sicuti etiam in Capitulis Provincialibus discuti debent, & in Actis rescribi ea, quæ Generalibus Comitiis erunt proponenda. *Cap. Gen.* 1671.

a. Siquis nequeat ob infirmitatem Actibus Capituli Localis interesse, & existat in ea Domo, in qua celebratur Capitulum, gaudet utroque suffragio; quod etiam de Capitulo Provinciali, & Generali, ut dictum est. * *Cap. Gen.* 1683. Tunc autem Secretarius, & Adjunctus ad illum, qui aliàs Juri suo omninò impunè cedere potest, accedunt cum urna, antequàm ulla alia Schedula sit immissa; & Infirmi suffragium in eadem Urna clausa, cujus clavis remaneat penes Capituli Præsidem, per rimulam excipiunt, & ad locum Capituli reportant. *

b. Vocales renuentes, absque necessitate, de qua constet authenticè, Capitulis Localibus, seu Provincialibus ad electiones, vel Intermediis interesse, si hoc ad eos de Jure spectet, loco suæ Professionis per triennium privantur; in Localibus autem ad negotia, per sonum. *Cap. Gen.* 1686. Hic advertendum, eos, qui possunt ex Privilegio accedere, prout Exgenerales, Exassistentes Generalis, Exprovinciales, Exprocurator Generalis, & Assistentes Provincialis actuales esse ab ea pœna immunes. *Ibid.* Limitationem de Exprovincialibus *vide ad* 368. *d.*

c. Qui de Jure ad Capitulum aliquod, qualecumque illud sit, accedere debet, si legitimè impeditus accedere non valeat, authenticum in scriptis testimonium de legitimo suo impedimento ad idem Capitulum transmittat: secùs verò pœnas renuentium accedere, ipso facto incurrat. *

Ad 360. Si Provincialis, aut Primus Assistens, vel alius quicumque, qui sit de gremio Capituli Provincialis, decernatur in Præsidem à Generali, habet Jus ferendi suffragium. *

Ad 361. *Vide n.* 263. *usque ad* 318. *tàm in Constitutionibus, quam in Notis, & Synopsim Rituum habendi Capitula.*

Ad 362. In Comitiis omnium Provinciarum, præter duos Vocales, eligi solitos ad Capitulum Generale, Tertius eligatur, qui alterutrius quoquomodo impediti vices gerat. *Cap. Gen.* 1665. Item, siquis Eorum interea moreretur *Cap. Gen.* 1686. Quod etiam de Provinciali pariter præpedito, seu defuncto intelligendum. *Cap. Gen.* 1683. *&* 1686. Cæterùm, neque Provincialis, neque Vocales ejusmodi possunt loco sui alium, seu alios ad Capitulum Generale sufficere. *Cap. Gen.* 1677.

a. Quomodolibet autem Tertius ejusmodi electus vices alicujus suppleat, locum habet suæ Professionis, vel Dignitatis. *Cap. Gen.* 1683.

b. Pro ejusmodi Vocalibus, ad Capitulum Generale convenientibus, singulæ Provinciæ, excepta Romana, triginta Romana scutata pro sumptibus erogant Domui Professæ Romanæ, in qua Comitia Generalia celebrantur. *Cap. Gen.* 1671.

c. Provinciales, aut Provinciarum Vocales de Provincialium mandato deferant ad Capitulum Generale Compendia historica Vitarum Religiosorum singularibus virtutibus Insignium; qui eo sexennio piè diem clauserunt in suis Provinciis, ad posterorum ædificationem; quemadmodum etiam cætera, quæ per singulas Domos, memoratu digna, in eodem sexennio acciderint. *Ex Cap. Gen.* 1629.

d. Præter assertos Vocales, sex pariter ibidem eligantur Patres ex Gravioribus; de quorum consilio; & assensu in singulis Provinciis Provinciales definiant super Causis Incorrigibilium: quorum tamen Consultorum, & Sententiarum, contra Incorrigibiles prædictos prolatarum, à Generali Confirmatio petenda. *Decr. Innoc. XII. P. M.* 1. *Martii* 1693.

Ad 363. De Familiis disponendis, *vide ad* 232. *&* *ad* 35. *b.* Ubi nullam in quibusdam suarum Provinciarum Domibus Jurisdictionem habere Provinciales recensentur. Ideoque in eis Authoritate sua Ordinaria Visitationem non instituant, Processus non forment, Personam ullam de Familia non collocent, aut amoveant; neque Confessarius, Concionatores,

Ordinandos, vel Officiales promoveant. Cæterùm tanquam Provinciales Præpositos se gerant. Ita pariter Viceprovinciales respectivè in suis Viceprovinciis. *

a. Status cujusque Domus in Capitulo Provinciali accuratè censeatur, conferendo præsentem Domorum statum cum immediatè præterito; ut majores, & minores Rectorum in omnibus pateant. Quicumque autem Rector statum ejusmodi, non detulerit, à duobus saltem Sacerdotibus suæ Familiæ subscriptum, Voce careat in electione Vocalium pro ea vice.*

b. Renuentes prædicto statui subscribere, causam negatæ subscriptionis per secreta literas ipsi Rectori, seù Vocali consignandas, vel alia via dirigendas, apud Povincialem seorsim producant. *

c. Eadem pœna mulctantur Superiores Locorum, qui suis temporibus contributiones omnes exoluisse per testimonia, à Procuratore Generali collata ibidem non docuerint. * *Vide ad* 331. *c.*

Ad 364. *Vide* 247. *cum Notis usque ad* 256.

a. Præter Spiritualis Institutoris deputationem, commissa Provincialibus cum suis Assistentibus Vicerectorum nominatio: qui nimirùm Rectoris absentis, aut legitimè impediti vices gerant. Verùm Hi sint à septennio saltèm Professi, & à triennio Sacerdotes. Habeant autem in Domo tantùm sui Vicerectoratus locum post Rectorem *Cap. Gen.* 1671. Nec alio, quàm Vicerectorum nomine vocentur. *Cap. Gen.* 1637. Eorum eligendorum Ritus est: ut à Provincialibus præsententur; à Generali confirmentur: sintque ad nutum Generalis amovibiles. *Cap. Gen.* 1671. Imò in Vicerectorum nominatione, à Provincialibus facienda, requiritur votum decisivum Consultorum Provinciæ: poterit tamen Generalis, vel propositos confirmare, vel alios, pro arbitrio, eorum loco sufficere. In eum finem institutus Vicerector, ut vel ipse, vel Rector omninò semper Domum custodiat. Absente verò Rectore, aliam sibi non usurpet Authoritatem, quàm omnimodæ, cum Juribus Rectoris, Observantiæ invigilare, atque Instituto: nequeat verò, nisi mandatum expressum habeat, vel sit Vicerector in Capite, vel ea sibi facultas fuerit delegata, Capitulum pro quacumque re congregare; at siquid ejusmodi rerum contingat, ad reditum Rectoris differat; cui quidquid momenti acciderit, renunciet. *Cap Gen.* 1692.

Ad 365. *Vide ad* 250. *&* *ad* 256. *d.*

Ad 366. Sacrista curet, Missarum obligationibus apprimè satisfieri; habeatque libros, in quibus ejusmodi obligationes cum Intentionibus offerentium conotentur, ad formam Constitutionis novissimæ Sanctissimi D N. Innocentii Papæ XII. super celebratione Missarum, editæ 22. Decembris 1697. cum sedula rerum omnium in prædictis literis Apostolicis præscriptarum observantia. Item, Regestum singulorum Sacerdotum, quotidie celebrantium. Officiosè, modestèque Sacerdotes ignotos, absque Testimonialibus ad celebrandum confluentes, dimittat; Rerum Sacrarum Inventaria instituat. Omnia mundè pergat, & custodiat; maximè, quæ circa Sacrum Convivium. Claves Ecclesiæ noctu Superiori custodiendas deferat. Onerum perpetuorum expositum habeat in Sacrario catalogum. Alternis saltèm diebus Ecclesiam purget; singulis autem octo diebus Aquam lustralem renovandam curabit. Collocutiones tamen in primis, atque strepitus quoscumque arcebit à Sacrario, & Ecclesia, verbis, & exemplis, alios commonendo. *Reg. Sacr. &* *P.* 1, *c.* 8. Const. *n.* 82. *&c.*

e. Bibliothecarius sit Vir eruditus; paratum habeat totius Bibliothecæ inventarium, ritè ad libros facile in pluteis inveniendos confectum; nullum patiatur librum asportari, nisi priùs inter Commodatos descriptum, & nisi facultas Superioris accedat. Semper compositam, & mundam Bibliothecam teneat, libros à pulvere, tineisque reparando. Solertique cura novis libris augeri Bibliothecam quærat, suggerendo Rectori, quotannis opportunè cumulandam, ex præscripto *Cap. Gen* 1683. *Reg. Bibl.*

b. Infirmarius (præter ea, quæ dicta sunt *Const. n.* 91. *& seq. cum Notis*) sit Solertia, & Charitate præditus. Bis in mense, vel etiam frequentius deferri ad ægrotos Eucharistiæ Sacramentum satagat; aliisque Sacramentis tempestivè muniri, antequàm usum judicii amittant. Item suæ curæ sit, ut aliqui moribundis assistant, ad actus Contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis leniter adhortantes: Cum quis in ultimo vitæ conflictu constituitur, ad orandum pro morituri anima convocet signo Campanulæ Communitatem. Semper adsit Medico advenienti, ut ejus ordinationes ad unguem observandas, circa victum, & medicamenta scripto excipiat Observet synthomata, ut de ipsis Medicum certiorem reddat. Sedulò munditiem in cellis, & lectulis Infirmorum curet, lectulos quotidiè sternendo; sordes vel minimas abstergendo: flosculis etiam, & ramulis, ad exhilarandum ægrotum, & ad suffitum avertendum ornet; semper autem religiosissimè infirmos alloquatur, & patienter ferat. *Reg. Infirm.*

c. Janitor ante primam horam noctis fores claudat, clavesque ad Superiorem deferat; quas manè ab eodem recipiat. Sit modestus, discretus, ætate gravis, & sedulus. Pauperibus, & reliquis adventantibus benignè respondeat. Mulieres autem perpaucis expediat; Domesticos ab Externis conquisitos admoneat campanula. Tempore tamen Orationis, & Mensæ neminem vocet, nisi aliter negotii gravitas, & Personarum dignitas requirat. Preces ab Exeuntibus, & Redeuntibus dici consuetas juxta *Rit c.* 5. *n.* 8. cum Aqua lustrali habeat alicubì expositas, cum singulorum nominibus in tabella descriptis: itaut quisquis egreditur, apponat, revertens autem, proprio nomini signum detrahat. Statis temporibus aperiat, & claudat Gymnasia. Signo particulari moneat Infirmarium de Medico adventante; nullas literas, nullum Depositum, sinè Rectoris venia, cuiquam reddat, vel conservet. *Reg. Jan.*

d. RefectoriiPræfectus munditiem ubique procuret; manibus abluendis, & abstergendis aquam, & mantilia custodiat; nihil sinè placito Superioris cuiquam tradat; reliquias Mensæ Coquo reddat, seu Dispensatori. Catalogum familiæ ponè suggestum Lectoris habeat; à quo in fine Cœnæ Sabbati proferantur nomina Ministrorum sequentis hebdomadæ: qui sunt: Hebdomadarius, Lectores ad primam, & ad secundam Mensam; & Inservientes utrique. Separata pro Hospitibus, & Valetudinariis sit Mensa: qui Valetudinarii, tempore saltem Adventus, & Quadragesimæ, si cibis Paschalibus utantur, conveniant

aut signo aliquo dato, per semihoram ante Communem. *Reg. Praef. Refect.*

e. Vestium Custos, tùm laneam, quàm lineam supellectilem ritè dispositam, resartam, & mundam in communi Vestiario custodit: quam juxta cujusque indigentiam distribuit, & purgari, ac innovari procurat. *Ex Reg. Cust. Vest.*

f. Dormitorii Praefecti Munus est munditiem per totam Domum Regulariter promovere; adeoque, ut bis in hebdomada scopis mundetur; araneae, pulveresque discutiantur; parietes instaurentur; fenestrae tempestivè claudantur, & aperiantur; lampas tota nocte colluceat; & quidquid ornatui Religioso sit opportunum, per Sacras, & eruditas Imagines, diligenter apud Superiorem promoveat. *

g. Excitatoris ad Orationem, qui Munus etiam Horarii, vel Invisoris Dormitorii potest exequi, erit vespere per triplicem tinnitum campanulae dare signum ad quietem nocturnam, quadrante, scilicet, circiter post benedictionem vespertinam. Indè lustret cubicula, moniturus, ut lumina non extincta extinguantur; nisi quis à Superiore licentiam habeat pro aliqua vigilia nocturna. *Reg Excit.*

h. Emptor ciborum sit rerum comparandum peritus, & fidelis: honesto pretio res emat; easque cum pretio in suum Diarium referat, rationem redditurus Rectori, aut Oeconomo singulis diebus de sumptu quocumque. Nulla in comparando verba, nisi religiosa, proferat, quae Charitatem sapiant, & Modestiam, ad eorum, cum quibus agit, aedificationem. Res emendae sapiant quidem simplicitatem; caveat verò à noxiarum provisione. *Reg. Coq.*

i. Quaestores eleemosynarum diligenter quaerant, fideliter custodiant, devotè petant, modestè respondeant, parcè interrogent, exemplariter ambulent; patienter ferant contumelias. Petas pendentes ab humeris; Deiparae Rosarium, seu Coronam prae manibus habeant & pro Benefactoribus orent. *Reg. Quaest.*

k. Consuevit praeterea in suis Domibus Rector Praefectum rerum sacrarum, Receptorem Hospitum, Dispensatorem, & Coquum instituere.

l. Praefecti rerum Sacrarum canones habentur *in Const. num.* 82. *usque ad* 90. *cum Notis.*

m. Receptor Hospitum cellas pro illis destinatas, ad munditiem, custodiat; religiosa hilaritate semper eosdem recipiat, & cum illis agat; à nimia familiaritate cavendo; Hospitum lectuli culcitris, cervicalibus, & pulvinaribus mundis sternantur. Siquid per oblivionem ab Hospitibus relinquatur, nunciet Superiori. Hospites Nostros, prout opus erit, statim refici, eisque pedes lavari curabit, addito Mensae communi uno, vel altero ferculo per triduum, & ultra, si diuturnum, & laboriosum Iter fuerit. *Ex Reg. Recept. Hosp. Vide ad* 167.

n. Dispensator Penum custodiat; in quo rerum ad victum spectantium curam habeat; nihil dispenset, nisi de Superioris mandato; nihil dissipet; nihil sinat corrumpi; nihil distrahat; necessaria petentibus, ad nutum Superioris, non deneget; sed neque superflua largiatur. *Off. Disp.*

o. Coquus aequam omnibus portionem eundem ferculorum numerum in utraque Mensa, nisi aliter Superior, vel Infirmarius ordinet, impertiatur. Nemini cibos peculiares, inscio Superiore, ministret. Summopere nitori cum Paupertate in cibis, & in reliquis, ad Culinam pertinentibus, omninò studeat. Quae supersunt ex Mensa, conservet, seu, ad Rectoris praescriptum, Pauperibus distribuat. *Reg. & Off. Coq.*

p. Rector curabit, rerum omnium ejus Domus, cui praeficitur, Inventaria continuò fieri: quorum unum in Archivo Locali, alterum in Provinciali asservetur. Cum verò alicui Officium demandat, rescriptum illius Officinae Inventarium de rebus tunc existentibus consignet; quòd si novi aliquid eidem Officinae accedat, Inventario inscribatur, quemadmodum consumpta deleantur. *Reg. Rect. num.* 20. *Vide ad* 226. *b.*

Ad 367. Res à Rectoribus ad Provincialem scribendae, sunt: Casus extraordinarii; Eleemosynae insigniores; Status Domus, & Scholarum; Valetudo Religiosorum; Culpae graviores; Expensae extraordinariae supra decem aureos factae; quae nonnisi de consensu Capituli fiant; Actus literarii celebriores, & quomodò se quisque gerat in Munere. * *Reg. Rect. n.* 18.

Ad 368. *Vide ad* 137. Hic praeterea recolenda injuncta circa Recursus observantia; nimirum, Subditi gradatim à Rectore ad Provincialem; à Provinciali ad Generalem, occasione gravaminum, Recursum habeant, Superiore minori, à quo appellatur, informante statim de causa Majorem: ad quem quis appellat. *

a. Quidquid facultatum, seu Indultorum quis à Generali, seu Provinciali obtinuerit, nisi de secretis agatur, statim Superiori Locali, vel etiam Provinciali respectivè communicet. *

b. Caveat quisque, ne quenquam falsò accuset; secùs, deficiens in Probatione, poenam Talionis patiatur. *Can. Poen. c.* 8.

c. *De literis missivis, videnda Nota ad* 137.

d. Qui per triennium fuerit Provincialis, & non ob culpam ab eo Munere depositus, votum habet in Capitulis Provintialibus ejusdem tantùm, cui praefuit, Provinciae, si tunc ibi ea commoretur. *Cap. Gen.* 1665.

CAPUT V.

De Visitatoribus.

369. Visitatores pro excolenda Observantia, ad Provincias, vel Domos, Generalis arbitrio, ordinantur.

370. Visitator lustrat Sacrum Convivium, Sacrarium, Supellectilem Domus, & Ecclesiæ; singulas Officinas, Cubicula, Rationes Dati, & Accepti.

371. Infirmos adit, audit, & consolatur.

372. Personas auditurus, præmonet, ne dicenda taceant; ne silentio premenda, & emendata producant.

373. Scitatur à singulis de Regularis Observantiæ, atque Concordiæ cultu; de Scholarum Piarum Instituto; de Magistris; de Oratoriis, & Christiana Catechesi.

374. A quibus sibi videbitur, exiget conscientiæ rationem.

375. De initæ Visitationis exitu, rebusque in ea compertis instructum reddet Generalem: qui pro rerum necessitate consulat.

376. Sit Visitator Idea virtutum: utatur victu communi: & à Nostratum Consanguineis nihil munerum admittat.

377. A Domibus Visitatis Viaticum suppeditetur Visitatoribus.

378. Rebus, quæ præsens remedium postulant, pro sua prudentia consulat; statimque de rebus, & remediis Generalem certiorem faciat.

379. In eos, qui vel publica, vel privata censura digni comperti fuerint ex Visitatione, prudenter animadvertat.

NOTÆ.

Ad 369. In adventus, & discessu Visitatorum (prout Generalis, Provincialis) dato statim signo campanulæ, tota ejus Loci Familia occurrat in obsequium, & ab eis genuflexa petat benedictionem. *Rit. c. 8.*

a. Tempore Visitationis Authoritas Rectoris sileat; nisi aliter Visitator promulget. *Ibid.*

b. Visitatores Generales præcedunt Provincialibus, non solùm tempore Visitationis, sed etiam quandiu non fuerint à Generali revocati. *Cap. Gen.* 1637. & 1683.

c. Ejusmodi Visitatores, aut Commissarii ferunt quidem suffragium in Capitulis Locorum ad negotia, non autem ad electiones. *Cap. Gen.* 1686.

Ad 370. *Vide Synopsim Rituum pro Visitationibus &c.*

Ad 372. Moneat omnes, antequàm personarum Visitationem aggrediatur Visitator, ne odio, vel rancore, seu privatis affectibus duci se sinant in deponendo; sed unius Observantiæ, bonique ordinis Zelo, ac desiderio ducantur. *Reg. Visit. n. 4.*

Ad 374. Ad Observantiæ Regularis perfectionem summopere pertinet, ut interioris hominis ratio Superiori exactè reddatur: & cum hac in re cœperit defectus obrepere, veri Spiritus fervor in Religione minuitur, ac deficit. *

a. Tàm in exigenda, quàm in reddenda conscientiæ ratione referendum quidquid intrinsecùs latet, scilicet: An quis Vocatione contentus vivat? Quò cultu quis Obedientiam, Paupertatem, Castitatem, Institutum Scholarum, & Solemnem Graduum omnium abdicationem ex animo prosequatur? Quibus maximè perturbationibus, ac tentationibus, quis prematur? & quæ illis reluctandi ratio, & facilitas? Quibus potissimùm vitiis trahatur? Quas inspirationes, & ad quas virtutes propensionem præ cæteris habeat? Quæ sibi Constitutionum, & Regularum sit gravior? Quid sentiat de mediis à Religione propositis ad perfectionem assequendam? Utrùm habeat aditum ad mentaliter, & vocaliter orandum? An spiritualibus affectus? An tædium, ariditatem, & vagationes inter orandum patiatur? Utrum à Sacramentorum frequentatione, aliisque spiritualibus exercitiis, & maximè à reddenda conscientiæ ratione robustior fiat in via Domini, nec ne? Quæ sit in Regulari Observantia sedulitas? Quas privatim exerceat mortificationes? An aliquem peculari affectione, seu aversione prosequatur? An filialiter cum Superioribus agat? & ejusmodi; quæ hominem interiorem dirigendum recludunt. Pro quibus omnibus Visitatores, & quicumque conscientiarum rationem excipiunt, parata habeant spiritualibus morbis antidota, doctè, fortiter, suaviter, & opportunè applicanda: meminerint autem quidquid ea occasione audierint, sub arctissimo secreto fidei suæ concreditum. *

Ad 377. Quemadmodum Provincialium, ita & Visitatorum Generalium sumptus viatici à Domibus Visitatis exigantur, habita inter eas reddituum ratione. *Cap. Gen.* 1659. Quòd si Visitator, seu Præses aliquis mittatur à Generali ad præsidendum Capitulo Provinciali, viaticorum taxa, tàm pro accessu, quàm pro recessu in ipsis Provinciæ Comitiis fiat: *Cap. Gen.* 1665. Idem de Provincialibus, & Provincialium Assistentibus, Capitulum Provinciale adeuntibus, observandum. * Domus autem, ad cujus Locale Capitulum Præses mittitur, ejusmodi oneri ex integro subjaceat. *

a. Quidquid præcipitur de Visitatoribus, Commissariis applicandum. Quos quidem potest Generalis instituere cum Authoritate sua delegata, eos assumendo ex Viris prorsùs indifferentibus; ne aliquam Partibus inferant suspicionem. Tandem eorum duratio cesset, cùm Causa Commissionis, ad mentem Committentis, fuerit expedita; sed expectata ab eodem cessationis declaratione. * *Gen. Cap.* 1692.

b. In Capitulis Localibus ad electiones, quemadmodum Provinciales, & Visitatores; ita Commissarii non suffragentur; ad negotia tamen ferunt suffragium. *Cap. Gen.* 1686.

CA-

CAPUT VI.

De Confessariis.

380. Confessarii Scholasticorum sint, si fieri potest, ætate graves, qui charitate, exemplo, & eruditione faciliùs adolescentes ad integrè confitendum alliciant.

381. Facili aliqua methodo puerorum conscientias timentur; eosque Sanctorum exemplis ad virtutum amorem, vitiorumque horrorem succendant.

382. In audiendis Juniorum Confessionibus, aspectum ab eis avertant.

383. Gratissimum Deo facit, qui puerorum Confessiones excipit.

384. Ad Sæcularium Confessiones audiendas, Generalis, aut Provincialis facultas accedat; quæ Viris tantùm moribus, ætate, doctrinaque maturis fiat.

385. Antequàm quis Ordinario Loci præsentetur examinandus, ad Confessiones audiendas, aut Ordines suscipiendos, habeat Superiorum Testimonia; sitque Scientia, & Virtutibus ornatus, & antea privato Religionis examini subjaceat.

386. Nemo, licet ab Ordinariis approbatus, absque sui Superioris consensu, ad Confessiones audiendas accedat.

387. Mulierum Confessiones in Ecclesia tantùm audiantur, excepto necessitas casu: tunc autem Socius in eo loco sit, ex quo Confessarium, & Pœnitentem perspectos habeat.

388. Nullus à Pœnitentibus, vel aliis quidquam, etiam ad eleemosynas, aut restitutiones faciendas, sinè placito Superioris accipiat.

389. Moribundis affuturi habeant in promptu, quæ opportunè suggerant; ibique tandiu consistant, quandiu sola necessitas postulaverit.

390. Confessarii Sæcularium sedulò puerorum Confessiones, pro debito, excipiant.

NOTÆ.

Ad 380. Confessarii, Sæcularium Confessionibus audiendis præficiendi, sint anno saltèm trigesimo ætatis majores, nisi aliter Generali videatur. *Reg. Confess. nu.* 1. *Cap. Gen*, 1659.

a. Qui examinant Confessarios, & Ordinandos, videant, ut non solùm sint Professi, sed etiam Scientia, & Virtutibus ornati. *Reg. Exam. nu.* 5.

b. Reservantur ubique Superioribus Casus omnes à Clem. VIII. assignati 26. Maij 1593. ad formam, & numerum ibidem præscriptum. *Cap. Gen.* 1659.

c. In singulis Provinciarum Domibus duo saltèm Sacerdotes, ad Religiosorum Confessiones audiendas, per Provincialem deputetur. *Cap. Gen.* 1637. Plures etiam pro majori Subditorum numero. Clem. VIII. c. *Sanctissimus.* §. *Superiores.* 26. Maji 1593.

d. Confessarii scholasticorum, si fieri potest, sint senes. *Reg. Conf. nu.* 9.

e. Confessarii Nostrorum specialiter deputentur, nec satis est, quòd fuerint approbati ad Sæcularium Confessiones audiendas: pro Novitiis autem eorum Magister à Clemente VIII. statuitur Juniorum Confessiones Institutor Spiritualis excipit ex Officio. *

f. In Locis, ubi sunt plures Domos nostræ, Confessarius unius potest alterius Familiæ Confessiones audire, dummodò specialiter fuerit, sinè restrictione Domus, ad Confessiones Nostrorum audiendas designatus. Pro Sæcularibus verò, de licentia Provincialis, aut Rectoris. *

g. Confessarii Hospites, Domum aliquam ex nostris obiter attingentes, nequeunt sinè speciali Provincialis, aut Rectoris facultate cuiquam ex Nostris, aut Sæcularibus esse à Confessionibus. * In itinere ibi tantùm, ubi nullus Confessarius, pro Nostris deputatus, haberi queat, quilibet simplex Sacerdos ex Nostris in supplementum deputatus intelligatur, nisi aliàs prohibeatur. *

h. Deputati pro Confessionibus, tàm Domesticorum, quàm Externorum in una Domo, non intelligantur deputati pro alia, si diversa sit Civitas, Oppidum, seu Locus, nisi expressa Generalis, aut Provincialis intercedat licentia. Propterea in eorum Patentibus definiatur, an pro tali Domo, vel pro tota Provincia quis approbetur, sinè qua quidem facultate scripto accepta, nemo Confessiones cujusque excipiat, nec approbatus censeatur. *Ibid.*

Ad 365. Exprovinciales, & Exrectores, licèt in aliam Provinciam translati, sinè prævio examine possunt in Confessarios Nostrorum a Provinciali, seu etiam in casibus necessitatis à Rectore, monito tamen statim Provinciali, deputari, *Cap. Gen.* 1686. Ita pariter de Assistentibus, & Procuratore Generali absolutis. *

a. Pro reliquis, privatim, antequàm Ordinariis Locorum præsententur, examinandis quemadmodum pro admittendis ad Habitum, & ejusmodi, Provinciales initio sui Regiminis deputent Examinatores, etiam ad Confessarios pro Nostris examinandos. * *Cap. Gen.* 1637. qui sint cum ipso Provinciali ejus Consultores, & Rector Domus. *Ex Decr. Clem. X. die* 18. *Martii* 1657. Quibus etiam, id præstare non valentibus, alii ad placitum Provincialium benè visi substitui poterunt, quemadmodum alias superaddi, Sed quale votum babeant, *vid. ad* 9. *d. e.*

387. Ad Cautum, ne quis Confessiones audiat in cellis, aut aliis locis, quàm designatis à Superiore; nisi ex causa infirmitatis, aliove legitimo impedimento. *Reg. Confess. n.* 4. *Vide Const. n.* 76.

Ad 390 Quoniam nunquam fatis de conscientiarum regimine à quoquam fcitur, curabit Rector, ut Conferentia cafuum confcientiæ, feu Sacræ Scripturæ bis per fingulas hebdumas ad formam Decr. Clem. VIII. *nu.* 3. habeatur: ad quam omnes conveniant, Præfide aliquo in ea re perito, qui folidè fuper propofitis Cafibus definiat. *Ex Reg. Rect. nu.* 21.

a. Lector fubindè, feu Præfes Moralis à Provinciali quotannis deputetur, cum cæteris cujusque familiæ Magiftris, & Officialibus; qui fit rerum Theologicarum in Moralibus ritè peritus, & non modò Regulares ejusmodi Lectiones habeat; verùm etiam confcientiæ Cafus, ubi fieri poterit, publicè doceat. *

b. De Rebus autem parùm pudicis, vel nihil, vel generatim omninò, & modeftiffimè. *

c. Nulla contentio, nulla laxarum Sententiarum defenfio permittatur; verùm omnia pro fecuriori, & faniori confcientiarum directione tractentur, nunquam contra mentem Angelici Præceptoris. *

Caput. VII.

De Concionatoribus.

391. His tantùm ex Noftris Prædicationis Munus committatur, qui Virtutibus, & Indole præfulgent.

392. Concionatores, non minùs benè agendo, quàm benè dicendo, perfuadeant.

393. Nemo publicè concionetur, qui prius privatim in Menfa ritè non declamaverit, & fuerit à Peritis inftructus.

394. Sit Concio quæcumque ad captum, & frugem auditorum, & res dicendæ ftudio, & Oratione prævenientur.

395. Sinè Generalis, aut Provincialis licentiâ nemini licitum publicè concionari.

396. Per Adventum, & Quadragefimam extra noftras Ecclefias ne quis Conciones habeat; aliis verò temporibus, non levi de causâ, indulgeatur.

397. Forma Concionum in Ecclefiis noftris habendarum fit familiaris, juxta Inftitutum S. Philippi Nerii.

398. Id unum à noftris Concionatoribus intendatur; ut mores reformentur; animique auditorum amore Dei, mundique contemptu afficiantur.

399. Ab affectatis, & inutilibus quisquis in concionando non abftinuerit, Officio Prædicationis abdicetur.

400. Siquis publicus Concionator exftat, habere conciones ad pueros non dedignetur: quos fuæ virtutis exemplo, facilique doctrinâ, Sanctorum geftis roboratâ, divinis mancipet obfequiis.

401. Nullum pro Concionibus exigatur ftipendium: fiqua tamen offeratur eleemofyna, Æconomo tradatur.

NOTÆ.

Ad 391. Rationem domefticarum Concionum habendarum *vide Conft. n.* 116. *& ad* 116.

Ad 396. Effe penes Authoritatem Generalis dare facultatem concionandi extra Ecclefias tempore Adventus, & Quadragefimæ, declarat *Cap. Gen.* 1686.

a. Antequàm quis ad verbi Dei prædicandi Minifterium efferatur, ejus capacitas per Examinatores exploretur. *Reg. Concion. n.* 2.

Caput VIII.

De Ordine, & Loco cujusque inter se.

402. Generali Affiftentes juxta gradum Profeffionis; Provincialibus Vifitatores tempore Vifitationis; Rectoribus Sacerdotes; Clericis Profeffis Hofpites: Operariis Profeffis Novitii, fervato Profeffionis refpectivè, feu Admiffionis ordine, fuccedant.

403. Inter plures eadem die Profeffos præcedit, qui fuerit in antiquiori Domo profeffus.

404. Sacris Ordinibus initiati præcedunt Clericos Minoribus infignitos: verùm, his ad Sacros item promotis, ordo Profeffionis recurrit.

405. Suâ culpâ Profeffionis locum amittens, remiffâ fibi pœnâ, non priftinum fuæ Profeffionis, fed Ordinum locum obtineat.

406. Enixè Superioribus commendatur Conftitutionum cuftodia, & inobfervantiarum punitio.

407. Pœna tantùm ad Superioris arbitrium, non autem culpa, ex alicujus Conftitutionis transgreffione incurritur; dummodo aliquod ex Votis non violetur, feu aliquid contra Jus Naturale, Divinum, vel Ecclefiafticum non committatur.

NOTÆ.

Ad 402. Exgenerales uni fubjacent Generali *Cap. Gen.* 1671. Ante actuales Generalis Affiftentes locum habent, fervato inter ipfos ordine Profeffionis. *Cap. Gen.* 1692. *Vide ad e.*

a. Exaffiftentes modernè ab Officio abfoluti, durante Capitulo Generali, Locum habent immediatè poft nuper electos Affiftentes: alibi fuæ Profeffionis, vel Prælationis ordine fruuntur. *Cap. Gen.* 1665. *Vide ad* 343 *b c.*

b. Non

b. Non obstante Decreto Capituli Generalis 1659. definientis, Procuratorem Generalem habere Vocem, & locum in Capitulo Generali post Provinciales, declaratum in Capitulo Generali 1683. præcedere Provincislibus in Urbe tantùm.

c. Visitatores Generales, & Commissarii præcedunt Provincialibus, durante Visitatione, vel Commissione. *Cap. Gen.* 1683. Imò quandiu Generalis eos à Munere non revocaverit, *Cap. Gen.* 1673. *Vide ad* 369. *c.*

d. Provinciales in Capitulo Generali locum habent secundùm Provinciarum antiquitatem. *Cap.Gen.* 1659. Quod ubique servetur, si plures conveniant. *

e. Assistentes Provincialium toto tempore Capituli Provincialis gaudent loco ubique ante Rectores. * *Cap. Gen.* 1665. Alibi manent in ordine suæ Professionis.

f. Rectores in Capitulis Provincialibus, & extra Capitula præcedunt juxta Domorum antiquitatem; sicuti Provinciales antiquiorum Provinciarum. Si plures Rectores electi fuerint in Vocales ad Capitulum Generale, vicissim inter se Professionis locum servant: prout pariter juxta eandem Professionem præcedunt Vocales nulla Dignitate insigniti. *Cap. Gen.* 1677.

g. Ita etiam Vocalis Tertius, eligi solitus in supplementum Provincialis, aut primi, vel secundi Vocalis ad Capitulum Generale, si, aliquo eorum impedito, vel defuncto, accederet. *Cap. Gen.* 1683.

h. Non secùs, qui fuerunt, vel Assistentes Generalis, vel Procurator Generalis, aut Provinciales, quando ex Privilegio Vocem habent in Capitulis Provincialibus: sedent in ordine suæ Professionis, aut Prælationis, siquam gerant. *Cap. Gen.* 1665.

i. Vicerectores immediatè suis Rectoribus assident, & aliis præcedunt in ea tantum Domo, in qua vices gerunt; alibi locum suæ Professionis tenent. *Cap. Gen.* 1637. & 1671.

k. Quod pariter omninò de Residentiarum, sive Hospitiorum Superioribus. *

l. Hospites habeant ubique sedem seorsivam in loco Refectionis, ne fiat ex eorum adventu locorum confusio; alibi verò Professionis, vel Gradus. Quod si plures conveniant, locum vicissim suæ Professionis, vel Dignitatis occupent. *

m. Quisquis ad aliam Religionem transierit, si redeat, locum habet ubique à die reditus tantùm. *Cap. Gen.* 1641.

Ad 403. Quoties aliquis ad Habitum, aut Professionem admittitur, non modò dies, sed hora etiam, & hujus pars connotetur; ut tam inter Admissos, quam inter Professos eadem die habeatur Domus antiquioris ratio, nisi temporis obstet anterioritas. *

Ad 405. Sua culpa Professionis locum amittens, non quidem ad tempus limitatum, sed absolutè, vel per nostras Leges, vel per Sententiam; remissa sibi pœna, non aliter locum habeat, quam si in die remissæ pœnæ Professionem emisisset; sicut evenit in iis, qui ad aliam Religionem transeuntes, postea redeunt, ut paulò superius dicitur. *

Ad 406. Legum, & Constitutionum quarumcunque Religionis, custodes, zelatores, & promotores edicuntur Superiores omnes, quocumque nomine nuncupati. *Cap. Gen.* 1659.

Ad 407. Quid pœnarum pro transgressionum qualitate sit cuique infligendum, recensent Canones pœnales, duodecim Capitibus absoluti, & confirmati à *Cap. Gen.* 1686. Quibus accedit Caput decimum tertium, complectens pœnas, in Capitulis Generalibus contra nonnullos errores inflictas. *

AD-

ADDITAMENTUM LI.

DE CONGREGATIONE ET REGULA PIORUM OPERARIORUM.

OBSERVATIO CRITICA.

C*ongregatio hæc sæcularis ex iis est, quæ nullam ex antiquis Religionum Regulis sequuntur, sed propriis Cujusque Institutoris legibus reguntur; quarum plures præcedentibus duobus sæculis in Ecclesia exortæ sunt: Ex iis ea, quam hic damus, una est & quidem insignis,* Piorum Operariorum *nuncupata, fundata a Piissimo Patre Carolo Caraffa, qui originem suam traxit à Ducibus de Andria & Comitibus de Ruvo illustrissimæ Domus Caraffæ, quæ Ecclesiæ summos Pontifices, plures Cardinales, ingentemque Prælatorum numerum; Ordini Melitensi unum Magnum Magistrum; Societati Jesu unum Generalem, Regno Neapolitano (Patriæ suæ) Vice-Reges; militiæque dedit viros longe clarissimos, strenuissimosque. Annus 1561. hoc nobile germen mundo protulit, quod brevi post ipsam Ecclesiam nova spirituali prole erat fœcundaturum sua nova scilicet congregatione piorum Operariorum Ætatis suæ anno decimo sexto Societatem Jesu ingressus est, ex qua post quinquennium ob continuam ægritudinem egredi coactus est; & per aliquod tempus clericalem portans habitum, eum militari balteo commutavit. Inter milites brevi oblitus est bonarum instructionum, quas apud Jesuitas hauserat, bonorumque exemplorum, & piarum praxium, quas apud eos viderat, quarum loco locum dedit cunctis deordinationibus, quibus istud hominum genus frequenter deditum esse solet. Ejus in rebus militaribus dexteritas, brevi ad præclara eum munia in exercitu promovit, cum spe ampliora & magis honorifica pro merito adipiscendi. Quapropter Neapolim venit a Prorege ibidem honorabile quoddam officium in præmium insignis sui servitii Coronæ Hispanicæ præstiti obtenturus. Sed Deus solidiora ei præparans bona rem longe aliter disposuit; quadam enim die palatium petens, omnibus servitiis suis testimonialibus litteris munitus, transiensque Ecclesiam Monasterii, quod dicitur* Regina cœli, *intravit; substitit paululum, ut audiret Monialem quamdam cantantem, qua Deus usus est ad ejus conversionem, transferendo ejus cor a terrenis & transitoriis sæcularibus pompis ad suum sanctum servitium; Nam Caraffa ex jucunditate, quam Deus creaturis suis communicat, recte omnino inferens obligationem hominis ad ei soli serviendum, sine hæsitatione mox prætulit ejus servitium maximis hujus mundi fortunis, quas ab illo momento cœpit adeo contemnere, ut testimonia prædicta suorum servitiorum, in quibus omnem suam*

suam spem collocavit, Deo sacrificaverit. Domum itaque reversus cubiculo se inclusit ad deplorandа sua peccata, & deliberandum, quo vitæ genere Divinæ justitiæ satisfaceret.

Propositum hoc suum incepit a dimittendis ex suo servitio plerisque servorum suorum præcipue autem ancellis. Statim ipso illo die voluit sibi crines amputari, & mystaces, quos pro more Sæculi istius longissimos portabat: quod cum Barbæ Tonsor facere recusaret, arrepta forfice ipse sibi Capitis & Barbæ crines rescindit, sicque ad collegium Societatis JESU pergit, aliquem ex his Patribus de concepto proposito consulturus, quem in Conscientiæ suæ Arbitrum assumpsit, à quo admonitus, ne propriis viribus confisus tanti momenti rem præpropere, aut præcipitanter ageret. Caraffa interea continuo corpus suum jejuniis rigorosis in pane & aqua, & disciplinis ad sanguinem usque in servitutem redigebat: nuda cubabat humo, hominum consortio se subducebat, horas diei distribuebat inter diversa pietatis exercitia, plerasque attribuens orationi & meditationi. Quibus spiritualibus mediis confirmatus in timore Dei statum Ecclesiasticum amplecti statuit, seque ex integro Dei & proximi obsequiis consecrare. Verum cum ad hæc omninò necessaria judicaret studia, anno ætatis 34. Philosophiæ & Theologiæ studiis quinquennio integro se addixit; quibus sufficienter imbutus, jamque fervoris impetum, quo trahebatur ad contemptum sui, fugam mundi, & opera pietatis ultra cohibere non valens sacris ordinibus initiari voluit: quibus suscipiendis præmisit præparationem integri Mensis apud Patres Societatis Jesu per exercitia Spiritualia S. P. Ignatii: & obtento Brevi Apostolico à Papa Clemente VIII., quo omnes ipsi sacros Ordines accipere permittebatur tribus Festis consecutivis, iis fuit ordinatus ipsis Festis Natalitiis Domini ejusdem anni, primumque Sacrificium Deo obtulit prima Die anni 1600. Cernens se jam propter sacerdotium arctius Jesu Christo unitum, credidit, se magis obligari ad conformandum se vitæ humili & crucifixæ Divini hujus virorum Ecclesiasticorum Prototypi. Ideo unum solum famulum admittere voluit. Vestitus ejus erat Levidensa, indusia lanea, & ad nudum cingebatur rudi & nodoso cilicio tam arcte, ut se inclinare vix valeret. Lectus ordinarius erat humus, & cervical lapis. Jejunare ipsi erat fere continuum, adeoque austerum, ut corpus vivum referret skeletum. Sæpissime splendidum prandium præparare jussit, forasque egrediens, pauperes conquirebat ad prandendum secum, quorum reliquiis propriam excitabat famem potius, quam esuriem sedabat. Ad eos quoque, quos mendicare pudebat, ejus Charitas liberaliter extendebatur.

Eos domi suæ invisebat, & liberaliter sublevabat omnes eorum necessitates. His misericordiæ operibus erga indigentes necdum contentus amplius sua viscera misericordiæ effundit, ut relictis propriis ædibus demoraretur prope Xenodochium incurabilium, quo præsentiori eorum doloribus solatio esse posset: sæpe noctes diesque insomnes ducebat assistendo ægrotis, iis inserviendo, eorum lectos componendo, verrendo cubicula subministrando iis omnia, quibus habebant opus, assistendoque moribundis ad bene moriendum. Quæ omnia tanta Charitate præstabat, ut plures tum ejus exemplis, tum hortamentis commoti, eisdem misericordiæ operibus se consecrarent, adeo, ut in eodem Hospitali institueret congregationem sub titulo sancti Francisci; cui præscripsit quasdam leges, simulque obligavit ejus Congregationis Fratres, ut duodecim lectos suis sumptibus compararent, & comparatos conservarent: quod hodiedum observant.

Dum Ejus zelus sese in omnis conditionis homines diffunderet, exibat ad fora publica Neapolis, ubi congregans magnam multitudinem hominum, eos docebat veritates Religionis, modumque bene confitendi, eos invitans suis exhortationibus ad fugam peccati, & exercitia virtutum, ad præveniendos funestos malæ mortis exitus, a quibus non aliis magis, quam sibi timebat; quapropter Societati Alborum (quæ Congregatio seu Confraternitas est Neapoli instituta in solatium eorum, qui ex sententia Judicis ob crimina morti addicuntur) nomen dedit, ut ea ratione commodius assistere posset miseris istis in ultimo periculosoque istboc periculo constitutis. Dum vir Dei eo, quo diximus, modo saluti

animarum invigilaret, duo sacerdotes ei benè noti, insignis gratiæ loco habentes. Si ejus consortio frui liceret, eum invitarunt ad oratorium quoddam extra civitatem, vocabulo Sancti Sepulchri, *ubi statis temporibus conveniebant Orationis causa. Caraffa, etsi a pauperum obsequiis ægrè divelleretur, divinitus tamen se inspiratum sensit ad acceptandam istorum piorum Sacerdotum propositionem, illuc unà cum eis se conferendo. Eremitorium erat situm ad radices petrosi montis, in quo erant excisa duæ Cameræ præter Capellam: Caraffa igitur eò se contulit, ut obediret voci Dei, firmiter nihilominus adhærens suo priori proposito propterea non negligendi animarum salutem. Ideo mane exiens adibat civitatem, & quidem illam ejus partem, ubi Lupanaria erant meretrices exhortans, ut vitam suam infamem mutarent. Quod plures earum ad vota ejus fecerunt, argumentorum ejus vi convictæ fortiterque Spiritus Sancti instinctu commotæ eremitorium ejus accedebant, ad confitendum peccata sua, atque ut sic reducerentur in viam salutis. Quosdam iis assignavit dies se conveniendi in sua cellulâ; ubi tanta eis efficacia concionabatur, ut numerus ab eo conversarum tantus fuerit, ut præter eas, quas in matrimonium collocaverat, quatuor monasteria reliquis repleverit, suppeditatis omnibus, quæ ad victum erant necessaria. Tandem Charitas ejus eò se extendit, ut vicatim pauperibus & ignaris rusticis annuntiaret verbum Dei, quorum complures vitam suam inordinatam emendârunt per sinceram conversionem ad Deum.*

Cardinalis Giesualdus Archiepiscopus Neapolitanus perpendens insignem fructum, quem in Vinea Domini procurabat Caraffa, penes se voluit habere tam utilem Operarium; Ideo eum e suo Eremitorio vocavit ad Ecclesiam B. M. V. dictam ab omnibus bonis, *in ipsa Urbe Neapoli. Complures Ecclesiastici Viri, quos dirigebat, se ei junxerunt, ejus ut essent adjutores in suis functionibus Apostolicis. Quidam etiam relictis propriis domibus ejus disciplinæ ac directioni ut discipuli perpetuo submiserunt. Caraffa credens, hanc opportunam esse occasionem missiones instituendi, accessit Archiepiscopum, eam rem cum eo communicaturus, qui approbato ejus consilio permisit ei vivere in communi cum iis, qui ejus discipulatum ambirent, habereque directionem tum sacerdotum, tum Laicorum, qui se ei juncturi essent. Etsi tunc non intenderet congregationem sacerdotum fundare, sed tantum proximo servire in Missionibus (quod sperabat fieri posse ope eorum, qui ei se essent juncturi) nihilominus Fundator exstitit peculiaris instituti, quod per specialem protectionem Altissimi, qui ita rem determinavit, subsistit, & approbatum fuit a Sacra sede, non obstantibus omnibus oppositionibus ipsi factis ut brevi videbitur. Caraffa jam integro, ex quo reliquerat eremum suam, mense occupatus erat ornanda Ecclesia S. Mariæ* ab omnibus bonis. *Dominica tertia post Pascha eam apperuit anno* 1601. *inceptique cum octo Presbyteris sociis suis ibidem operam dare proximorum saluti partim exercitiis pietatis, quæ in eadem instituit, partim crebris exhortationibus, quæ in ea fiebant, & quidem tanto zelo, tamque prospero successu, ut præter ingentem multitudinem peccatorum, quos ad meliorem vitam reduxit, insuper tot fuerint meretrices, anteacta vita pœnitentiam actura, ut oportuerit eum pro iis includendis duo fundare Monasteria, unum sub titulo sanctæ Illuminatæ, quod hodie appellatur* le secours, *alterum sub titulo* pœnitentium, *quia priora monasteria, quæ ædificaverat, omnes capere non poterant.*

Cum Missiones non solum in civitatibus, sed etiam toto regno præcipue autem ruri rarius fierent, Pater Caraffa considerans ingentem fructum, qui ex frequentiori earum usu Ecclesiæ accresceret, particulare Institutum in hunc finem e re fore existimavit erigi. Eum in finem consuluit Confratres suos, qui omnes consenserunt ejusmodi missiones aggredi, & obtenta permissione Archiepiscopi Neapolitani, Romam perrexit ad pedes Clementis Papæ VIII. propositi Instituti sui de Missionibus recepturus confirmationem.

Papa laudato ejus proposito, eum hortatus est, ab eo ne desisteret, cum mandato Regulas novo isti Instituto accomodas conscribendi Caraffa itaque conditis salutaribus Regulis reversus est ad summum Pontificem pro ea-

earum confirmatione obtinenda. Sed præter exspectationem Papam invenit à malevolis præventum, ut institutum suppressurus esset potiùs, quam confirmaturus; quod & procul dubio evenisset, nisi Archiepiscopus Neapolitanus Giesualdus obstitisset, benegnarus, quantum emolumenti hi novi Missionarii toti suæ Diœcesi essent allaturi. Caraffa post priores Papæ instantias pro novo Instituto neutiquam exspectans repulsam, eam tamen suscepit tanquam de manu Dei in pœnam suorum peccatorum: Ideoque Neapolim reversus preces, pœnitentias, & mortificationes suas multum auxit, in cunctis se voluntati D E *I conformans, qui ejus constantiam & fidelitatem alia mortificatione probare voluit: brevi enim, postquam Neapolim reversus est, coactus fuit cedere Ecclesiam suam B. V. M. ab omnibus bonis quibusdam aliis, contestantibus, eam ad se pertinere: quæ omnia præter alias difficultates & oppositiones suæ congregationi factas magnam ei molestiam crearunt, cernenti, se à plerisque suis Discipulis deseri. Hæc omnia Viri DEI animum dejicere nequibant; è diverso zelus, virtutesque ejus aliæ hac sub proba humilitatis, & persecutionis magis perficiebantur; Domum conduxit prope conservatorium dictum* Splendoris Virginum, *quæ virgines ejus directioni suberant, ubi una cum tribus sociis, qui ei ex omnibus adhæserunt, eadem exercitia pietatis, quæ prius ante hoc infortunium prædicare consueverat, continuavit tanta cum resignatione in divinam voluntatem, & tanta cum submissione dispositionibus ejus providentiæ, ut meruerit cum animi consolatione videre communitatem suam insignia capessere incrementa, in quam plura subjecta singularis meriti rogarunt suscipi, ex quibus erat P. Antonius de Collellis, qui erat unum de præcipuis ejus congregationis ornamentis, & mortuus est cum odore Sanctitatis, cujus vità historia luci publica data est anno* 1663. *Hæc privatæ vitæ methodus, quam P. Caraffa in hac nova æde ducebat, nequaquam impedire poterat, quin animabus lucrandis operam daret: Nam præter Monasterium, quod fundavit pro puellis, de Virginitate sua ob egestatem periclitantibus, impigram navavit operam convertendis infidelibus (quorum tunc ampliùs viginti millia Neapolim in servitutem captivi ducti erant) ut silentio prætereamus ejus sollicitam Charitatem in Catechumenos, quorum Superior constitutus fuit, sicut & ejus vigilantiam circa directionem seminarii Neapolitani, cujus rector factus reformationem aggressus est per novas Regulas, sapientia & pietate plenissimas.*

Ordinatis istbac ratione domibus suæ directioni commendatis, beneque dispositis cæteris domibus per suam Charitatem fundatis in locum refugii aut peccatricibus publicis ad conversionem venire desiderantibus, aut puellis, quarum paupertas occasio posset licentiosæ & perdita vita, stabiliendæ suæ Congregationi totis viribus incubuit, cujus primam ædem construi voluit in loco solitario pro Novitiatu simul & recessu P. P. Missionariorum. Idcirco eam construxit uno milliario Neapoli, medios inter montes, sub nomine B. MARIÆ de montibus. *Aliam itidem construxit in Diœcesi Casertensi, cui nomen imposuit B. MARIÆ* del monte Decoro, *ob decorum ejus situm. Alias duas in ipsa urbe Neapoli ædificavit unam sub titulo S. Georgii Majoris alteram S. Nicolai, quarum Ecclesiæ erant vetustæ, postea tamen à fundamentis readificata.*

Post hæc Romam petiit pro impetratione Instituti & Regularum, quas condiderat. Paulus V. qui eo tempore Ecclesiæ clavum tenebat, ejus virtutem bene perspectam habens, Zelumque magnopere commendans Congregationi Regularium commisit Regulas ejus examinandas. Mortuo paucis post diebus Paulo V. ejus successor Gregorius XV. approbavit Institutum sub titulo Congregationis piorum Operariorum, *concesso eum in affectum Brevi Apostolico anno* 1621. *qua incepit:* Ex quo Divina Majestas &c. *Intentio quidem Fundatoris erat titulum suæ Congregationi imponere à* Doctrina Christiana; *Cardinales autem, quibus ejus instituti Regulæ committebantur examinandæ videntes diversa pietatis, & charitatis opera Sacerdotum hujus Congregationis, expuncto titulo* Doctrinæ Christianæ, *nominårunt Congregationem* Piorum Operariorum.

Caraffa obtenta Romæ Instituti & Regulæ suæ Confirmatione & approbatione Neapolim reversus est, ubi ob notam suam Sanctitatem ab omnibus summopere æstimari & honorari meruit; quod profundæ ejus humilitati adeo intolerabile erat, ut Neapoli relicta a Monasterium suum montis Decori, *octodecim milliaribus inde distans se contulerit, ubi residuum vitæ continuas inter mortificationes & austeritates transegit, infatigabili interim labore & zelo animarum saluti incumbens. Humilitas ejus erat admiranda prorsus, paupertas summa, patientia, mansuetudo & charitas incomparabilis, Spiritus sine intermissione ad DEUM elevatus, in cujus contemplatione sæpe rapiebatur in extasim, in qua tantis fuit cumulatus favoribus, ut aliquando vivus fuerit circumdatus lumine & splendore ad instar Solis, quo DEUS manifestatam voluit servi sui sanctitatem, sicut & dono Prophetiæ, & miraculis ab eo patratis. Tandem laboribus, pænitentiis, & mortificationibus debilitatus & fractus in morbum incidit anno 1633. Ideo Neapolim est reportatus ad monasterium suum* S. Georgii Majoris, *ubi amplius plurimorum malorum tolerantia patientiam ejus DEUS exercere voluit duobus fere mensibus, quibus elapsis mortuus est 8. Septembris eodem anno 1633. ætatis suæ 72. fundatæ suæ Congregationis 31.*

Mortuo sancto Fundatore Congregatio ejus iterato confirmata fuit ab Urbano VIII. sine ulteriore tamen progressu, quam acquisitione unius antiquæ Ecclesiæ S. Balbinæ in monte Aventino Romæ, jure cessionis per Capitulum S. Petri anno 1689. Tardioris progressus hujus Instituti causam adscribunt Pii Operarii pesti, quod anno 1653. Neapoli grassabatur Confratribus suis sese offerentibus Cardinali Filomarini pro tunc Archiepiscopo Neopolitano ad assistendum peste morientibus, tamque pio operi immortuis.

Hi pii Operarii nulla emittunt vota; sed gubernantur per Generalem & quatuor Consultores, singulis trienniis eligendos, qui continuari possunt in Generali capitulo singulis annis celebrato. Singulæ Domus eligunt Superiores suos particulares, quos vocant Rectores. Etsi nullis votis obstricti, vivunt tamen adeo austere & regulariter, ac Religiosi etiam strictissimi: nihil de lino portant, & cubant super mattas stramineas sine linteaminibus. Paupertatem exactissimam profitentur; nihil omnino retinent clavi obseratum. Omnis Ornatus Cellæ consistit in mensa, sella, & quibusdam papiraceis imaginibus. Sæpius in septimana culpas dicunt Superiori. Præter quadragesimale jejunium Ecclesiæ observant insuper duas alias Quadragesimas, in Adventu nempe & Pentecoste: singulis quoque feriis sextis & Sabatis anni jejunant, & vigiliis Domini & B. V. MARIÆ. Bis per hebdomadam disciplinam faciunt. Quotidie simul in communi mentaliter per horam orant, mane nimirum media hora, alteraque media vespere. Singulis annis exercitia spiritualia faciunt. Surgunt hora Secunda post mediam noctem ad matutinum, & præter officium Breviarii Romani quotidie ei superaddunt officium parvum B. V. & Litanias omnium SS. Et hæ præcipua observantiæ piorum Operariorum. Hic jam eorum Regulas idiomate Italico, quo ad manus nostras pervenerunt, unà cum nova approbatione ab Urbano Papa VIII. damus, ut sequitur:

CO-

COSTITUZIONI
DELLA
CONGREGAZIONE DE' PII OPERARJ

Eretta prima in Napoli, confermata dalla Santa Sede Apostolica, E dalla Santa memoria di Urbano VIII. di nuovo approvata.

URBANUS PAPA VIII.

Ad Perpetuam rei memoriam.

MIlitantis Ecclesiæ regimini in Beatissimi Principis Apostolorum Cathedra per abundantiam divinæ gratiæ constituti, inter multiplices Apostolicæ servitutis curas, in eam præcipuè Pastoralis vigilantiæ studio jugiter incumbimus, ut Piorum virorum Congregationes, quæ charitatem sectantes, & spiritualia æmulantes, proximo ad salutem prodesse satagunt, fœlicioribus in dies proficiant incrementis, & quæ propterea proindè statuta sunt, ut ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observentur, Apostolicæ confirmationis patrocinio libenter communimus, pro ut conspicimus in Domino salubriter expedire. *Exponi* siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri sæculares Congregationis PIORUM OPERARIORUM nuncupatorum à Sede Apostolica approbatæ, quod, cum pro fœlici, ac prospero ipsius Congregationis statu, ac regimine, & progressu nonnullæ Constitutiones editæ fuissent; Constitutiones prædictæ à venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus, quibus hoc commiseramus, examinatæ, emendatæ, & aptatæ fuerunt tenoris subsequentis.

COSTITUZIONI DELLA CONGREGAZIONE DE' PII OPERARJ

Eretta in Napoli, e due volte dalla Santa Sede Apostolica approvata.

LA vocatione, e l' Istituto di questa minima Congregazione de' Pii Operarj si è l' impiegarsi con ogni studio all' acquisto dell' anime, ch' è la vera coltura della gran vigna del Signore. Ed a questo effetto non solo abbraccia l' insegnar la Dottrina Christiana, ed udir confessioni, ministrar Sagramenti, predicare, e sermoneggiare in quanto loro vien così ordinato, e permesso da' Vescovi, e Prelati Ecclesiastici de' luoghi, a' quali douranno essere sempre soggetti, ed ubbidientissimi, come loro Superiori; ma ancora l' andar in Missioni per Città, Ville, e Casali, come loro primario Istituto, ed insegnare a tutti la via della salute. E perche ben conosce quanto spirito, e quanta virtù si ricerchi per ben essercitare simili ministerj, e che non può esser buona guida, e maestro de gli altri, chi non è ben guidato, ed ammaestrato per se; & a questo vuole, che prima attendino i suoi Operarj, con darsi da dovero alle Orazioni, & alle penitenze, e mortificazioni del corpo, all' essercizio di ogni virtù, conforme alla grazia, che loro sarà communicata da Dio Nostro Signore; per questo è necessario che ancor ella abbia Costituzioni, dalle quali si regolino tutti, e prendino indirizzo, e saranno le seguenti divise in tre parti. Trattandosi nella prima, del Governo universale di detta Congregazione. Nella seconda, degli obblighi di ciascun' Operario, e per il suo proprio ajuto, e profitto spirituale. E nella terza degli obblighi per l' acquisto, e profitto del prossimo. Ed oltre a queste, si douranno fare dalla Congregazione de' Votanti le Regole circa le cose più particulari. E tutti saran tenuti alla osservanza di quelle, almanco alla pœnitenza, che per le trasgressioni potrà lor' essere imposta.

PARTE PRIMA

Circa il governo universale della Congregazione.

Cap. I.

Dell' elezzione, ufficio, & autorità del Prepofito, il qual' è Capo di tutta la Congregazione.

Qualità, che deve havere il Prepofito.

IL Capo di tutta la Congregazione è quello, che dovrà chiamarsi Preposito, e dovrà risedere in quella casa, che con il parere de' suoi Consultori sarà per Lui più espediente, e doverà eleggersi canonicamente da' Votanti. Dovrà ancor' egli essere de' Votanti, cioè Sacerdote, e vivuto almeno dieci anni dopo l' anno della sua prima accettazione, ed istruzzione spirituale, con buona sodisfazione, e comune edificazione.

Tempo, e modo di eleggere il Prepofito.

Il tempo per l' elezzione sarà comunemente la seconda Domenica dopo Pasqua di Resurrezione, ò altro giorno trà la settimana seguente, come meglio parrà al Preposito, e a' suoi Consultori. Li suffragj, seù voti saranno segreti, & in iscritto, & almeno dovranno essere più della metà. Ogni votante darà un solo voto, ed il Preposito due, e tutti dovranno haver riguardo di eleggere quello, che in conscienza loro, e nel cospetto di Dio stimano più degno, e più idoneo per il buon governo della Congregazione; e debbono porre da banda ogn' altro rispetto, & interesse meno buono, come, ce l' insegnano comunemente i Dottori, e sotto grave peccato ricerca ancora il debito naturale della Giustizia.

Ufficio del Prepofito, e consulte, c' haurà à fare.

L' Ufficio del Preposito così eletto sarà soprintendere a tutta la Congregazione, & insieme co' suoi Consultori provvedere, e rimediare a' disordini, che possono occorrere; e perciò donrà far consulta almeno due volte il mese: e quantunque à Lui non occorra, che consultare, dovrà sentir nondimeno quello, ch' occore à' suoi Consultori.

Autorità del Prepofito.

Potrà comandare non solo nella casa, dove egli risiede, ma ancora nell' altre tutte. E quanto in esse possono i Rettori particolari nelle case loro circa l' ordinare per il governo domestico, e circa il disporre de' soggetti, e circa il punir de' diffetti, potrà ancor egli; e molto più: Potendo ancor punire gl' istessi Rettori col parere però de suoi Consultori; e potendo anche lor comandare nel particolare delle Missioni, ed in ogni altro.

Ap-

Apparteneтà al detto Prepofito vifitar le Cafe, e far gli ordini neceffarj per il buon governo di effe. Il ricevere, e licenziare i foggetti nel modo, che fi dirà appreffo; rimettergli a' Vefcovi per l' Ordinazioni, per le Prediche, e Confeffioni; provveder di Superiore a ciafcheduna Cafa, fe per forte il Rettore doveffe effere affente, o in altro modo mancaffe dal fuo governo per tempo lungo, o ancora fpontaneamente renunciaffe all' ufficio, o Rettorato con licenza di detto Prepofito; & il tutto farà con il parere, & approvazione de' fuoi Confultori, o maggior parte di effi, e non altrimenti: E tal Superiore così foftituito per qualche cafa, durerà nel governo di quella finche torni il proprio Rettore, o dalla Congregazione de Votanti fi elegga un' altro.

Il governo ftà in mano del Prepofito, e fua Confulta.

In fomma, il Prepofito co' fuoi Confultori haverà in mano tutto il governo della Congregazione, con effer foggetti,& ubbidienti a gli Ordinarj de' luoghi; ed in occorrenza di dubbio delle loro Coftituzioni, dovran ricorrere alla Santa Sede Apoftolica: ed a detto Prepofito havran da ubbidire con ogni prontezza, e riconofcere in Lui la perfona di Dio; fe bene i fuoi ordini, e comandamenti fempre faranno fenza obbligo di peccato, fe per altro la cofa in fe fteffa non farà grave, e molto importante di fua natura al ben comune.

Quanto durì l' ufficio del Prepofito.

Durerà in quefto Ufficio folamente per tre anni; e se alli Votanti pareffe di confermarlo, folamente ciò potranno per altri tre, e poi dovrà per ogni modo eleggerfi un altro, & egli tornerà ad ubbidire, & effere fuddito fenza Ufficio di fuperiorità, almeno per un anno.

Cap. II.

Degli altri Superiori, & Ufficiali, che doveranno eleggerfi dopo il Prepofito.

Elezzione del Suftitutore fua autorità.

Per ajuto del predetto Prepofito circa il governo della detta Congregazione doveranno eleggerfi ancor' altri Superiori, & Ufficiali. E primieramente dall' ifteffi Votanti, ch' averanno eletto il Prepofito, dovrà eleggerfi un Suftituto di detto Prepofito, che in cafo di affenza, d' infermità grave, di mancanza, o per qualfivoglia altra ragione, fia, e feda nel fuo luogho, e fucceda nella medefima autorità, e fupplifchi nel fuo ufficio, finche Egli ritorni, ó guarifchi, o fin' all' elezzione del nuovo Prepofito.

Ufficio del Ammonitore.

Poi fi eleggerà un' Ammonitore, che fe delmente riferifchi al Prepofito tutti i diffordini, tanto fpirituali, quanto temporali, che occorreranno nella Congregatione, che da Lui, o da altri faranno avvertiti; e con grande umilità, e charità l' ammonifchi ove egli farà notato d' errore: Se bene à queft' ammonizione non fi dovra venire per qualfivoglia leggiero diffetto, ma fol per cofa di momento, ed avendone prima fatto orazione, e fentitone ancora il patere de' Confultori d' effo Prepofito.

Elezione del Prefetto fpirituale, e fuo Ufficio.

Dovrà ancora eleggerfi un Prefetto, ò pur' Iftruttore fpirituale, il cui officio farà d' ammaeftrare, ed iftruire nello fpirito, e ne' minifterj della Congregazione tutti quei, che faranno ammeffi di nuovo.

Elezione de' Rettori, e Viceretrori.

Appreffo fi eleggeranno li Rettori per l' altre Cafe particolari; ed i Vice-Rettori, che gli ajutino nel governo di quelle: Ed in cafo di affenza per qualche giorno, fupplifchino ne' loro ufficj, & habbino l' ifteffa loro auttorità. Se bene i Vice-Rettori nel detto cafo di fupplimento dovranno da fe fteffi innovare cofa alcuna, fe non in cafo di mera neceffità, e con il confeglio, e parere de' Confultori di quella cafa, fe per all' ora non fi potrà ricorrere al parere del Prepofito. E fe occorrerà qualche cafo, che infieme il Rettore, ed il Vice-Rettore fiano affenti, ò in altro modo impediti fupplirà nel governo per quel poco di tempo il Decano di quella Cafa, ed effo farà il Superiore; ma con l' iftefs' obbligo di non innovare cofa alcuna da fe folo, come s' è detto del Vice-Rettore.

Tutti quefti Ufficiali, e Superiori per effere affai principali nel governo della Congregazione, come fono il Softituto del Prepofito, l' Ammonitore, l' Iftruttore, e Rettore delle Cafe, doveranno eleggerfi da' Votanti per voti fegreti, & in ifcritto, e ch' anch' effi fiano de' Votanti; ma i Vice-Rettori doveranno eleggerfi da i Votanti, ancorch' effi non fiano Votanti. Ed in tutte l' elezzioni predette dovrà concorrere la maggior parte de voti, come fi è detto di fopra.

Rettori poffono confermarfi.

Ciafcuno de' detti Ufficiali durerà fol per un' anno; fe bene potranno confermarfi per il fecondo, ed anche per il terzo, fe così parrà a' Votanti; i quali per quefto dovran congregarfi ogn' Anno nel tempo predetto. Ma i Rettori delle Cafe particolari, fe per la fcarfezza de' foggetti, o per altra occorrenza pareffe così fpediente a' Votanti, non folo potranno

no essere confermati per gli detti secondo, e terzo anno; ma dopo d' essi potranno anch' esser eletti per Rettori in altre Case, ed in quelle essere anche confermati, come di sopra; ma passati sei anni di governo debbano essere senza ufficio, e sudditi per un' anno almeno.

Numero de' Consultori, ed elezione del Segretario.

nisi marino itinere impeditus. Arctius cum Christo charactere sacerdotali unitum, desiderium iterum incessit statum Religiosum amplectendi. At in solitudine, quam sub directione Patris Magii Jesuitarum Provincialis reperierat Virduni, intellexit, se a Deo vocatum ad id esse, ut in mundo commorans salutem animarum, & reformationem Ecclesiastici & sæcularis status procuraret. Exercitiis hisce finitis ferventius quam unquam operibus divinam gloriam & salutem animarum promoventibus incubuit. Omnium tamen maxime in convellendis erroribus laborabat; qua in re Deum suis conatibus adeo faventem expertus est, ut plures primarias personas, quæ vel in hæresi fuerunt natæ, vel ipsæ ad eam accesserunt, in sinum Ecclesiæ reduxerit, ministroque in omnibus congressibus cum ipsis habitis semper triumphaverit. Cum vitiis adeo continuum & victoriis clarum bellum suscepit, ut eorum numerum difficile sit invenire, quos peccatorum cœno ereptos in alios homines commutavit, præcipue postquam Carmelitissas discalceatas in Gallias introduxit disciplinæ causa ex Hispania accersitas. In quo Ordine plures sub ejus ductu in magnam sane perfectionem evectæ sunt. His igitur effecit, ut ex omnium sententia præcipuis Ecclesiæ officiis dignus videretur; verùm Episcopatus jam & Archiepiscopatus ultro oblatos rejecit, votique se religioni obstrinxit ab omni tali officio perpetuo abstinendi.

A Rege Henrico Magno Ludovici filii sui, qui postea inter Reges decimus tertius erat, præceptor expetitus conditionem est deprecatus, metu, ne tanti muneris curis occupatus a procuranda animarum salute impediretur: ad quod accessit agitatum animo fundandæ Congregationis ad normam Oratorii Romani consilium eum in finem, ut status Galliæ Ecclesiasticus decore suo per civile bellum, infelicem hæreticorum commixtionem & corruptionem morum spoliatus veterem specimen adipisceretur. Verum veneris suis diffisus, licet ad internos Numinis impulsus cohortationes amicorum accedere sentiret, non tamen prius Congregationis initia jecit, quam ardentissimis precibus Divinam voluntatem consuluisset, propositum suum pluribus sanctissimis viris, inter quos præcipui erant P. Cæsar de Bus & P. Romillon, tunc temporis Institutum Oratorii Italici profitentes, communicasset, conditionemque adjecisset, ejus regimen sibi non obstrusum iri, non obstantibus omnium sollicitudinibus præsertim Cardinalis de Joyeuse Ecclesiam de suo ædificare polliciti, dummodo Berullius præfeci se pateretur: quod tandem fecit; cùm quòd neminem tanto muneri aptum, ne S. quidem Franciscum Salesium (cui tamen id omni modo persuadere frustra pertentabat) inveniret præfectura se curis involvere volentem: tum quod Episcopi Parisiensis Henrici de Gondy facti postea Cardinalis de Retz a sorore sua Marchionissa de Maignelay, ut id oneris Berullio ipsi imponeret, exorati imperio parere vellet. Marchionissa hæc summam Capitalem 40000. Librar. Gall. novellæ Congregationis usibus destinaverat præter plura ornamenta pretiosa pro Ecclesia a Nobili Virgine d'Acarie *acu picta, quæ postea Ordinem Carmelitissarum ingressa est. Sui igitur Præsulis jussis satisfacturus cœtum aliquorum Sacerdotum coëgit anno 1611. in suburbio S. Jacobi ad Hospitium parvi Bourbonii, ubi modo situm est celebre Monasterium Vallisgratiæ.*

Primi ejus socii erant R.R. P.P. Joannes Bance & Jacobus Gastand Theologiæ Doctores Facultatis Parisiensis, Franciscus Bourgoing postea Generalis Congregationis, Paulus Metezau, Baccalaureus ejusdem Facultatis, & P. Caran Parochus Bellovacensis. A Rege Ludovico decimo tertio patentes litteras pro Domibus in toto regno construendis obtinuerunt, & anno 1613. a Paulo Papa V. approbata est hæc Congregatio imposito nomine Oratorii JESU Christi primóque Generali Præposito Berullio creato, tenoris sequentis:

BULLA

BULLA

Pauli V. Papæ Confirmatoria Congregationis Oratorii JESU Christi.

PAulus Episcopus, servus servorum DEI ad perpetuam rei memoriam. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam DEI Unigenitus Jesus Christus Dominus Noster Auctor ipse piorum operum fundavit, Regimini superna dispositione præsideotes, pro nobis commissi Gregis Dominici prospero statu & animarum salute solliciti esse compellimur, & ea sincerè tenemur amplecti, quæ ad incrementum Religionis pertinent, & ad virtutum spectant ornamentum; ac ut piæ Christi Fidelium Congregationes instituantur, & exiode uberiores fructus bonorum operum, in illis præsertim locis, ubi id magis expedire dignoscitur, in dies per pia & spiritualia exercitia accrescant, & iis exercitiis debitè Domino famulantes Personæ animarum suarum salutem, eodem Domino miserante faciliùs consequi, cæterisque Christi Fidelibus vitæ & morum exemplo proficere valeant ad salutem. Sane exhibita nobis nuper, pro parte venerabilis Fratris nostri Henrici Episcopi Parisiensis, ac charissimæ in Christo Filiæ Mariæ Francorum Reginæ, peritio continebat, quòd aliàs cum ipsa Maria Regina, pio devotionis zelo ducta, ut aliquo devotionis suæ monumento immensarum gratiarum munera, quibus eam bonorum omnium Largitor optimus decoravit, restari possit, Disciplinam Ecclesiasticam undique ferè in Regno Franciæ hæresum bellorumque præteritorum injuria, tum in Religione, tum etiam in moribus non parum depravaram ac corruptam, in primævum, & pristinum suum statum, devotionisque & pietaris splendorem salubri aliqua ratione restitui plurimum desideret; & id (re ipsa in consultatione cum Viris gravibus & piis, ac præsertim cum dicto Henrico Episcopo pluries habita, matureque discossa) utilius & fructuosius, quam ex Institutione alicujus Congregarionis piorum Sacerdotum, quorum studium & officium Sacerdotale, juxta sanctum, atque pium illius institutum debitè exequendum & adimplendum sit omnino directum, instituendæ exequi posse non videatur, ipsaque Maria Regina unam devotam piorum ac probatæ vitæ Sacerdotum, quorum principale Institutum singulas Actiones Ordini Sacerdotali convenientes, & essentiales amplecti existat, Congregationem in ipso Regno & præsertim io Civitate Parisiensi, ubi illa non parùm desiderari videtur, erigi & institui, curamque erectionis & institutionis hujusmodi dilecto Filio Petro de Berulla, Presbytero Parisiensi (cujus ministerium felici progressui & directioni ipsius Congregatioois maximè profuturum esse in Domino confidit) per nos committi & demandare summoperè desiderer? pro parte eorundem Henrici Episcopi & Mariæ Reginæ, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Congregarionem piorum ac probatæ vitæ Sacerdotum perpetuo erigere & instituere, illiusque Curam dicto Petro committere & demandare, ut præfertur, ac alias de Apostolicæ Sedis provideotia coocedere dignaremur.

Nos igitur, quibus cura & sollicitudo insidet Fidem & Religionem Catholicam propagare, Divinique Cultûs augmentum, & ut Christi Fideles singuli, per viam salutis in hoc sæculo gradientes, ad Regna cœlestia pervenire mereantur, procurare, præsertim ubi Catholicorum Principum vota id exposcere, ac in Domino salubriter coospicimus expedire, considerantes hujusmodi Institutionem specialiter Sacerdotes aut Personas ad sacerdotalem statum aspirantes, vel saltem eorum ministerio necessarias, ac Jesum Christum Dominum Nostrum, Sacerdotalis Dignitatis immediatum Institutorem, tangere, & respicere, æquum maximè & rationi consentaneum judicamus, ut qui hujusmodi Institutum aggrediuntur, ultra communem Fidelium devotionem, speciali & particulari devotione Jesu Christo Domino Nostro addicantur, qui est Sacerdos in æternum secundùm Ordioem Melchisedech, & fons Sacerdotii in Ecclesia Christiana. Hinc pio & salubri dictæ Mariæ Reginæ desiderio favorabiliter annuere, ac ipsum opus piom Sedis Apostolicæ consolatione confovere, nec non Christi Fideles ad pia, meritoria, & salutaria opera exercenda, Ecclesias quoque & sacra DEI Templa devotionis causa visitanda, æternis præmiis ac spiritualibus muneribus, & peccatorum remissione invitare volen-

volentes, nec non Henricum Episcopum & Petrum prædictos ac eorum quemlibet à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat exequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dicto Petro apud nos de Religionis zelo, vitæ ac morum honestate, aliisque probitatis ac virtutum meritis, ad laudem & gloriam Omnipotentis DEI Patris, & animarum salutem, unam sub nomine Oratorii Jesu Christi Congregationem in honorem Orationum, quas in diebus carnis suæ fudit; ut iis, qui Congregationem ipsam ingredientur, eundem Jesum Christum pro nobis in Oratione prostratum revereantur, atque ut jam Instituti, ad quod vocati sunt, moneantur, & præsertim semper hanc præcipuam omnibus communem & omni tempore congruentem Officii eorum partem, quæ in orationibus pro Populo ac in DEI laudibus celebrandis versantur, habeant, Apostolica Authoritate, tenore præsentium, sine alicujus præjudicio, perpetuo erigimus & instituimus: Dictumque Petrum Institutorem in Præpositum Generalem hujus piorum Sacerdotum, nulli antea Religioni voto solemni addictorum, nec non & aliorum ad Presbyteratus Ordinem promoveri cupientium, & reliquorum ad familiaria officia necessariorum, Congregationis Oratorii JESU Christi Domini Nostri nuncupandæ hujusmodi, qui simul & in societate Religiosè vivere, & in humilitatis spiritu & piæ vitæ studiis altissimo famulatum exhibere & impendere studeant. Quorum principale ac præcipuum Institutum sit, perfectioni Status sacerdotalis totaliter incumbere, singulasque actiones Ordini sacerdotali propriè & essentialiter convenientes, sibi ab eorum Ordinariis, ubi stabiliter fuerit, præscribendas, & non alias amplecti, Sacerdotum insuper, & aliorum ad sacrus Ordines aspirantium instructioni, non circa scientiam, sed circa usum scientiæ, ritus & mores propriè Ecclesiasticos, se addicere volentes; cum plena, & omnimoda facultate, potestate, & Auctoritate, eidem Petro per Nos ad id assumpto, & à dicta Maria Regina summoperè commendato, ut prædictam Congregationem hujusmodi, tam in Civitate Parisiensi, quam in omnibus aliis Civitatibus, Oppidis, terris, & locis, ad quæ à locorum Episcopis vocatus fuerit, & non aliàs instituendam, ac demum pro felici statu ac directione Personarum, ac bonorum spiritualium ejusdem Congregationis, seu Congregationum sic erigendarum tam circa receptionem & admissionem, numerum, ætatem, & qualitates in ipsa Congregatione recipiendorum & admittendorum, eorumque instructionem & disciplinam, exercitia, ac modum & formam Divinorum Officiorum, precum & orationum, aliorumque suffragiorum recitandorum,& alia in ipsisCongregationibus utilia atque necessaria quæcunqueStatuta, Ordinationes & Capitula, licita, & honesta, sacrisque Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, nec non Concilii Tridentini Decretis minimè contraria à sancta Sede Apostolica postmodum approbanda, confirmanda, ac per ipsarum Congregationum Præpositum, Presbyteros, Officiales, Ministros & Coadjutores, sub pœnis in eis apponendis, adimplenda & observanda faciendi, edendi, & condendi, factaque, edita, & condita, quoties pro illorum ac rerum & temporum qualitate & vicissitudine, seu aliàs videbitur, corrigendi, limitandi, immutandi, alterandi; ac etiam, ut præfertur, examinandi & approbandi, ac etiam ut præfertur, adimplenda & observanda, ex integro faciendi & condendi, aliaque omnia & singula à similium Congregationum, nec non quorumcunque Ordinum approbatorum Constitutionibus, aut aliis Superioribus etiam Generalibus, de jure vel consuetudine, sive ex Privilegio, aut aliàs quomodocunque fieri & exequi solita faciendi, & exequendi, dicta Authoritate deputamus & assumimus.

Omnesque alias, adinstar supradictæ per nos erectæ, Canonicè erigendas Congregationes, quas ab ea Parisiensi, & à dicto Præposito Generali, quocunque locorum stabilitæ fuerint, in omnibus dependere volumus, & intelligimus, ex nunc, prout postquam Authoritate prædicta erectæ fuerint, eisdem Authoritate & tenore perpetuo approbamus & confirmamus. Ita tamen quòd Congregatio Parisiensis saltem duodecim Presbyteris constare & tot reditus annuos habere debeat, ex quibus unicuique Presbytero hujusmodi portio annua 45 Ducatorum auri de Camera obvenire possit. Cæteræ vero Congregationes decem ad minus Presbyteros, ac eosdem reditus annuos, vel quæ Sedis prædictæ Legatus, aut pro tempore existens Nuncius Apostolicus, & Episcopus loci, ac dictæ Congregationis sic erectæ Præpositus Generalis, pro loci qualitate sufficere indicaverint, habere debeant. Et postremo eisdem Congregationibus ex nunc,

prout etiam postquam institutæ & erectæ fuerint, ut præfertur pro illarum dote, ac dicti Petri, nec non Præpositi Generalis & Presbyterorum eorundem pro tempore existentium sustentatione, & onerum illis incumbentium supportatione, omnia & singula, res, bona, fructus, reditus, & legata, ac eleemosynas, tam per dictam Mariam Reginam quam alios quoscunque Christi fideles dictis Congregationibus quomodolibet relinquenda, donanda, & elargienda (ita quòd liceat dicto Petro vel alii Præposito Generali & Presbyteris dictarum Congregationum pro tempore existentibus, illorum omnium corporalem, realem & actualem Professionem, per se, vel alium seu alios, dictarum Congregationum nomine liberè apprehendere, & perpetuò retinere, & fructus, reditus, ac proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcunque eorundem percipere, exigere, levare, recuperare, ac in dictarum Congregationum usus & utilitatem convertere (Diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minimè requisita) etiam perpetuò applicamus.

Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac Statutis & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, ac Litteris Apostolicis, quibuscunque Superioribus & Personis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis Decretis, in genere vel in specie, per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, & Sedem prædictam, ejusque Legatos quavis causa & occasione, etiam motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, ac etiam Consistorialiter, & aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis, & innovatis; quibus omnibus etiamsi de illis eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum & forma in illis tradita observata, nihilque penitus omisso, inserti forent, illis aliàs in suo robore permansuris, hac duntaxat vice specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Cæterum ad augendum Fidelium Devotionem, animarúmque saluti consulendum, & ut Christi Fideles ad hujus Instituti exercitium animentur atque inviten-tur, de omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus meritis confisi, omnibus & singulis Presbyteris, qui perpetuis futuris temporibus dictam Congregationem ingredientur, & in ea recipientur eorúmque Coadjutoribus & Oblatis, aliisque Ministris, die eorum & cujuslibet ipsorum ingressus, receptionis ac Professionis, ac in mortis Articulo, si pœnitentes & confessi, ac sacra Commmunione refecti fuerint, plenariam indulgentiam & omnium peccatorum suorum remissionem, eisdem Authoritate & tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus & elargimur. Postremò eisdem Præposito, Presbyteris, Coadjutoribus, Oblatis, aliisque Ministris prædictis, qui Congregationibus publicis vel secretis, pro quocunque opere pio exercendo, interfuerint, aut pium aliquod opus circa functiones suas exercuerint, toties, pro quolibet præmissorum piorum operum, & ut magis ad sui Instituti opera animentur, & suavius ad ea inviteutur, sexaginta dies injunctis eis vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, etiam Apostolica Auctoritate & tenore hujusmodi, misericorditer relaxamus; nec non tam ipsis, quam omnibus aliis Christi fidelibus, qui etiam verè pœnitentes & confessi, ac sacra Communione refecti, eorundem Presbyterorum Ecclesias aut Oratoria, in sanctissimi Corporis Christi, & Assumptionis B. V. Mariæ festivitatum, ac in quo Ecclesiæ seu Oratoria dictorum Presbyterorum in unaquaque Diœcesi seu loco proxima vice populo aperientur, diebus devote visitaverint, simili Apostolica Auctoritate, tenore præsentium etiam Indulgentiam plenariam & omnium peccatorum suorum remissionem concedimus & elargimur, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo &c. siquis autem &c. Datum Tusculi anno à Nativitate D. N. J. C. 1613. VI. Idus Maij, anno Pontificatus nostri octavo.

Pio

Pio Fundatori propositum erat congregationem instituere, cujus membra de suo viverent, officiaque Ecclesiastica obirent, quin idcirco beneficium quæ erat, aut aliud aliquod munus a Præsulibus Ecclesiasticis, quibus eandem præstare obedientiam deberent, quam in sacrorum Ordinum susceptionibus promiserant, & in quantum gloria Dei & Ecclesiæ utilitas ab iis exigeret, eum fere in modum, quo Jesuitæ Sacræ Sedi Apostolicæ sunt subjecti per votum Obedientiæ Papæ præstandæ. Congregationem banc in duo personarum genera partitus est, quorum unum eos complectebatur, qui jam in animarum cura essent versati, alterum fuit eorum, qui Institutionis gratia in Congregatione erant. Præpositus Generalis ex primis eos seligebat, quos domibus instituti præficeret; secundis domicilium tantum in Congregatione concedebatur, vitam & mores Ecclesiastico statu dignos per aliquod temporis spatium edocendis; atque in boc ultimo consistebat spiritus bujus Congregationis, in qua neque Humaniora, neque Theologia tradebantur, sed tantum virtutes, quæ Viros Ecclesiasticos decerent: quod tamen bujus Congregationis Presbyteris impedimento non fuit, quo minus postea in Collegiis & Seminariis Theologiam, & Humaniora docerent. Quantum ad Statuta, Fundator nulla condidit, volens, ut in potestate Generalis esset Congregationem temporibus & personis convenienter regere.

Eminens Præpositi Generalis statio Berullii virtutes omnium oculis exposuit. Congregationi enim suæ Humilitatis, Patientiæ, Charitatis in pauperes, ægrotos & peccatores, bominisque Confratrum suorum consiliis subjectissimi exemplum erat. Licet curiam secutus se, quantum fieri poterat, occulere perentaret, sæpe tamen magni momenti officia obire tenebatur. Discessit a Curia Regina Maria de Medicis animo offenso; ad eam igitur placandam a Rege legatur Berullius, qui imperatum adeo feliciter perfecit, ut Mater cum Rege Filio iterum in concordiam redierit.

Non multo post Romam mittitur pro obtinenda dispensatione nuptiarum inter Principem Valliæ Jacobi Regis Angliæ primi Filium, & Henriettam Franciæ contrahendarum, eaque accepta reversus sponsam in Angliam duxit. Post reditum ex Anglia Regi Auctor erat reprimendi superbiam & ferociam Hæreticorum, ablatis eorum castellis & munitionibus, quarum præsidio freti toties in Ecclesiam & Regem rebellaverant. Paulo pòst Rege & Regina Matre petentibus in S. R. E. Cardinalium Collegium ab Urbano Papa VIII., cui optime nota erant Berullii merita, anno 1627. coaptatus est. Eodem quoque tempore Summus Pontifex eum voto exsolvit, quo sibi omni beneficio Ecclesiastico interdixerat, imperans in virtute obedientiæ, ut Cardinalatum acciperet. Ex hac dignitate ejus humilitas magis elucescebat servata semper moderatione, paupertate & simplicitate Presbyteri JESU Christi, eodem quoque, quo antea usus fuerat, conviviorum modo, Domesticorumque comitatu, quanto tantùm opus erat. Quoties foras prodierat, unum e suis Confratribus, sicut cæteri Oratorii Patres consueverant, secum babuit. Non nisi super palea, ut antea, somnum cepit, cubiléque, in quo audiendis ad se venientibus præsto esset, aulæo solum & umbrella panni violacei, quem Galli Serge *dicunt, exornari fecit; sub qua tamen sedere ipse non sustinens Crucifixi imaginem collocavit: in suum vero cubile non plus ornatus contulit, quam in aliorum Patrum cubiculis erat; adeóque non nisi Cardinalatûs purpura supra cæteros eminebat. Verum brevi vel hac eminuit; nam anno, postquam Cardinalis factus est, secundo languore quodam correptus & somno privabatur, & cibum fastidiebat: non tamen exercitia ordinaria omittebat; neque diminuit quidquam de labore, quem in se suscepit tum Congregationis suæ, tum Carmelitissarum gratia, quarum erat Superior, neque de diligentia, qua Reginæ Matri serviebat, cujus in consilio, Rege victricia arma ultra alpes circumferente, princeps erat. Missam quotidie legit ea animi devotione, ut videntes ad pietatem accenderentur. Verum anno 1629. 2.do Octobris finita in Missa Evangelii lectione in tantam corporis infirmitatem incidit, ut manibus ægre sustentatum in sedili collocari oportuerit. Animo dein viribusque paulisper collectis, Sacrum usque ad ista Canonis verba* (Hanc igitur Oblationem) *continuans majus quam prius deliquium passus est: exutum igitur vestibus sacris in lecto ponunt, ad boc in ipsa Capella præparato; sicque receptis omnibus moribundorum Sacramentis animam Creatori suo reddidit, Fratres cohortatus ad perseverantiam in sacris exercitiis, fidémque Deo & Ecclesiæ præstandam præsertim in convincendis, atque ad obedientiam Sacræ Sedis revocandis Hæreticis. Demortui exsectum cor ad Monasterium Carmelitissarum translatum est, reliquo corpore in Ecclesia Oratorii, sita in platea S. Honorati, bumato; ubi Deus per plurima miracula servi sui sancti-*

tatem

tatem manifestavit; ex quibus factum est, ut Oratorium eo mortuo magnum incrementum sumpserit.

Nam, ut nihil dicamus de extraneis domibus, quarum undecim in Belgio, una Leodii, duæ in Comitatu Avenionensi, una in Sabaudia, quinquaginta & octo in Gallia numerantur, quarum pleraque ipso Fundatore vivente fuerunt erecta, inter quas est domus Oratorii in platea S. Honorati Parisiis, ubi adhuc duæ aliæ existunt, una in suburbio S. Michaëlis, altera in suburbio S. Jacobi.

Oratorii hujus Presbyteros nulla ab initio habuisse Statuta jam monuimus; Fundator enim quasi Oraculum & Magister suæ Congregationis erat: neque propterea minus libenter in urbes admissi erant. Verùm cum Rotbomagum delati suas litteras Patentes Senatui Normandiæ ostenderent, in tabulas publicas ut referrentur, impetrare non poterant, propterea, quod Parochi urbis, & Procurator Generalis obsisterent, causati, quod nulli Societati nequidem Ecclesiasticæ aditus in suam urbem pateret, nisi prius examinatis a se ejus Regulis & Statutis. Ocyus igitur Statuta condere cogebantur, quæ deinde exhibebant, protestati se non esse Religiosos, sed tantum Sacerdotes in unum congregatos, immediate dependentes ab Episcopis, in quorum Diœcesibus essent, neque saluti animarum operam dare nisi per eos, sub iis & propter eos. Adjiciebant insuper, se in Ordine Hierarchiæ Ecclesiasticæ esse paratos omnia facere, quæ ab ipsis exigerent Parochi, ut i confessiones excipere, administrare Sacramenta in eorum Parochiis ex expressa eorum licentia & non aliter, quam ut Capellanos. Parochi Rotbomagenses & Senatus his contenti eorum Patentes in Acta publica retulerunt.

A morte Berullii Oratorium in aliam regiminis formam brevi transiit. P. Carolus Gondren ipsius successor omnium domorum Concilium convocavit in domum sitam in platea S. Honorati Parisiis primo Augusti anno 1631.; ubi unanimi voce statutum est, statum suum esse mere Ecclesiasticum, nec posse se ullis votis Religiosis sive simplicibus, sive solemnibus obstringi. Siqui vero membra Congregationis ad vota emittenda cogere niterentur, aut ipsi emitterent, tales censendos esse a Congregatione separatos, etiamsi superiores numero essent; tenerique relinquere domos & bona inde dependentia illis, qui in Instituto mansissent mere Ecclesiastico & sacerdotali, etsi numero pauciores. In hoc quoque Congressu judicatum est supremam potestatem & auctoritatem ad Congregationem legitime convocatam pertinere, non vero ad Generalem Præpositum, quem in omnibus deberet accedere ad eam partem, quæ plura vota numeraret, censebant, voto ipsius non nisi pro duobus computato. Et quia ejusmodi Concilia singulis trienniis convocanda nimio sumptui erant, æquum censebant impensas suppeditari ab omnibus Domibus, quarum Deputati convenissent. Demum, ne bona Congregationis a Præfecto Generali, cujus officium non nisi cum ipsa vita finitur, dilapidarentur, aliquid de ejus potestate in bona temporalia præcidendum existimarunt. Assignati igitur sunt tres e Congregatione (salvo jure hunc numerum augendi) qui cum illo ultimam sententiam ferrent de rebus temporalibus, uti sunt fundationes, erectionesque Domorum, mutationes pecuniarum, & alia hujus generis. Statutum quoque est, ut, qui possent, quasdam pensiones solverent, nullo respectu habito ad opera, quæ præstarent, cautumque, ne quis sine titulo pro recipiendis Ordinibus sacris in Congregationem admitteretur, nisi Generali aliter disponere placuisset.

Secundus Generalis Conventus decrevit, ut qui Congregationem fuissent ingressi, illi associarentur per expressum Generalis Præfecti mandatum post tres annos totidemque menses a primo ingressu. Decretum hoc confirmatum fuit in quibusdam aliis Congressibus: verum nunc ejus ratio non habetur. In alio quoque Conventu Generali decretum est, Congregationem non esse corpus a Clero discretum; adeòque nullum membrum in hac Congregatione est, quod non possit ab ea sejungi, & omnibus integrum est suo arbitrio ab ea recedere.

Præcipua Oratorii Domus & Mater cæterarum sita est Parisiis in platea S. Honorati, ubi Generalis cum tribus suis Assistentibus moratur. Duas hæc habet Abbatias sibi annexas, unam in Insula Rea, alteram in Diœcesi Meldensi. Duas alias Domos habet Oratorium Parisiis, videlicet Abbatiam S. Maglorii in suburbio S. Jacobi Sedi Archiepiscopali junctam, quæ Archiepiscopo Seminarii instar est: Alteram in suburbio S. Michaelis, cui annexus est Prioratus S. Pauli ad sylvam in Diœcesi Suessionensi, cujus annui reditus 8000. LL. Gall. efficiunt.

Hujus

Hujus Oratorii ad annum usque 1719. fuerunt sex Præfecti Generales, quorum primus Cardinalis de Berulle, cui successit R. P. Carolus Gondren mortuus anno 1641. Huic substitutus Franciscus Burgoing Oratorium rexit usque ad annum 1662. quo mortuus est. Hunc excepit P. Joannes Franciscus Senaut, cui R. P. Ludovicus Abel de Sainte Marthe *successit; atque hoc Magistratum abdicante electus est in Generalem R. P. Petrus Franciscus* d'Arcrés de la tour, *qui anno 1719. adhuc erat Generalis.*

Oratorium hoc plures Galliæ Prælatos inter suos connumerat præter magnum numerum eorum, qui doctrina & scriptis libris eminuerunt, quorum maxime illustres sunt P. Malebranchius, Morinus, Thomassinus, & P. Bernardus Lamy &c.

Hac jam tum de ipso piissimo Institutore, tum de ipsius Instituti progressibus synopticè hic relata sufficiunt; hic quidem sicuti in cæteris præcedentibus Institutis apponi deberent Leges & Constitutiones sacri Oratorii, siquas ipse Institutor condidisset; cum autem nec ipse, nec ejus in Regimine Successores ullas scribere voluerint, ut supra vidimus in ipsorum Conventibus generalibus, sed hucusque Constitutionibus inter se solos notis gubernantur; nunc autem, sicut Parisiis certior factus sum, brevi sunt edituri in lucem publicam tum Constitutiones suas, tum Annales sui Instituti; ideo sufficiet interim earum loco consuetudines & modum vivendi ex Auberto Miræo transcribere.

Inprimis igitur in ipsam Congregationem non nisi Probati admittuntur Sacerdotes, vel sacerdotio destinati, itemque Laici exterioribus Ministeriis deputati. Qui omnes, ut nihil Juris acquirunt, dum se dictæ Congregationi adscribunt, sic etiam nihil perdunt aut amittunt de suis juribus, gradibus, beneficiis, ac bonis temporalibus, de quibus libere & pie possunt disponere. Debent tamen suis in Ecclesiis residere, quibus incumbit onus residendi. Cæterum, quæ apud Regulares Probatio seu Novitiatus, in Congregatione Institutio nuncupatur: nullo tamen præfixo Tyronibus spatio, nisi quod ex illorum statu aut maturo profectu, & Directorum arbitrio, ad Ecclesiasticæ Perfectionis apicem conscendentibus satis esse censetur.

Præter eos, qui dictæ Congregationi nomina dant, possunt etiam alii extranei Ecclesiastici Ordinis homines in eorum numerum, qui Aggregati appellantur, admitti: quia cum plerosque vel sui officii administrandi ratio, aut rei domesticæ necessitas, aut alia qualibet honesta causa legitimè queat impedire, quo minus Congregatorum numero se adjungant; non est æquum, quos ejusdem Ministerii communio jungit, ejusdem spiritus influxu & pietatis communicatione privari. Quodsi plures hujusmodi Aggregati eadem in urbe commorentur, poterunt sæpius statis diebus convenire, de spirituali profectu aut necessariis inter se acturi; & semel quolibet anno spiritualem exercitationem sive recollectionem per dies aliquot in dicta Congregatione facere, alioquin reliquo tempore (spontaneam tamen) directionem ab illa accepturi.

Congregatio duos fines habet propositos: alterum, ut internæ Perfectioni Ecclesiasticæ & Sacerdotali acquirendæ sedulo incumbat, Jesum Christum Dominum Nostrum, summum Sacerdotem, & Sacerdotum Institutorem speciali amore & honore prosequatur; ejus spiritu animetur interius, & ipsius sit bonus odor in omni loco & apud omnes exterius: alterum ut omnia, quæ sunt Sacerdotum munia & functiones ex eodem fonte Gratiæ & Spiritu per suos obire queat. Quarum quidem functionum summatim quatuor censentur Capita; primum erga Deum, tremendi Mysterii; secundum, Officii Canonici celebratio; tertium erga proximum, administratio Sacramentorum; quartum, prædicandi, exhortandi & catechizandi munus, & siquid aliud ad ea referri queat, ut institutio juventutis, quæ sine speciali mandato Episcoporum non est suscipienda. Hæc singula paucis verbis Apostolorum complectitur sententia, Actor 6. Nos orationi, *inquiunt*, & Ministerio verbi instantes erimus.

Ad illas porro functiones obeundas nullam Congregatio facultatem, jurisdictionem & potestatem sibi vindicat, aut proximè habet à summo Pontifice, sed omnimodam accipit ab ipsis Episcopis, ita, ut ipsi non tantum impediendi, prohibendi, interdicendi, sed etiam præcipiendi, injungendi, & in virtute obedientiæ ad exercenda munia sacerdotalia, ubi & quando expedire videbitur, obligandi erga Congregationem auctoritate polleant, & ipsa Congregatio votum obedientia

dientiæ, quam in sua consecratione Sacerdotes promiserunt, quasi renovare, & in praxim omnino reducere, quantum in se est, intendat. Easdem vero functiones in Ecclesiis Parochialibus, si Curati seu Pastores voluerint, & vocaverint, & non aliis exercere solent, ut Confessiones audire, Conciones, Exhortationes, Catecheses habere, sanctam Eucharistiam ministrare. Cæterum inter alia pietatis exercitia non illud ultimo loco ponendum, quod tam Sacerdotes, quam Saeris initiatos vel initiandos, ex arbitrio Episcoporum non tam in scientia, quam in usu scientiæ, hoc est, in praxi functionum, & in pietate ac perfectione sacerdotali instruant.

Quantum vero ad Statuta Congregationis attinet, quamvis usu potius & moribus, quam statis legibus vivat, aut certè non alias leges habeat quam Canones Ecclesiæ & cujusque Diœcesis, in qua est instituta, Constitutiones synodales; quæ tamen servat in praxi, hæc sunt præcipua. Domo, mensa & victu communi utitur: nisi quid aliud necessitas ex infirmitate, ætate, aut alia ex causa, & charitas, quæ in ipsa omnium maxima esse debet, exigat. Vestitu item utitur honesto, sicut Sacerdotes decet, ut non vituperetur Ministerium, modesto tamen & uniformi: ut luxus omnis & curiosi cultus amor evitetur. Quæ unicuique sunt necessaria, ab eo, cui œconomia domus commissa est, subministrari solent, ut hac seposita cura liberius DEO vacare queant. Qui habent facultates aliquas, vel ex proventibus beneficiorum, vel ex propriis, quod æquum est, vel charitas suggesserit, in commune conferunt: qui vero illis carent (si modo sint virtute & dotibus requisitis præditi) ùt absque ullo discrimine in Congregationem admittuntur, sic illis de omnibus necessariis communi charitate providetur. Obedientiam ex animo, Humilitatem, Charitatem, Modestiam, & alias virtutes verè Ecclesiasticas seu Sacerdotales Congregatio congruis exercitiis colit; præcipuè veram & internam pietatem ac devotionem erga Dominum nostrum JEsum Christum, ejusque Matrem sanctissimam. Præter Missam majorem ex Officio Ecclesiastico Horas plures aut pauciores, pro judicio Episcoporum cantant. Exercitia porro quotidiana cum Horarum distributione, sunt ista:

Hora quarta matutina omnes surgunt, per integram horam vacant Orationi, hora octava recitant & canunt Lytanias. Quod superest temporis, piis exercitiis, studiis, celebrationi Missarum, & aliis, ad quæ vocati fuerint, impendunt. Hora prandii, præmisso brevi examine, conveniunt omnes triclinium: ubi triplici pascuntur lectione, S. Scripturæ, vitæ alicujus Sancti, & pii cujuspiam Tractatus ex Patribus. A prandio spatio unius horæ familiariter inter se conversantur. Aliquis ad id deputatus unam aut alteram è novo Testamento quæstionem proponit, de suo quisque ordine modestè & sine ulla contentione sententiam suam dicit. Qui vero proposuit, genuinum è probato ac fido Auctore sensum aperit. Postea duæ vel tres morales quæstiones, seu casus conscientiæ ab alio propositi eodem modo expenduntur, & resolvuntur. Tertius historiam aliquam probatam narrat: & si opus fuerit, aliquod dubium exagitatur. Exinde omnes se ad sua recipiunt, & hora quinta conveniunt ad Lytanias, & ad brevem orationem mentalem in Oratorio habendam: unde Oratorii nomen sumpsit exordium. A cœna iisdem exercitiis fere horam impendunt: & facto simul examine, Matutinum & Laudes privatim recitant; ita ut circa horam nonam, aut paulo post, possint lecto decumbere. Congregatio nihilominus, quantum decet & potest, mores Regionis & ritus Ecclesiæ loci, in quo est instituta, sequitur.

Domus

Domus & Collegia seu Gymnasia Publica Congregationis Oratorii J. C. D. N. in Gallia.

Parisiensis Domus totius Congregationis Caput, in qua Præpositus Generalis cum tribus Assistentibus & Secretario (ad quos universæ Congregationis regimen pertinet) ordinariè residet. Fuit ea Lutetiæ primum cœpta in suburbio S. Jacobi in ædibus conductitiis, quas vernaculè *petit Bourbon* vocant, anno 1611. die 11. Novembris S. Martino Galliarum Apostolo sacra à R. P. Petro Berullio, & aliis quatuor piis doctisque Sacerdotibus, videlicet Joanne Bence, Jacobo Gastaut, Doctoribus Sorbonicis, Francisco Bourgoignæo & Paulo Metezello. Hi postea ad palatium defuncti Cardinalis Jovisiani, (vulgo de Boucage) nuncupatum prope Luparam arcem Regiam commodo loco situm, sese transtulerunt, vicinoque fundo coëmpto templum ibi egregium, in quo Sacra nunc peragunt, à fundamentis excitârunt. Cæterùm primis istis quinque Presbyteris in unum congregatis exinde alio duo Doctores Sorbonici Claudius Bertin, & Guilelmus Gibyeur patria Bitricenses sese uno eodemque die adjunxerunt. Crescente rei ram sanctæ fama plurimi genere, doctrina, Legationibus, aliisque functionibus cùm rogatis tum sagatis clarissimi huic sacræ militiæ nomen dederunt. Inter eos, qui libris editis existimationem etiam apud exteros sibi pepererunt, præter Berullium, Burgoignæum, & Metezellium non fuêre postremi Joannes Morinus Blesensis, Theologus Hebraicæ, Græcæ & Latinæ Linguarum peritissimus, Nicolaus Borbonius Regius Litterarum Græcarum in Academia Parisiensi Professor, Petrus Berthaultius Historicus & Florus Gallicus. De aliis pæne innumerabilibus alibi locus dicendi se offeret. Cæterum Petrus Berullius à Paulo V. primus Congregationis Præpositus Generalis, exinde anno 1627. nihil tale cogitans imò reluctans S. R. E. Cardinalis creatus, anno demum Christi 1629. ætatis 55. postridie Calendas Octobris magna sanctitatis opinione decessit. Berullio in Præpositura Generali suffectus est Patrum suffragiis Carolus de Gondren, Gastoni Borbonio Duci Aurelianensi Ludovici XIII. Francorum Regis Fratri unico à sacris Confessionibus. *Paris.*

S. Maglorii Domus, in S. Jacobi suburbio Parisiensi, olim Abbatia Benedictinorum, oratorio addicta est per indultum Pontificium. *S. Magoire.*

Nostræ Dominæ Virtutum Domus, in pago Auberti Villarii, sesquimilliari à Parisiis distante, cum cura Ecclesiæ Parochialis & Sacelli Deiparæ, quod Procerum & Civium Parisiensium piè peregrinantium concursu in dies frequentatur. Domum anno 1620. fundavit vir nobilis Franciscus Montoloneus, illius loci Toparcha. Eodem procurante, Paulus V. Ecclesiam Parochialem, cum dicto Sacello, Congregationi Oratorii annexuit. *Nostre Dame de Vertu.*

Montmorentiana Domus, tribus leucis à Lutetia Parisiorum, ab Henrico Montmorencio Duce, Patri & Marescallo Franciæ ad 1619. instituta. Templum est eximiæ structuræ, olim à Canonicorum Collegio possessum. *Montmorency.*

Mariniensis Domus a Franciæ Cancellario Domino de Sillery ex fundamentis anno 1619. in pago de Marine educta. Eodem agente, illius loci cura pastoralis, cum Prioratu, per Pontificem Oratorio fuit annexa. *Marine.*

Rorariensis Domus annexum habet illius loci Prioratum, olim Ordinis Grandimontensis. *Roray.*

Maulensis & *Toriensis* Residentiæ, cum cura Pastorali & Prioratu annexo. Atque istæ quidem Domus ac Residentiæ, hactenus à me enumeratæ subsunt immediatè Domui Parisiensi. *Maul* & *Toiry.*

Rotomagensis Domus, in urbis meditullio 1615. constructa, magno Cleri ac populi bono spirituali *Rouen.*

Diepensis Domus in Normannia, à Francisco Cardinale Jovisiano, eodemque Archiepiscopo Rotomagensi 1629. fundata. Patribus postea Regimen Collegii seu Gymnasii publici est commissum, in quo præter Litteras humaniores, Philosophiam & Theologiam moralem explicant. *Dieppe.*

Cadomensis Domus in Normannia à N. Presbytero Congregationis Oratorii amplis ædibus ac redditibus annuis dotata. *Caen.*

Ambianensis Domus in Picardia 1626. instituta. *Amiens.*

Peronensis Domus in Picardia cum Collegio litterario. *Perone.*

Boloniensis Domus habet Collegium litterarium à Victore Boutillier Episcopo illius urbis, liberaliter dotatum. *Bologne.*

Aurelianensis Domus 1615. à Cl. V. Furnerio, Juris Doctore & Professore Regio, fundata, pòst templo egregio & munere concionandi in Basilica Cathedrali, quæ S. Croci sacra est, adaucta. *Orleans.*

Bituricensis Domus ab Henrico Borbonio, Principe Condæo, illius Provinciæ Gubernatore, à fundamentis excitata anno 1623. *Bourges.*

Nivernensis Domus à Leonoro Destrapes, Archiepiscopo Auxitano, in ædibus avitis erecta ac dotata anno 1625. *Nevers.*

Turonense Oratorium in Prioratu & templo S. Michaëlis. *Tours.*

Rosionensis Residentia à N. Viro nobilissimo Congregationis Oratorii Presbytero, illius loci Domino instituta. *Rosiers.*

Vindocinensis Domus & Collegium, in quo Litteræ humaniores, Philosophia & aliæ Disciplinæ cum pietate eximiè florent, dotem suam debent Cæsari Duci Vindocinensi, Henrici IV. Francorum Regis Filio naturali. *Vendosme.*

Ardilliensis Domus prope Salmurium oppidum ad Ligerim fluvium sita est juxta Sacellum Deiparæ cultu, miraculis, & peregrinorum concursu celeberrimum fundata 1617. à Leonoro de Estampes Abbate Burgoliensi, pòst Carnutensi Episcopo, Rege ac Senatu approbantibus. In dicto Sacello Patres Oratorii triginta & amplius numero, excipiendis pie peregrinantium sacris Confessionibus, alisque Religiosis exercitiis assiduam dant operam; & domi suæ Theologiam, atque inprimis Fidei controversias adversus Calvinianos Salmurii potissimum obstrepenres, diligenter explicant. *Nostre Dame de Ardilliers.*

Salmuriense Collegium, in ipso oppido juxta munitissimum castrum (quod Minervæ quis dixerit) situm, iisdem Patribus est creditum, ad liberales artes juventuti undique confluenti, cum sincera Religione ac pietate tradendas. *Saulmur.*

Andegavensi in urbe Congregatio Oratorii præter amplam Domum possidet & Collegium à Domo sejunctum, in quo Logicæ, Physicæ ac Metaphysicæ exercitationes præter Litterarias ab anno 1624. mirificè florent. *Angers.*

Niortensis Domus ab uno ex primis Congregationis Sacerdotibus donata, & annuo censu stabilita est circa annum 1618. *Niort.*

Cenomanense Collegium & Seminariū ab illius Urbis Episcopo N. & Clero fuit institutum, ad litteras humaniores, Philosophiam & Theologiam moralem auditoribus, qui frequentes eò undique concurrunt, explicandam. *Le Mans.*

Nannetensis Domus in Britannia minori, ab illius urbis Episcopo Carolo de Bourgneuf anno 1615. liberaliter fundata est. Exinde à Senatu ac populo Nannetensi 1620. Patribus Oratorii commissum est Collegium Universitatis seu Academiæ, in quo omnes Disciplinæ traduntur, & honores seu Grandus (ùt vocant) academici emeritis conferuntur. *Nantes.*

Rupellensi in urbe Sacerdotes Oratorii jam inde à primis Congregationis initiis, medios inter Hæreticos stationem habuerunt, magno Religionis Orthodoxæ commodo. Urbe à Ludovico XIII. Francorum Rege anno 1628. subacta omnes illius loci Parochiales Ecclesiæ iisdem Sacerdotibus petente eodem Rege per Diploma Pontificium sunt commissæ. *Rochelle.*

Trecensi in urbe Congregatio duas habet mansiones: unam in Xenodochio S. Spiritus, quod inde anno 1618. jussu Senatus ac populi commodiorem in locum est translatum. Altera Mansio, à priore sejuncta, Collegium nuncupatur, in quo Disciplinæ omnes Liberales, cum Philosophia, magno Civium, aliorumque fructu & applausu explicantur. *Troyes en Champagne.*

Divione in Ducatu Burgundiæ, Patres Oratorii, ab anno 1620. ex Indulto Apostolico domicilium habent in Prioratu amplo, qui *sanctus locus* appellatur aliàs vulgò Vallis collium, seu Caulium. *Dyon.*

Lingonensis Domus à Sebastiano Zametio Episcopo ac Duce Lingonensi tèmque Patri Franciæ anno 1620. instituta.

Idem

Idem porro Antistes Seminarii sui Episcopalis regimen Patribus commisit, qui Parochos plurimos à se eruditos & quàm maximè idoneos inde in messem Dominicam solent emittere. *Langres.*

Belnensis urbis Domus & Collegium seu Gymnasium litterarium. *Beaulne.*

Cabilonensis Domus in Ducatu Burgundiæ. *Chaalon.*

Matisconensis Domus titulo Seminarii nostræ Dominæ de bono successu, est secunda à Domo Parisiensi anno 1613. inchoata. Religiosissimè in ea asservatur pervetusta Deiparæ Imago, quam à sancto Luca depictam tradunt; estque à multis retro sæculis in summa apud Clerum ac populum veneratione. *Mâcon.*

Lugdunensis Domus in monte S. Sebastiani loco amœnissimo & amplissimo circa annum 1616. ædificari cœpta est; in ea studium Theologicum eximiè florere solet, ut & Cleri Institutio. *Lion.*

Claromontensis Domus apud Avernos, in meditollio urbis circa annum 1618. inchoata. *Clermont en Auvergne.*

Effiatensis Domus à Marchione de Effiat, Marescallo Regni Francici 1629. magnificè extructa, & amplis redditibus locupletata. *Effiat.*

Riomensis Domus & Collegium à Senatu populoque 1625. dotatum, ad scholas in eo litterarias aperiendas. *Riom.*

Montbrisonensis Domus ex contractu cum Magistratu 1622. inito suppeditat Professores ad Philosophiam & artes humaniores in Collegio seu Athenæo publico explicandas. *Montbrison.*

Domus nostræ Dominæ Gratiarum in Provincia Forerienſi (vulgo Forez) à pio ac nobili Sacerdote hujus Congregationis instituta & fundis aucta. Is locus multa piorum Fidelium frequentia indies honoratur. *Nostre Dame des Graces en Forez.*

Residentia in mala Valle à pio ac probo viro in avitis ædibus fundata est, nascente Congregatione Oratorii in Gallia. *Mal-Val.*

Residentia S. Georgii in oppido ejusdem nominis apud Delphinatos sub idem tempus est inchoata *S. George.*

Tolosana Domus juxta Ecclesiam Parochialem B. Virginis Dealbatæ (vernaculè à albade) 1619. collocata. Patres habent curam illius Parochiæ & Collegii XII. Sacerdotum ibidem fundati. *Tolose.*

Frontiniacensis Domus à parvis initiis, populi devotione excrevit in amplas ædes, & templum nunc habet splendidum à fundamentis exstructum. *Frontignan.*

Jovisiensem seu *Joyeusianam Domum* Catharina de Joyeuse Ducis Guisii conjux excitavit juxta testamentum atque extremâ voluntatem Patrui sui Francisci Cardinalis de Joyeuse suprà laudati. *Joyeuse.*

Domum Burgisfandeolensem, in oppido S. Andeoli à pio hujus Congregationis Sacerdote inchoatam, nobilissima Matrona Ducis de Vantadour uxor 1630. annuo censu auxit. *Bourg S. Andeol.*

Domus B. Virginis de Gratia in Provincia, & Diœcesi Forojuliensi, vivente S. Philippo Nerio fundata, & suprà à nobis memorata sub eodem Instituto perseverans cum Congregatione Oratorii I. C. nunc est unita: & ex privilegio secundum à Parisiensi Domo locum in Comitiis obtinet. Templum est miraculis, cultuque Virginis famosissimum. *Nostre Dame de Grace en Provence.*

Domus seu *Residentia nostræ Dominæ Alpiensis*, est Domui jam laudatæ annexa. *Anps.*

Domum Aquensem sub Instituto S. Philippi Nerii à se fundari cœptam R. P. Joannes Bapt. Romillomius, eximiæ Vir sanctitatis, Congregationi Oratorii I. C. anno 1618. cum aliis XII. Domibus seu Coloniis, adjunxit. *Aix en Provence.*

Domus Pertuitensis ab Aquensi suam institutionem ac disciplinam hausit, habetque templum nunc elegans. *Pertuis.*

Massiliensis Domus juxta Sacellum S. Marthæ (quod illius Urbis est antiquissimum) primitus est collocata; pòst à Senatu ac populo aucta publico Gymnasio; in quo antiqua Massiliensium in Græcis ac Latinis Litteris tractandis gloria revirescit. *Marseille.*

Arelatensem Domum Caspar Laurentius Archiepiscopus Arelatensis instituit, primis Patribus ex Aquensi Domo evocatis: quibus & Principale Urbis templum Parochiale, Reliquiis S. Annæ famosum reddidit. *Arles.*

Tolonense Collegium Directioni Congregationis anno 1624. est commissum. *Tolon en Provence.*

Domus & Sacellum nostræ Dominæ spei Oliolensis concursu populi celebre Congregationi an. 1633. attributum. *Olioules.*

Domus Civitatensis in Civitatula oppido ob portum ad mare celebri. *La Civitat.*

Domus Graßensis ab illius urbis Prætore 1630. liberaliter fundata. *Grasse ville Episcopale* 5. leucis ab Antipoli.

Domus Pezenacensis in Occitania inferiore, cum Collegio litterario. *Pezenas.*

Domus Grandomensis in Aquitania, cum Gymnasio publico, in quo humaniores Disciplinæ, cum Philosophia Juventuti traduntur. *Condom ville Episcopale.*

Domus Lemovicensis à pio ex Congregatione Presbytero circa 1614. dotata. *Limoges.*

Lucianense Seminarium ab Amando de Richelieu Episcopo Lucionensi, pòst Cardinale institutum. *Luçon.*

Domus seu *Residentia Romana* juxta Ecclesiam S. Ludovici Francorum Regis Pontificio & Regio Diplomatibus firmata. *Roma.*

Nanceiana Domus in primaria Lotharingiæ Urbe circa annum 1619. ab Henrico II. Lotharingiæ Duce fundata: Cui annexum est onus Parochiæ B. M. V. in urbe veteri. *Nanci en Lorraine.*

Domus Leuxensis à Falseburgi Principe liberaliter fundata. *Leuxen.*

Residentia Madritensis in Hispania cum cura Xenodochii ex fundatione Abbatis Galli ibidem circa annum 1620. defuncti. *Madrid.*

Aliæ Domus CONGREGATIONIS ORATORII in Belgio & Comitatu Burgundiæ proximè imitantes Institutum S. PHILIPPI NERII, & speciatim destinatæ in adjutorium Episcoporum.

Domus Polignia censis in Comitatu Burgundiæ & Diœcesi Vesontionensi anno 1616. cœpta est ab aliquot piis provinciæ Sacerdotibus, probante Alberto Austriaco Belgarum ac Burgundionum Principe, per Diploma. *Poligny.*

Domus Salinensis 1624. ab eisdem Sacerdotibus inchoata, probante Serenissima Hispaniarum Infante Isabella Clara Eugenia Alberti Vidua. *Salins.*

Domus Lovaniensis in Brabantia anno 1626. fundari cœpta est ab Illustrissimo atque Reverendissimo D. Jacobo Boonen, Archiepiscopo Mechliniensi; approbante eadem Serenissima Infante. Fundum idem Illustrissimus D. Antistes de suo emit, & dotem liberaliter adjecit. Patres in Basilica Urbis primaria Divo Petro sacra fidelium Confessiones excipiunt & statas Conciones ad Cives ac Studiosos habent. *Lovain.*

Domus Mechliniensis anno 1629. inchoata adjuvante eodem Illustrissimo D. Archiepiscopo, qui unà cum Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ ac Magistratu Collegium seu Gymnasium publicum Patribus commisit ad juventutem undique confluentem bonis moribus ac litteris imbuendam. In Basilica Metropolitana (cujus ipsi gremio sunt incorporati) variis functionibus sacris intendunt. *Malines. Mechelen.*

Residentia Brixellensis in Urbe Regia anno 1633. inchoata. *Bruxelles.*

Residentia Tamisiensis in Wasia, quatuor Presbyterorum Oratorii, quos Perillustris ac Reverendissimus D. Antonius Triest Episcopus Grandensis ex diœcesi Mechliniensi an. 1630. eo evocavit, & sua liberalitate innuit. Dicti Presbyteri pastoralia ibi munia summo animarum fructu exercent. *Tamise. Tempst* ad Scaldim fluvium.

Domus Malbodiensis, vel, ùt Sigebertus & alii Scriptores vetusti appellant, Melbodiensis in Hannonia ad fluvium Sabim anno circiter 1627. institui cœpta est munificentia Illustrissimi ac Reverendissimi Francisci Van der Burch Archiepiscopi ac Ducis Cameracensis. Pastoralem curam oppidi illius Urbanus VIII. Congregationi Oratorii in perpetuum commisit; Abbatissa & Canonicarum nobilium Collegio consentientibus, & Philippo IV. Hisp. Rege per Diploma approbante. *Maubeuge.*

Domus Montensis in Hannoniæ Metropoli, à tribus Sacerdotibus, natura fratribus, genere nobilibus, fundata ac dotata. *Mont en Hainau. Berg ben Henegouw.*

Domum Sonegiensem in Hannonia, Andreas Trevisius Italus Casalensis, Alberti & Isabellæ Belgii Principum Doctor Medicus, suo ære emit, & Congregationi donavit, Urbano VIII. Papa confirmante. *Seigny.*

ADDI-

ADDITAMENTUM LIII.

INSTITUTUM CLERICORUM SÆCULARIUM IN COMMUNE VIVENTIUM, *Vulgò* BARTHOLOMITARUM.

OBSERVATIO CRITICA.

PIO huic Instituto initium dedêre Clerici quidam sæculares in Germania Spiritu Dei animati, cupientes vitam vivere Viris Ecclesiasticis dignam, qui, quo vocationem suam clericalem certam, ac Ecclesiæ utiliorem facerent, vita genus & sacris Canonibus conforme, & ab omnibus impedimentis perfectionem Clericalem assequendi remotissimum ducere decreverunt. Ista autem impedimenta communiter inveniuntur esse hæc tria: Otium, Conversatio cum diversi sexus hominibus, & Indebitus bonorum Ecclesiasticoum usus. Hos igitur periculosos salutis scopulos quo certiùs devitarent, circa medium præcedentis Saculi XVII. saluberrimi hujus Instituti fundamenta hac ratione jecerunt.

Ac primo quidem, ut otii scopulum evitarent, Episcopos suos Diœcesanos adeunt humiliter flagitantes specialius occupari in proximorum salute procuranda, spondentes tantam iis obedientiam & subjectionem, ut nullam aliam viderentur habere propriam voluntatem, quam suorum Episcoporum, à quorum nutu perfectissimè in posterum dependere profitentur. Ut secundum de mulierum consortio scopulum evaderent, communis vitæ societatem sub discreti Superioris regimine instituunt, & quidem in talibus domibus, ad quas nullis cujuscunque conditionis mulieribus aditus pateret. Et demum ne in tertium scopulum malum nempe usum bonorum Ecclesiasticorum impingerent reditus suos omnes in unum contulêre, ut sic certatim eò liberius charitatis, pietatisque operibus sese totos impendere possent, tum ad gloriam summi optimique Dei, tum ad salutem animarum.

Hujus sancti consilii primus Auctor fuit Ven. Vir Bartholomæus Holzhauser in pago Lognau quatuor Dilinga leucis distante in Episcopatu Augustano, natus anno 1613. circa festum S. Bartholomæi, cujus nomen in sacro Baptismatis fonte fuit sortitus. Prima linguæ latinæ rudimenta Augusta Vindelicorum edoctum parentes Neoburgum ad Danubium situm humanioribus litteris instruendum miserunt: quibus egregio cum profectu feliciter absolutis Ingolstadium se contulit Philosophicis simul ac Theologicis studiis ea in Academia operam navaturus. Sacro Presbyteratu initiatus primam Deo hostiam in sacello B. V. de Victoria obtulit solemni Pentecostes die anno 1639. annoque sequenti Doctoris gradum in sacra Facultate adeptus.

Nec

Nec ita multo post Ingolstadio Salisburgum profectus, ope quorundam Sacerdotum, quibuscum suum communicavit consilium, eodem anno sui tam laudabilis Instituti fundamenta jeceras die S. Petro à Vinculis sacro, uno tantummodo Canonicatu, cui annexa erat cura S. Laurentii de Tittmoning, *prius obtento; quod postmodum brevi post tempore Deo opitulante in variis Diœcesibus & Provinciis in dies ad præsens usque tempus adeo excrevit, ut non tantum ab Eminentissimo Joanne Philippo Archiepiscopo Moguntino S. R. Imp. Principe Electore, non obstantibus etiam quibuscunque adversantium machinamentis, sed etiam ab aliis pluribus Archi- & Episcopis fuerit in eorundem Archi- & Diœceses receptum, & expressè approbatum: nominatim vero in Archi-Diœcesin Salisburgensem mox in principio ortus sui, ac postea in Diœceses Herbipolensem, Passaviensem, Frisingensem, Augustanam, & anno 1650. in Ratisbonensem ab Eminentissimo Francisco Wilhelmo ex Illustrissima Comitum de Wartenberg Prosapia S. R. E. Cardinale & Episcopo Ratisbonensi, à quo zelosissimo Principe per publicas litteras Clero Diœcesis Ratisbonensis copia facta, ut, qui voluerint, huic Instituto se adjungere possint. Exemplum horum Eminentissimorum & Celsissimorum Principum paulo post secutus Archi-Episcopus Strigoniensis Regni Hungariæ Primas.*

Tandem etiam ad ipsum Institutum post plurium qua Ecclesiasticorum, qua secularium Principum, præprimis autem ipsius sacræ Cæsariæ Majestatis commendationem in forma specifica approbatum, & à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. Papa Beatissimæ memoriæ confirmatum fuit, & ab ipso eodem Sanctissimo variis singulari zelo & efficacissimis verbis comendatum; in litteris enim ad S. Cæsaream Majestatem 6. Julii 1680. datis hæc habet: Institutum Clericorum in commune viventium &c. adeo uberes in colenda vinea Domini fructus pollicetur, ut magno apud omnes in pretio esse atque ab omnibus foveri mereatur.

In litteris ad Eminentissimum Moguntinum 1. Junii 1680. leguntur sequentia: Institutum &c. ad proximorum salutem procurandam accomodatis regulis constat, ut ejusdem propagationem Germaniæ admodum profuturam planè speremus.

Ad Celsissimum Archi-Episcopum Salisburgensem inter alia idem Sanctissimus sequentia dedit: Quia verò inde Institutum magnopere nobis cordi est, & esse debet, qui speremus uberes ab eo ad animarum salutem fructus provecturos, propterea majori quo possumus charitatis sensu illud tibi commendamus, cupimusque vehementer, ut tam præclarum opus continenti patrocinio tueri, ac in omnibus iuvare studeas: tuos etiam Comprovinciales Episcopos In idipsum incitando &c.

Similia penetrantia verba præfatus Sanctissimus habet in Brevibus ad Archi-Episcopum Strigoniensem, Episcopum Viennensem, ad Serenissimum Maximilianum Philippum ex Ducibus Bavariæ &c. ac postremò ad Præsidem Instituti, omnesque ejusdem sectatores. Post hanc confirmationem Apostolicam memoratum Institutum similiter introductum est in inclytum Poloniæ Regnum, ac primitus in Diœcesin Posnaniensem, deinde Luceorniensem, cujus Episcopus illud publice in Synodo Diœcesana recepit, suumque Seminarium, quod Janoviæ fundavit ejusdem Instituti Sacerdotibus perpetuò commisit. Hoc exemplum secutum Venerabile Capitulum insignis Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis S. Joannis Baptistæ tradendo Seminarium suum Sacerdotibus Instituti; quod & præstitère in Germania Archi-Episcopus Moguntinus Moguntiæ, & Episcopus Augustanus Dilingæ. Insuper in Diœcesibus plerisque, ubi receptum est Institutum, sicut & in terris hæreditariis Domus Austriacæ in beneficiorum collationibus præferuntur Sacerdotes hujus Instituti aliis, qui non sunt de Instituto.

Anno 1644. in Helvetiam quoque admissum est Institutum, ad quod amplectendum Episcopus Curiensis Clericos suos summopere cohortatus est.

Anno demum 1681. Ven. Institutor à superius nominato Archi-Episcopo Moguntino Decanus & Parochus in Bingen *constituitur, quo tamen beneficio quatuor tantum annis potitus est; dum enim Apostolicis suis laboribus pro Cleri secularis reformatione, Institutoque suo latius adhuc propagando totus incumbens sicut in fama sanctitatis vixit, in eadem quoque mortuus est anno 1685. die 20. mensis Maji, ætatis vero 45. Vir planè magnus & omnibus Apostolicis virtutibus insignitus, Prophetiæ* in-

insuper dono clarus, cujus vita sæpius jam impressa omnino digna est, ut legatur. Revertamur jam ad ipsum Institutum amplius explicondum, cujus scopus in eo præcipuè situs est, ut efficiantur boni Pastores, boniq. Ministri non solum pro urbibus, sed & pro pagis ruralibus, sed pro his præcipue. Eum enim in finem Sacerdotibus istis conceditur directio Seminariorum, ut exerceantur in functionibus pastoralibus & operibus charitatis tam spiritualibus quàm corporalibus: quæ omnia ut fiant ordinatim & modo stabili, juramento (Conventionale nuncupant) se obligant, nunquam se proprio arbitrio separandi à communitate.

Tria domorum genera in qualibet Diœcesi habere possunt. Prima debet esse pro juniorum Clericorum congrua educatione. Secunda complectitur diversa habitacula pro Parochis, Beneficiariis, & aliis Sacerdotibus. Tertia demum est pro senibus & emeritis, & pro iis, qui omnis laboris incapaces sunt. Secundùm hanc trinam domorum differentiam eorum Constitutiones dividuntur in tres partes principales. Prima agit de directione Seminariorum, secunda de Sacerdotibus, Parochis, aliisque Beneficiariis, tertia de iis, qui senio jam sunt confecti, multisque laboribus fracti: addita est quarta pars pro directione propria cujusque animæ, & animarum sub eorum cura constitutarum, & hæc est singulis communis.

Juniores Clerici frequentant publicas scholas, & domi insuper habent Magistros & Repetitores, qui ipsorum studiis gnaviter invigilant, eosque dirigunt. In tres diversas Classes sunt distributi, quæ sunt totidem gradus, per quos transire oportet. In prima Classe instituuntur in litteris humanioribus, & pietatis exercitiis ad eos Ecclesiastico statui aptandos accomodatis. Ex hac ad secundam Classem Philosophicis disciplinis destinatam ascendunt; & hic quidem jam promittunt vivere & perseverare in Instituto. Tertia est Theologorum, Canonistarum, aliorumque, qui quatuor minoribus Ordinibus initiati absolutis studiis instruuntur in iis, quæ spectant ad curam animarum: & hi juramento se obstringunt ad Institutum, quo tamen non impediuntur, priusquam sacros Ordines fuerint adepti, redire ad sæculum ex Superioris licentia, idque ex causa legitima.

Seniores diligenter invigilant junioribus Seminaristis, ne otio vacent: quapropter mane, postquam surrexerint ad horam præstitutam, qui in scholis inferioribus adhuc versantur, impendunt quadrantem horæ lectioni spirituali: qui autem in secunda & tertia Classe sunt, per mediam horam orationi mentoli vacant. Omnes simul Missæ tenentur interesse, qua finita reliquum temporis antemeridiani totum litteris incumbunt; paulo ante prandium simul omnes recitant Litanias omnium Sanctorum.

Durante prandio & cœna legunt secundùm ordinem ex sacra Scriptura, & quidem sub prandio testamentum antiquum, sub cœna vero novum. Legitur etiam Martyrologium pro die sequenti, deinde historia Ecclesiastica, vitæ Sanctorum, aut alii ejusmodi libri. Post prandium finita relaxationis hora in cantu exercentur: postea Theologi brevi absoluturi Ceremoniis Ecclesiæ addiscendis operam navant, quo exercitio finito ad studium suum se conferunt. Feriis sextis & Sabbatis post cœnam colloquium spirituale instituitur, post quod Rosarium simul recitant. Diebus festis & Dominicis Missa solemniter cantatur pro Seminaristis, qui post prandium intersunt Concioni, & scholæ spirituali, in qua docentur virtutes Christianas, & morales, iisdemque diebus Theologi post cœnam alternit vicibus concionem habent lingua vernacula.

Mittuntur ad scholas publicas in locis, ubi habentur additis monitis, ut a reliquis studiosis sæcularibus se abstrahant. Præter repetitiones porticulares, quibus Philosophi exercentur, tenentur singulis septimanis unam publicam coram reliquis facere: quod ipsum observari tenentur Theologi singulis mensibus ex Theologia morali. Determinati sunt certi quoque dies pro explicatione sacræ Scripturæ loco repetitionis de iis, quæ spectant ad munus pastorale & scholam spiritualem. Simul comedunt omnes in Refectorio communi, omniumque vestitus debet esse uniformis; qui, quamvis consuetudini locorum accommodari possit, nihilominus tamen ab omni vanitate alienus esse debet.

Communiter in magnis latisque Diœcesibus talia Seminaria erigenda sunt, & quidem prope Universitates, & loca ubi studia maximè florent. Quod si autem in vicinia nullam Universitatem reperire est, tunc ipsis hujus Instituti Sacerdotibus litte-

ras tam sacrat, quam propbanns docendi onus incumbit. Singulis Seminariis præficitur Director, quem Regentem vocant; singulis quoque dotur Pater spiritualis, Confessor & Oeconomus. Ne ulla cuiquam legitima & rationabilis causa sit deserendi hoc Institutum, neve relinquendi, quod semel amplexi sunt bonum, illi, qui postquam bene educati in Seminariis sub legibus Instituti Sacerdotii dignitate fuerint initiati, sicut & ii, qui in sacris Ordinibus jam constituti ibi recepti fuerint, ad manus Superioris juramentum conventuale, de quo paulo ante, emittunt.

In domibus Parochis, Beneficiariis, aliisque Sacerdotibus destinatis omnes redditus provenientes ex beneficiis, & quacunque functione Ecclesiastica massæ communi adjiciuntur: quo fidelius & sanctius id ipsum observetur, neve ullus abusus irrepat, certis temporibus rationem tenentur reddere Superioribus omnium, tum quæ recipiunt, tum quæ expendunt. Atque hac ratione omnes redditus applicari debent.

Ac primo quidem cuilibet licet vivere juxta status sui decentiam, Eleemosynas elargiri, assistere parentibus, fratribus, & sororibus in necessitate constitutis, quantum nimirum eorum necessitas exigit; quibus etiam post mortem suam testamento legata facere possunt, sicut & Ecclesiis, quibus inserviebant. Secundo, quidquid ex beneficiorum redditibus superfuerit, communibus Instituti necessitatibus debent relinqui: scilicet pro sustentatione eorum, qui vel senio confecti, vel alio modo incapaces functionum Ecclesiasticarum redditi fuerint, sicut & pœnitentium, infirmorum, eorumque quibus beneficia sua non suppeditant, ex quo parentum suorum inopiæ subvenire valeant. Et siquid his omnibus superfuerit, id applicetur pro honesta sustentatione Clericorum in Seminariis juxta leges Instituti, sive eorum, qui habent curam animarum in pagis, quorum redditus valde modici sunt pro tempore, quamdiu solummodo membra hujus Instituti fuerunt.

Præterquam in casu omnino necessario nemo debet exponi solus ad functiones pastorales exercendas, neque in Collegiis, in quibus educantur juniores Clerici, & Sacerdotes, in quibus saltem duo esse debent.

Domus emeritorum, aliorumque laboris incapacium possunt aliis etiam usibus inservire, uti sunt Conferentiæ Diœcesanæ, recessus spirituales, aliaque pietatis exercitia: possunt quoque Seminarii loco esse pro his, qui od Ordines sacros promoti sunt in locis, ubi nulla Seminaria sunt, nempe aliter possunt accomodari ob defectum loci commodi ubi alias juventus solet educari. Ordinarii possunt istis domibus uti ad exercendos Sacerdotes magis magisque in iis, quæ spectant ad curam animarum, ad collocandos ibidem eos, quos ad tempus à cura removendos judicaverint, & ad includendos perversæ & scandalosæ vitæ Sacerdotes, qui separati à senioribus & reliquis manere debent.

Superiores, qui habent directionem hujus Instituti, sunt primus Præsidens, cui disciplinæ uniformitatis conservandæ, hujusque vivendi normæ in alias provincios extendendæ cura incumbit. Hic sacræ Sedi subjectus est, cui & juramento fidelitatis, & obedientiæ se obstringere debet, quod Præsidentes subalterni facere tenentur Ordinario suo, cui subsunt. Præses Archidiœcesanus debet invigilare toti Archiepiscopatui: Præses Episcopatus toti Diœcesi: Deconus ruralis toti suo districtui: Parochus parochiæ suæ; quilibet demum Beneficiarius præcipuus alicujus communitatis intendere debet omnibus, qui sub sua jurisdictione sunt, quod & intelligendum est de aliis, qui aliqua speciali gaudent directione & cura.

Possunt omnes exercere functiones Vicarii Generalis, Decani Ruralis, vel cujuscunque demum alius officii, quando ad hoc deputati sunt à suis Episcopis. Superiores alicujus districtus sive Decanatus qualiscunque præsunt omnibus Sacerdotibus, Parochis, aliisque hujus Instituti Ecclesiasticis: bis per annum omnia loca suæ jurisdictionis visitant, rationemque reddunt suæ Visitationis Præsidi Diœcesano. Hic Præses habet curam & superintendentiam in tota Diœcesi super eosdem Socerdotes & Clericos hujus Instituti, quos & semel in anno visitare debet, qua visitatione peracta relationem faciat Ordinario. Singulis quoque annis idem Præses consentiente Ordinario debet convenire cum omnibus Superioribus alicujus Decanatus ad negotia, quæ Institutum concernunt, tractanda tam spiritualia, quam temporalia. Media maximè convenientia odhibentur in his conventibus pro exacta observatione Constitutionum; acceptis tandem approbatisque decretis ab Ordinario, Superiores Decanatuum faciunt observari in suis domibus, & locis suæ jurisdictioni subjectis.

Tan-

Tandem ad ipsas constitutiones & leges, quibus hoc pium Institutum regitur, veniamus, quas diversi Ecclesiæ Prælati insignibus decorarunt elogiis. Hic solum referimus Nuntium Apostolicum Dominum à S. Felice Coloniæ Agrippinæ Archi-Episcopum de Cozensa, qui de iis anno 1654. Suffraganeo Erfortensi Bertholdo Nihusio scripsit, se legisse librum Institutionum Clericorum in communi viventium, qui (ut sonant ejus verba) posset quidem appellari medulla sacrorum Canonum; *& in aliis litteris anno 1655. ad ipsum Dominum Holzhauser tunc Decanum in Bingen missis fassus est hoc libro attentè perlecto, & maturè considerato, se in eo invenisse pretiosam illam Margaritam disciplinæ Ecclesiasticæ, quam à longo jam tempore quæsivisset.*

Anno 1680. Innocentius Papa XI. rogatus ab Imperatore, aliisque Germaniæ Principibus, examinatis à Congregatione Cardinalium eorum Institutis Breve Apostolicum concessit, quo idem institutum una cum Constitutionibus confirmavit, quas postmodum auctas denuo anno 1684. idem Pontifex approbavit, eodemque anno Romæ typis imprimendas curavit. Quas hic una cum modò nominatis Brevibus Apostolicis apponimus.

CONSTITUTIONES

Pro spirituali, & temporali directione Instituti Clericorum Secularium in commune viventium

APPROBATÆ

A

Sanctissimo D. Nostro INNOCENTIO PAPA XI.

Juxta Exemplar excusum Romæ, in Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.

PROOEMIUM.

QUemadmodum Institutum Clericorum Sæcularium in commune viventium, à Sancta Sede Apostolica jam approbatum, tria præcipuè intendit: Primò, juventutis in virtutibus, & necessariis studiis (conformiter Sacro Tridentino Concilio Sess. 23. de reformatione cap. 18.) institutionem, ut hâc viâ semper boni Clerici, ad præscriptam in hoc Instituto vivendi normam educandi & instituendi, in Ecclesia Catholica ad procurandam salutem animarum haberi possint. Secundò, privatam Clericorum, sive Sacerdotum Curatorum, & in aliis beneficiis actu existentium directionem, qua Deo benedicente contra graviora pericula Seculi cum Clericalis ordinis decore securè subsistere valeant. Tertiò, curam Sacerdotum senum, aliorumque ex quocunque casu, seu defectu ad munia, & functiones Ecclesiasticas inhabilium. Ita & constitutiones præsentes pro directione Superiorum ejusdem Instituti in tres partes, eo, quo sequitur ordine in Bulla approbationis distinguuntur; incipiendo parte prima de directione juventutis, qua via delectus bonæ juventutis pro Seminariis haberi possit &c. ut in contextu Constitutionum.

INNOCENTIUS

PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatûs Officium quo Catholicæ Ecclesiæ per universum terrarum orbem diffusæ regimini, meritis licèt & viribus longè impares, divina dispositione præsidemus, salubriter exequi auxiliante Domino jugiter satagentes, pia Presbyterorum, & aliorum Clericorum propriæ, alienæque saluti laudabiliter incumbentium Instituta paterno favore libenter prosequimur, & illis quæ pro felici eorum directione providè prudenterque constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis adjungimus firmitatem. Aliàs siquidem pro parte dilectorum filiorum Clericorum Secularium in communi viventium nobis exposito, quod Anno M. DC. XL. operâ tunc in humanis agentis Bartholomæi Holtzhauser inchoatum fuerat eorum Institutum, quod DEO opitulante in dies adeò excreverat, ut non tantùm à bon.mem. Joanne Philippo dum vixit Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principe Electore, sed etiam ab aliis pluribus Archi-Episcopis, & Episcopis in eorum Diœceses receptum, & expressè approbatum extitisset: & in eadem expositione subjuncto, quod Institutum prædictum sub immediata jurisdictione Ordinariorum, ac directione unius Supremi Præsidis, prout dicti exponentes eisdem suberant, salubriter ordinatum, ac pro felici ipsorum exponentium & Instituti hujusmodi directione, rectâque juventutis institutione nonnullæ Constitutiones factæ fuerant: Nos supplicationibus eorundem Clericorum Secularium, & aliorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Institutum prædictum sub immediata jurisdictione Ordinariorum, & directione unius Generalis Præsidis, ac Constitutiones præfatas, toto illarum tenore inserto, auctoritate Apostolica confirmavimus & approbavimus. Ac eisdem Clericis Secularibus alias Constitutiones prædictis non contrarias pro spirituali, temporalíque dicti Instituti directione ab hac Sancta Sede postmodum approbandas condendi facultatem impertiti sumus, & aliàs prout in nostris desuper in simili forma Brevis die VII. Junii M.DC.LXXX. expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut Clerici Seculares in communi viventes prædicti denuo nobis nuper exponi fece-

fecerunt, aliæ Conſtitutiones hujuſmodi pro felici proſperóque tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus Inſtituti præfati, & ſub illo nunc & pro tempore Deo Militantium regimine & gubernio conditæ, & in tres partes diſtributæ fuerint, quarum tenor à

PRIMA

PRIMÆ PARTIS,

Quæ ad directionem ſtudioſæ Juventutis & Seminariorum pertinet, Conſtitutione incipiendo, eſt qui ſequitur, videlicet:

I.

Superiores in ſuſceptione ſingulorum Adoleſcentum providè attendant, ut tam innocentiâ integros, quàm ingenio & indole præſtantiores, ſervatis ſervandis, admittant; in hunc finem ad puerorum ingenia in oppidis & aliis locis à Sacerdotibus circumſpiciatur, qui ex omnibus ad propoſitum hujus Clericalis vitæ habiliores videantur.

II.

Deinde aliqui bonæ indolis pueri ad Domum Sacerdotum in Parochiis, cum conſenſu parentum recipiantur, & in certis locis tam hi, quàm alii Adoleſceotes à Sacerdotibus in rudimentis, & Grammaticâ informentur, ut pro receptione ad Seminaria qualificentur.

III.

Ut excloſis ioeptis aut indignis talis delectus fiat, Superiores ſtudeant accuratam ſuſcipiendorum notitiam præhabere, ne dimiſſio poſt facienda damno, aut cuiquam oneri ſit.

IV.

Soſcipiendi, quantùm fieri poteſt, habeant vehemens quoddam deſiderium ſtudendi, præſtantis, aut ſaltem mediocris ſint ingenii, pietate in DEUM, ac devotione erga Deiparam ſpeciem filiorum DEI de ſe præbeant, naturalis eorum indoles ad virtutum viam facilè flectibilis ſit.

V.

Animo ita ſint compoſito, & ſupra ſæcularia deſideria humiliter elato, ut modeſtiam, ſubmiſſionem intellectûs, & voluntatis flexibilitatem practicam oſtendant, moderata quoque iræ, & aliarum paſſionum temperies, filialis quidam affectus erga hoc Inſtitutum ita in illis elucere debet, ut prudenter conjici poſſit, qoòd fructuosè, & filialiter hunc Clericalem ſtatum ſuo tempore ſiot exornaturi.

VI.

Priuſquam ad Seminaria ſuſcipiantur, Superiores notitiam Parentum, educationis puerorum, aliarúmque circumſtantiarum; item Teſtimoniales ſtudiorum, & natalium habeant; fiat examen practicum ſtudiorum, & alia omnia obſerventur, quæ pro Seminariis præſcribi ſolent. Quibus peractis admittendi Superioribus hujus Inſtituti ſimplicem promiſſionem faciant, quod in hac Clericali vita, quaotùm fieri poteſt, ad dies vitæ vivere intendaot; ita tamen, ut ſi in progreſſu temporis ſub ſtudiis à propoſito ex rationabili cauſa recederent, ſolummodò ſumptus eorum ſuſtentationis causâ factos refundere obligati ſint, niſi paupertas excuſet, aut qui ditiores ſunt ob morbum, vel aliam rationabilem cauſam, & non ex culpa, aut propria voluntate eorum dimittantor.

Adoleſcentes in Seminariis in tres ſtudiorum Claſſes diſtribuendi, eorundemque obligatio ad hoc Inſtitutum.

VII.

Ut juventutis educatio debito ordine inſtituatur, illa in tres Claſſes ſtudiorum diſtribuatur, per quas tanquam per gradus juvenilis animus ad ſcientiarum, & virtutum viam in ordine ad Clericalem ſtatum ſurſum ducatur.

VIII.

In prima Claſſe erunt Adoleſcentes tonſurâ Clericali inſigniti à Syntaxi uſque ad Rhetoricam incluſivè, & hæc

prima Classis pro qualitate mediorum ordinanda erit. Secunda Classis complectitur Philosophos à principio usque ad finem Philosophiæ, qui susceptâ tonsurâ Clericali se dignos reddiderint, ut jam solidiùs in disciplina & scientiis adolescant.

IX.

Ut prædicti Adolescentes sic admittantur, requiritur primò, ut singulis annis gradum ad altiorem scholam fecerint, & in summo vel saltem mediocri gradu docti ex Rethorica ad Philosophiam sint promoti. Secundò, ut quantùm fieri potest, sint in æquali ætate. Tertiò, ut illud specimen morum, maximè fraternæ concordiæ, modestiæ & obedientiæ dederint, quod solidam spem faciat, eos strenuos hujus Clericalis vitæ, & Ecclesiæ Catholicæ milites evasuros. Quartò, ut revelationem sui hominis interioris filiali candore eos fecisse judicetur. Quintò, ut zelum animarum, pietatem erga Deum, & Sanctos, & affectionem erga res cælestes habere agnoscantur. Sextò, ut nullum canonicum impedimentum, vel corporis deformitatem, ac defectum contraxerint, quæ huic Clericali statui damnosa esse possint: In defectu autem prædictarum qualitatum potiùs maturè dimittendi erunt: prædictis verò concurrentibus, & promissione Superioribus hujus Instituti facta, quod in hac Clericali vita constanter vivere velint, ad secundam Classem admittentur.

X.

In tertia Classe continentur Theologi, Canonistæ, aliique à fine Philosophiæ usque ad Sacerdotium, qui tales vitâ & moribus extiterint, ut de illorum Clericali vocatione rationabiliter dubitari non possit: & hi susceptis minoribus Ordinibus juxta studia publica in Universitatibus, Domi, sive in Seminariis, potissimùm in iis, quæ ad salutem animarum procurandam necessaria sunt, informabuntur.

XI.

Priusquàm verò ad eam admittantur, per juramentum ad hoc Institutum se obligabunt, ita quidem ut qui Alumni simul fuerint in Seminario cujusdam Ordinarii, vel alterius Patroni, Instituto concredito, adinstar illorum ab Archiepiscopo Moguntino, & Episcopo Herbipolensi, & Augustano Instituto concreditorum, utroque respectu tam erga Ordinarium loci, quàm erga Institutum sequenti formulâ id præstent.

XII.

Ego N. filius N. Diœcesis N. Seminarii N. Alumnus, plenam habens Instituti Clericorum Sæcularium in Commune viventium, & hujus Seminarii Statutorum notitiam, legibus & constitutionibus utriusque me spontè subjicio, easque, quantùm in me erit observare promitto. Insuper spondeo, & juro me sub jurisdictione Reverendissimi (vel Eminentissimi) Domini Ordinarii mei seclusâ omni exemptione in supradicto Instituto Clericorum, qui secluso fœminarum consortio bini, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, & bona sua ex beneficiis & functionibus Ecclesiasticis provenientia in communes pios usus, juxta constitutionem 19. Sacerdotum conferunt, atque sub privata, & œconomica unius Superioris directione vivunt, sive intra sive extra Seminarium semper victurum, & moriturum. Insuper spondeo, & juro, quod dum in hoc Seminario permanebo, vel alibi applicatus fuero, si urgens necessitas à Superioribus hujus Instituti approbata, mutationem status postularet, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem, vel etiam quemcunque statum sine speciali ejusdem Reverendissimi Domini Ordinarii mei licentiâ ingrediar. Denique spondeo, & juro, me prædictum Juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum. Sub die N. Mensis N. Anno N. sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

XIII.

Qui verò Alumni in Seminariis Ordinariorum non fuerint, & in Seminariis huic Instituto propriis educantur, Juramentum in formula sequenti præstabunt.

Ego N. Filius N. Diœcesis N. plenam habens Instituti Clericorum Secularium in commune viventium notitiam, legibus & constitutionibus ipsius me spontè subjicio, easque, quantùm in me erit, observare promitto. Insuper spondeo, & juro, me sub directione privata, & œconomica Præsidis supremi, ejusque in hoc munere legitimis Successoribus, salva per omnia Reverendissimi Domini Ordinarii mei auctoritate, & Jurisdictione, in supradicto Instituto Clericorum, qui secluso fœminarum consortio bini, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, & bona sua ex beneficiis, & functionibus Ecclesiasticis provenientia in communes pios usus juxta constitutionem 19. Sacerdotum conferunt, semper victurum & moriturum.

Insuper

Insuper spondeo, & juro, quod dum in hoc Seminario permanebo, vel alibi applicatus fuero, si urgens necessitas à Superioribus hujus Instituti approbata mutationem status postularet, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem, vel etiam quemcunque Statum, sine speciali supremi Præsidis hujus Instituti licentia, ingrediar. Denique spondeo, & juro me prædictum Juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum. Sub Die N. Mensis N. Anno N. sic me DEUS adjuvet, & hæc S. DEI Evangelia.

XIV.

Juramento prædicto non obstante facilè ante susceptos majores Ordines circa finem studiorum suscipiendos, ob rationabilem causam adolescentes ad Secularem statum, habitâ debitâ licentiâ à Superioribus hujus Instituti, & insuper si Alumni sint à Reverendissimo Ordinario, transire poterunt, ne inviti, aut gravem difficultatem sentientes ad statum Clericalem trahantur, in quo postea ad scandala declinent; solutis priùs sumptibus sustentationis, nisi illis in hoc casu pro parte, aut ex integro condonentur.

De rebus Spiritualibus, & aliis in quibus Adolescentes juxta Cursum studiorum in Seminariis informandi sunt.

XV.

Juxta Classium prædictarum distinctionem Juventus etiam tres vias spirituales tenebit: videlicet viam purgativam, in qua ad vitæ innocentiam, ad moderandas passiones, ad fugienda peccata pro cujusque ætate, & datâ gratiâ sedulò impellantur: Viam illuminativam in qua dogmata fidei nostræ Catholicæ, universæque doctrinæ Christianæ principia, & proprii sui hominis interioris cognitio, unà cum facilioribus rectè vivendi regulis, ipsis ex proposito maturè instillentur: Viam denique perfectivam, in qua ad consequendam perfectionem status Clericalis sibi possibilem, & Ecclesiæ salutarem conabuntur.

XVI.

Ut adolescentes in prædictis instituantur, saltem singulis diebus Dominicis à meridie per horam in loco cujusque Classis Pater spiritualia certam materiam ita succinctè & clarè tractabit, ut singuli terminorum seriem memoriæ tradere, & prædictarum viarum scientiam successivè facili negotio assequi valeant.

XVII.

Ante omnia Magistri virtutum Adolescentes primæ Classis instruant de recta intentione in examine, aliisque exercitationibus spiritualibus persolvendis, quomodò sub sacrificio Missæ spiritualiter communicare possint; In scientia quoque rerum cœlestium ex professo à Patre spirituali probè perito informentur. In Doctrina Christiana principia fidei uberiùs quàm in communi parvulorum Catechesi fieri solet ex Catechismo Romano per ordinem iisdem tradantur, uti & significatio Sacrarum cæremoniarum, virtus Sacramentalium, & similium.

XVIII.

Contra insidias hostium spiritualium cautè roborentur per instructionem cognitionis sui ipsius, & diversarum tentationum notitiam, in quem finem inserviet libellus S. Salesii Philothea dictus, & ille qui de imitatione Christi inscribitur, ex quibus Pater spiritualis, uti etiam ex materia de discretione spirituum clientes suos prudenter informabit.

XIX.

Pariter Magistro spirituali curæ sit, ut ex cognitione DEI, & beneficiorum ejus clientes suos ad divinum, & filialem amorem; ex præstantia & benignitate B. V. M. ad ejusdem devotionem; ex custodia Sanctorum Angelorum, & meritis Sanctorum, ad eorum cultum, ac Patronorum electionem; ex quatuor novissimis, & pœnis impiorum ad timorem Domini; ex notitia passionum ad propriam cognitionem, & ex hac ad sui ipsius contemptum, & diffidentiam; atque ex aliis virtutibus spiritualibus ad studium rerum cœlestium impellantur; super quæ tanquam rudimenta, solidæ virtutes successu temporis ædificantur.

XX.

Ut Adolescentes secundæ Classis in via spirituali progrediantur, à Patre spirituali in modo meditandi instruantur, & non tantùm præcepta meditandi tradat, verùm etiam in praxi ostendat, quomodò ex particulari themate meditatio ordinanda sit; materias quoque subindè eisdem designet, eamque in puncta dividat; peracta quoque meditatione examen desuper instituat, in quo successus examinetur, & errores per utilia documenta ostendantur; ea verò materia pro hac Classe studiorum ex doctrina & vita Christi & Sanctorum desu-

sumatur, quæ ad extirpationem vitiorum, & solidarum virtutum implantationem ordinata visa fuerit.

XXI.

Post instructionem de modo meditandi, Pater spiritualis ad tradendam Christianarum virtutum, & oppositorum vitiorum doctrinam progredietur, quam ex materia de Christiana Clericorum perfectione desumet, instruendo clientes suos; primò in virtutibus Theologicis ex quibus Deum timere, & diligere addiscant; deinde naturam & finem virtutum Cardinalium, quæ sunt veluti columnæ salutis nostræ, eosdem instruat, non minùs de vera humilitate, patientia, & abnegatione propriæ voluntatis, earúmque oppositis defectibus informentur; & denique in omnibus aliis virtutibus quibus homo interior in ordine ad salutem æternam perficitur; medium quoque discretionis in omni virtute perspicuis rationibus, & exemplis practicè edoceantur, ne ad extrema deflectant.

XXII.

In hunc finem inserviet libellus, qui inscribitur Pugna spiritualis à S. Francisco Salesio summopere commendatus, accedente practica instructione Patris spiritualis ad pugnandum contra passiones & vitia per virtutes oppositas, præsertim contra vitium quoddam particulare, super quo, ejúsque virtute opposita exercenda etiam particulare examen frequentiùs instituendum erit, in quibus, & in omni alia congrua occasione pater spiritualis clientibus suis practicum exercitium ad manus dabit.

XXIII.

Ex singulis erroribus occasio erudiendi, & contra vitia pugnandi, propositúmque impostèrum formandi, adolescentibus à Patre spirituali ad manus detur, ea practica instructione, qua virtutis via, & ipsum exercitium congrua perspicuitate pateat, & animus ingenuus cum facilitate & jucunditate ad illud inducatur. In quem finem Pater spiritualis cum clientibus suis toties colloquium particulare instituet, quoties singulorum indigentia propria requiret, exercitia quoque spiritualia annua statuto tempore eisdem præscribet.

XXIV.

Adolescentes tertiæ Classis vocationis suæ clericalis scopum maturè cordi habentes, viæ perfectivæ se accingant, ut eorum homo interior, & exterior in omnibus iis qualitatibus perficiatur, quæ in ordine ad salutem proximorum imprimis ordinantur, ut jam non solùm sibi, verùm etiam aliis vivere & studere incipiant.

XXV.

Postquam in reformatione hominis sui interioris ritè instructi fuerint, viæ regiæ virtutum insistentes ad reformandum suum hominem exteriorem convertentur, eas virtutes, & qualitates sub directione Patris spiritualis sibi comparando, quæ in statu Clericali ad vitam activam in hoc seculo necessaria sunt, in quem finem informabuntur per ordinem in exercitio externarum virtutum, qualiter se erga omnis generis homines christianè exhibere debeant, similiter de discretione spirituum, & universo officio pastorali in multa charitate præstando, practicè erudiantur, ut in singulis actionibus secundùm unam, uniformémque normam se moderari sciant.

XXVI.

Primum locum in ordine doctrinæ discretio obtinebit, tanquam moderatrix humanarum actionum; & cum duo hominem exteriorem in ordine ad vitam activam perficiant: primò ipsæ virtutes, secundò modus operandi ad extra, adolescentes in utroque informandi sunt. Inter virtutes, quoad modum instruendi Juventutem, prima est mansuetudo hominis Christiani, consistens in verbis & actionibus, quæ erga omnes omni occasione superabundare debet; deinde humilitas conjuncta tamen cum decore vestium, actionum, verborum & totius hominis venustate, personæque sacræ gravitate.

XXVII.

Tertium locum affabilitas sibi vendicat, ut cum Christiana suavitate ad ædificationem conversatio fiat: cujus comes est modestia, plurimarum rerum moderatrix, quæ effusionem nimiam sui ipsius coërcet. Sequitur entrapelia, ut cum jucunditate recreationi locus detur: deinde charitas externa, quæ præ se aliis cedit, in multis condescendit, pacem cum omnibus habet, & alios obsequiis prævenire gestit, neque est sensitiva, aut apprehensiva.

XXVIII.

Prætereà modum rectè operandi ad extra, aliæ quædam virtutes principales discretum reddunt, quæ sunt prudentia, fortitudo spiritûs, justitia, temperantia, & circumspectio.

XXIX.

XXIX.

Inter objecta operandi ad extra conversatio utilis in omni occasione , & quæstione proposita cum omnis generis hominibus primum locum obtinet , cui succedit modus catechizandi parvulos , cum ratione , & dexteritate : item modus docendi scholas particulares , ut adolescentes ingenio præstantes in doctrina proficiant: item discretio spirituum, ingeniorum , & naturarum.

XXX.

Præsertim verò modus audiendi confessiones , juvandi animas , agendi cum ægrotis , scrupulosis , & desperabundis , pusillanimibus , melancholicis , & aliis hominibus , qui vel corpore , vel sensu , vel animâ periclitantur: qua scilicet dexteritate ad eorundem medicinam salutarem & ædificationem sit agendum , cui succedit modus concionandi , & perorandi , ut animæ utiliter , ac nervosè sale verbi Dei condiantur : Sequitur modus administrandi res temporales , ut cum debita dexteritate & discretione , sine nota àvaritiæ , & prodigalitatis in omnibus agatur. Denique modus regendi sibi subditos tam Seculares in beneficiis curatis , quàm ipsosmet hujus Instituti Clericos cum moderatione , dexteritate , charitate ad ædificationem.

De quotidianis exercitationibus , frequentatione scholarum , & repetitione domestica.

XXXI.

Superiores enixè laborent quatenus adolescentes omni tempore honesta aliqua occupatione à vago mentis intuitu & otio revocent : In quam finem distributio diurni temporis in quovis Seminario ordinetur , quæ ejusmodi (mutatis mutandis) esse poterit.

XXXII.

Manè surgentes statuto tempore ea observent , quæ in stationibus sunt præscripta ; quibus finitis adolescentes inferiorum scholarum per quadrantem horæ lectionem spiritualem instituant: studiosi verò secundæ & tertiæ Classis per mediam horam meditentur ; deinde omnes simul Sacrificio Missæ devotè intersint : reliquo tempore studiis invigilent usque ad tempus frequentandi scholas : post scholas , si tempus supersit , studia continuabunt: uno quadrante ante prandium litanias omnium Sanctorum juxta stationes persolvant : sub prandio & cœna studiosi tertiæ Classis per ordinem legent Scripturam sacram , constitutiones , aliosque libros asceticos , juxta Superiorum dispositionem : studiosi verò secundæ Classis per ordinem ad secundam mensam legent.

XXXIII.

Post prandium recreatio informiter ab adolescentibus observetur , finita recreatione aliquid temporis addiscendo cantui tribuant: Theologi verò maturiores pro illo tempore in cæremoniis & ritibus sactis exerceantur : postea rursum studiis invigilabunt , ita tamen ut Theologi per quadrantem horæ ante studia in sacræ Scripturæ explanatione se exerceant : finita frequentatione scholarum assignato tempore studia vel repetitiones fient : uno quadrante horæ ante cœnam pro meditatione sequentis diei se præparabunt : Post cœnam diebus Veneris & Sabbathi breve colloquium spirituale paulò ante rosarium instituetur.

XXXIV.

Diebus festis & Dominicis tam sacrum solemne , quàm concio captui & fructui adolescentum accomodata in Seminariis pro adolescentibus trium harum Classium habeatur ; reliquum tempus pro Superiorum ordinatione utiliter impendent.

XXXV.

Prædictis his diebus, finitâ scholâ spirituali , & Vesperis cantatis, exercitia reliqua ut diebus aliis perficient. Cæterùm ad Divina Officia , aut conciones foris frequentandas non facilè emittantur ; sub cœna loco lectionis Theologi per ordinem succinctum Sermonem per modum concionis in lingua vulgari habebunt.

XXXVI.

Ad scholas publicas , ubi adsunt , cujusque loci , audito priùs domi Sacro mittentur , servato à Rectoribus Gymnasiorum & Universitatum præfixo tempore. Ad scholas per plateas bini modestè incedant , ac finitis scholis sic revertantur prudentiore semper directore constituto. In scholis seorsim eâ modestiâ sedeant , ut aliis morum exemplum præbeant.

XXXVII.

Ut adolescentes primæ Classis solidiùs in studiis progrediantur , iis Pædagogos quosdam domesticos pro repe-

tendis lectionibus & conficiendis argumentis superiores adjungant, qui eisdem pariter in disputationibus domesticis præsint, & in studiis suis per omnia ad debitum profectum sedulâ diligentiâ eosdem excolant.

XXXVIII.

Philosophi præter privatas inter se repetitiones, singulis septimanis determinata die, repetitionem omnibus præsentibus per ordinem habebunt, & in fine studiorum suorum prævio examine domestico, nisi ad publicas in Universitatibus defensiones fuerint admissi, saltem in Seminario ex universo studio suo theses defendent.

XXXIX.

Adolescentes tertiæ Classis, ex Theologia speculativa, statuto die unâ horâ repetitionem instituant; similis repetitio saltem singulis mensibus semel, distinctis diebus instituetur ex Theologia Morali, Jure Canonico, & studio controversistico, juxta particularem Superiorum ordinationem; uti & Scripturæ sacræ expositio, repetitio pastoralis; pro quibus utiliter expendendis universo studiorum negotio præficiatur unus Sacerdos, qui in singulis studiis aptior ad hoc præstandum judicabitur.

De œconomica ordinatione Seminariorum, victu, & vestitu adolescentum.

XL.

Universim Superiores pro viribus laborabunt, ut Seminaria bene sint ordinata, eorumque debita cura habeatur. Pro custodia domûs ac januæ homo laicus fidelis & maturus constituatur, qui sine expressa Superioris licentia extraneos ad adolescentes in domum non intromittat, aut adolescentes exire permittat; coqui & alii domestici pariter sint fideles, maturi, patientes, & charitativi.

XLI.

In communi oratorio, & refectorio suas consuetas preces omnes persolvant, ac refectionem sumant; cætera in tres contignationes distinguantur, & in singulis singularum Classium juventus in uno amplo Musæo, vel duobus cohabitent, ibique repetitiones solitæ peragantur.

XLII.

Pariter unum vel duo dormitoria in quavis contignatione, cum annexa camera Magistri spiritualis constituantur; ita ut in dormitorio omnes & singuli, cum certa interdistinctione secundùm debitam honestatem, extra conspectum mutuum seorsim dormiant.

XLIII.

In victu, vestitu omnes æqualiter habeantur, & ingenuè eatenus tractentur, quatenus animorum ingenuitas, ad superandos studiorum labores, magis jucunditate, quàm servili timore excitetur.

XLIV.

Unde mensa quotidiana frugalis erit, ut non solùm temperantiam, unà cum vera ingenuitate ab adolescentia imbibant, sed etiam bonam corporis complexionem, animumque alacrem acquirant. Color vestium perpetuò niger sit; qualitates autem cæteræ nullam vanitatem, aut inæqualitatem, vel luxum, sed magis honestatem, & modestiam demonstrent.

XLV.

Pro servando debito in omnibus ordine, sit in quovis Seminario horologium, & campanula exactæ temporis distributioni serviens; sit item infirmaria ex qua ad Oratorium fiant fenestræ per quas, infirmi quotidianum Sacrum, ac preces reliquorum valeant percipere.

XLVI.

Superiores debitè attendant ad Bibliothecam, vestiarium, dormitoria, cellam, culinam & similia: claves ad portam Seminarii noctu Director habeat.

Distinctio, receptio, & fundatio Seminariorum.

XLVII.

Seminaria juventutis possunt esse Pontificia, & alia his similia, pro Clericis & animarum curatoribus ad quasvis mundi partes mittendis; vel Regum ac Principum pro certis Regnis & Provinciis; vel Archiepiscopalia, & Episcopalia, pro Archidiœcesi, aut ampliore Diœcesi; & denique Seminaria propria hujus Instituti erecta & fundata per Patronos, & per media communitatis, præcisè pro hoc Instituto; quorum ultimorum, quoad media fundationis, plenum dominium penes idem Institutum erit; quoad reliqua Seminaria, quorum dominium vi fun-

fundationis, ad Patronos spectat, vel Patroni certa media pro fundatione stabili huic Instituto, aut tantùm certos annuos proventus Directoribus Seminariorum consignare poterunt, ex quibus certus studiosorum numerus sustentretur.

XLVIII.

Adolescentes, qui vi Alumnatûs ad certas Diœceses, aut Provincias obligantur, non nisi ex speciali favore Patroni, in casu alicujus specialis necessitatis, aliò mitti possunt, substitutâ tamen si ita Patronus requirat alterâ personâ qualificatâ. Educati quoque in Seminariis huic Instituto propriis, etsi ad certam Diœcesim non obligentur, regulariter tamen in territorio, ubi Seminarium situm est, manebunt, & quando illa Diœcesis indiget, eidem inserviant; ita tamen ut in casu necessitatis ad quæcumque loca ex ordinatione Superiorum hujus Instituti mitti possint.

XLIX.

Media pro fundandis Seminariis eidem Instituto propriis haberi possunt, vel ex collatione redditùum Ecclesiasticorum, juxta Constitutionem 19. Sacerdotum, aut ex bonis hæreditariis ex libera voluntate sic applicandis, aut demum ex illis quæ à Patronis spontè conferuntur: Ita tamen ut personæ particulares hujus Instituti ex redditibus suis primò propriæ Parochiæ, seu beneficii oneribus sufficienter prospiciant, & Superiores ex mediis in massa communi jam collectis aliis Instituti æquè vel magis necessariis communibus oneribus similiter prospiciant.

L.

Ubi Seminaria jam fundata existunt, quæ Directioni Superiorum hujus Instituti ejusdem fini conformiter tradere placebit; si media fundationis non sufficiant, pro Integritatis exigentia, media communitatis (si ad manum fuerint) ea conditione authentico instrumento adjecta applicari poterunt, ut casu quo ejusdem Seminarii directio à Clericis Instituti non continuaretur, Supremus Instituti Præses, bona illa, quæ Institutum de suis adjecit, liberè aliò transferre possit & valeat.

LI.

In acceptandis Seminariis, traditio fini hujus Instituti non sit contraria; reliquæ conditiones fundatoris arbitrio manent subjectæ; ut inhabiles excludantur, adolescentum susceptio, & eorum directio vel plenè à Patronis, Superioribus Instituti concedatur, vel saltem ut iisdem à Patronis jus, & potestas fiat, ipsis idonea subjecta nominandi, prævio accurato examine, & probatione sufficiente, quatenus sic digniores à Patronis recipiantur, qui recepti in Instituto vivere tanquam vera ipsius membra postmodùm obligati maneant.

LII.

Quod si Ordinarii locorum annua ratiocinia à Directoribus Seminariorum petant, uti & per se, aut per alios visitando domesticam gubernationem juxta dispositionem Concilii Trid. sess. 23. de reform. cap. 18. inspicere voluerint, id constitutionibus à S. Sede Apostolica confirmatis conformiter fiat; ita tamen ut de redditibus Seminarii nihil alienare possint, & in alios usus convertere.

LIII.

Superiores cujusque Seminarii præter mensam certum aliquod salarium habeant, si aliter de competente beneficio Ecclesiastico provisi non fuerint, cætera verò quæ ex communi massa per annum restabunt, in iisdem Seminariis pro futuris eventibus ac necessitatibus asservabuntur; quod intelligitur, si modò continua talis Seminarii administratio hujus Instituti Clericis relinquatur; cæteroqui enim talia dispositioni Superiorum hujus Instituti reservabuntur, quorum proinde calculus eisdem quoties visum fuerit, per modum ratiocinii exhibendus erit.

LIV.

In casu dimissionis alicujus è Seminario, si restitutio sumptuum facienda sit, fiet Seminariis Patronorum, in quibus tantùm certa portio pro sustentatione adolescentum per annum assignatur; in aliis verò Seminariis in quibus bona fundationis ad Institutum spectant, talia ad massam communem illius Seminarii tradantur, ut alii Juvenes exinde sustententur. Ratiocinia in præsentia Patronorum Ordinariis exhibenda juxta constitutionem 52.

Ubinam Seminaria esse debeant, & cujus nationis adolescentes in iisdem sint educandi.

LV.

ORdinariè in quavis ampliore Diœcesi, ac à potiori in quavis Archidiœcesi unum Seminarium, & (quantùm fieri

fieri potest) juxta eas Academias & Universitates habeatur, vel erigatur, ubi studia & disciplina abundantiùs florebunt, ita tamen ut Seminaria ultra necessitatem non multiplicentur; quod si in tali districtu nulla Universitas esset, in qua scholæ majores ab iis doceantur, qui docere solent, tum Sacerdotes hujus Instituti in tali casu tam sacras, quàm profanas litteras docebunt.

LVI.

Sacerdotes & Clerici hujus Instituti sub Jurisdictione Ordinariorum, tanquam veri, & simpliciter proprieque dicti Clerici parati sint in toto terrarum Orbe curam animarum administrare, mediantibus mediis temporalibus, ab Ordinariis locorum, vel aliundè pro formandis Seminariis deputatis & collatis (ad quod præstandum dictos Clericos sumptibus suis impares esse per se constat) ut per bonam instructionem juventutis ad Seminaria ordinariè adolescentes propriæ patriæ assumantur, qui sint ad omnem laborem impigri, ac patrio solo assueti, ut sub hac ipsa disciplina usque ad mortem subsistant.

LVII.

Cùm solida & stabilis disciplina pro bonis Clericis, & Curatis formandis in domo in qua diversæ conditionis, statûs, ordinis, & vocationis adolescentes commorantur, servari non possit, ideò ad Seminaria hujus Instituti propria, vel Ordinariorum Presbyteris hujus Instituti concredita nullus suscipiatur qui in hoc Instituto non velit, vel actu vivere, vel animum saltem sic vivendi habeat. Quod si tamen ex gravissima causa convictores quidam suscipiendi forent, iidem expressa hac conditione, & non aliter suscipiantur, ut in Seminario disciplinæ domesticæ per omnia & in omnibus absque ulla prorsus exemptione se accomodent.

LVIII.

Non obstante quod adolescentes ad Seminaria suscipiendi ordinariè (nisi excellentia talentorum, & circumstantiæ graves contrarium suadeant) ejus nationis esse debeant, in quo loco suscipiuntur, inter adolescentes tamen sub studiis transplantatio, quoad diversas nationes, sic fieri poterit, ut finitis studiis ad Seminaria in Terris propriis revertantur. Excipiuntur quoque Seminaria fundata ea intentione, ut sic educati ad quasvis mundi partes, vel ad loca hæretica mittantur cum Ordinariorum consensu; si ea in eorundem Diœcesibus sunt, vel ad alia, cum S. Sedis Apostolicæ licentia: ad hæc enim juvenes diversæ nationis insignes, præsertim qui sub disciplina hujus Instituti alibi in Seminariis jam vixerunt suscipi possunt.

Quis curam Seminariorum habeat, & quinam singulis sint præficiendi.

LIX.

SI Seminarium amplioris Diœcesis fit, à cæteris Diœcesibus unius Archiepiscopatus independens, principalem curam ejusdem habebit Præses Diœcesanus: si verò pro tota Archidiœcesi inserviat (in qua etiam quoad domum emeritorum, & bona communitatis, mutuus sit usus) Præses Archidiœcesanus ejusdem curam habebit, singulis annis bis visitando, diligenterque illius politiam domesticam tam in spiritualibus, quàm in temporalibus inspiciendo, & cuncta ad debitam formam reducendo, aut in ea conservando, mediorum quoque temporalium, & emolumentorum incrementum, mediante Oeconomo sibi adjuncto, rationem habebit, in Seminariis propriis Directores, aliusque Magistros tam virtutum, quàm studiorum præficiet, & pro rei utilitate aut necessitate amovebit: In Seminariis verò Episcopalibus huic Instituto ab Ordinariis concreditis, personas capaces Reverendissimis DD. Ordinariis nominabit, ut ab iisdem authoritate ordinaria Seminariis præficiantur.

LX.

In quovis Seminario erit primò Director, sive Regens totius Seminarii qui prudentiâ, gravitate, doctrinâ, & sollicitudine charitatis inter alios emineat: Secundò Pater Spiritualis pariter pietate, & doctrinâ, & cæteris qualitatibus insignis, qui exercitationibus consuetis præsit; Tertiò Confessarius, qui toti domui ordinariè à confessionibus assistat, cum facultate confitendi alii vel aliis Confessariis extraordinariis per Superiores deputatis, & approbatis ab Ordinariis: Quartò Oeconomus qui dependenter à Directore, rerum temporalium curam habeat.

LXI.

Promotiones ad diversos gradus in Theologia, & Jure non priùs fiant, donec constet, quòd taliter promovendi perfectè juxta normam hujus Instituti in pietate, subjectione & fervore sint victuri, & insuper capaces

pro

pro gerendo tali officio ad quod gradus ejusmodi sunt necessarii.

Juramentum omnibus qui huic Instituto adscribuntur commune.

LXII.

OMnes & singuli in quibuscunque Seminariis educati, finitis studiis suscepto Sacerdotio, uti & illi qui in majoribus Ordinibus constituti ad hoc Institutum fuerint suscepti, prævia debita informatione in domo Emeritorum vel alibi facta, Juramentum ad manus Superiorum hujus Instituti præstabunt; A quo juramento sic præstito, per quod pactum inter membra hujus Instituti ultimatò roboratur, nemo ex post facto, nisi à solo Summo Pontifice, absolvi potest, cui desuper prævio maturo causarum, & circumstantiarum examine supremus hujus Instituti Præses per se vel alium debitam relationem faciet.

Formula autem Juramenti sequens est:

LXIII.

EGO N. Filius N. Diœcesis N. plenam habens Instituti Clericorum sæcularium in commune viventium notitiam, legibus & constitutionibus ipsius me spontè subjicio, easque quantùm in me erit observare promitto. Insuper tibi N. N. hujus Instituti Præsidi Supremo, tuisque in hoc munere legitimis Successoribus spondeo, & juro me sub directione tua privata & œconomica, salvâ per omnia Reverendissimi Domini Ordinarii mei authoritate & jurisdictione, in supradicto Instituto Clericorum, qui seclusò fœminarum consortio bini, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, & bona sua ex beneficiis, & functionibus Ecclesiasticis provenientia in communes pios usus juxta Constitutionem 19. Sacerdotum conferunt, semper victurum & moriturum. Denique spondeo, & juro me prædictum Juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum, à quo non possim nisi à solo Summo Pontifice absolvi. Sub die N. mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

LXIV.

Prædictis non obstat, quo minus quispiam post Juramentum prædictum, majoris perfectionis gratiâ, ad Ordinem Religiosum transire possit, ita tamen, ut non omni spiritui credatur, sed priùs bene probetur, & non tam proprio judicio, quàm Superiorum hujus Instituti verè Dei vocatio esse approbetur; Tenebitur tamen talis (si ex novitiatu iterum discesserit) vi hujus Juramenti ad hoc Institutum redire.

LXV.

Quæ præstito sæpe dicto Juramento ad dignitates Ecclesiasticas Episcopales, & ad quascunque his similes promoti fuerint, etsi sub actuali directione Præsidis, ob respectum Statûs non sint, tenebuntur nihilominus præstare ea, ad quæ cæteri hujus Instituti communiter obligantur.

Quomodò Sacerdotes noviter ordinati ad curam animarum applicari debeant.

LXVI.

CLerici recenter ordinati ad curam animarum ordinariè non statim exponantur, sed priùs in Domibus Sacerdotum, Beneficiatorum, & Parochorum, ubi strictior custodia & disciplina viget, pro tempore vivant, & cum præscitu & consensu Reverendissimi D. Ordinarii provisoriô modô officia administrent, ut sic non solùm disciplinam Clericalem magis imbibant, & in superioritate libertatis suæ piè, sobriè, castéque vivere etiam extra talem custodiam postmodùm expositi addiscant; Verùm etiam ritus, & ceremonias Ecclesiasticas circa curam animarum cum debita dexteritate, & experimentali praxi solidè comprehendant, & tunc demum utiliter ac securè commodis occasionibus ad Capellanias, Parochias, aliaque officia Pastoralia cum consensu Ordinariorum exponi poterunt.

lemica, seu controversistica, ac Jus Canonicum, Directorium totius negotii penes prædictum ejusmodi districtus Superiorem erit.

VIII.

Præses huius exercitationis à Superiore constituetur aliquis ex eodem districtu, qui in prædictis facultatibus præ reliquis eminere, atque ad hoc officium habilis esse videbitur.

IX.

Ad meliorem hujus rei successum, in singulis Parochiis assignatas materias, certis per hebdomadam diebus, per unam, vel sesquihoram mutatis vicibus defendendo & oppugnando sic elucident, ut deinde in publica concertatione cum honore & aliorum ædificatione defendens stare possit.

X.

Tempus ad privatum hoc exercitium magis commodum, per se loquendo, erit post meridiem, ita quidem ut prima media hora in recollectione & præparatione, reliquum verò tempus in ipsa exercitatione & colloquio, insumatur.

XI.

Domi particulares casus discutiendi cautè junioribus Sacerdotibus proponantur, ex quorum resolutione addiscant, quomodò sua principia scholastica ad particularia applicare, & prudenter practicare debeant.

XII.

Ut quilibet districtus decanalis à corruptione defectuum, qui paulatim, nisi vigiletur, succrescunt, maturè semper expurgetur, observandum erit, ut non tantùm singulis octiduis, certo determinato die in quovis loco particulari, colloquium aliquod Constitutioni 45. Sacerdotum conformiter instituatur; verùm etiam ut singulis mensibus, finitò supradictô schulasticô studiorum exercitiô, priusquàm, qui præsentes erunt, domum repetant, in domo decanali simili modo quoddam colloquium, ac conferentia spiritualis pro toto districtu decanali instituatur, eaque in medium proferantur, quæ ad conservationem bonæ disciplinæ, & perfectionis incrementum in Domino videbuntur. Parochi & Beneficiati alii ex dicto colloquio domum reversi, fideliter ea executioni demandare satagant, quæ in particulari ipsos attingunt.

Quid Superioribus circa substantialia hujus Instituti Puncta sit sciendum, & observandum.

XIII.

Ut substantialia hujus Instituti puncta, quæ sunt communitas bonorum, cohabitatio fraterna, separatio mulierum, & obedientia erga Superiores præsentis clericalis Instituti, omnibus sufficienter innotescant; Superiores eorundem practicam notitiam, perfecto quodam modo habere oportet, ut omnes circa eadem, tam per se, quam per alias personas idoneas, rectè informare sciant; eaque notitiâ præhabitâ ad eorumdem observantiam sedulò inducant. Prædicta substantialia puncta, nec Præses Generalis, nec Conventus qualiscunque ullo unquam tempore immutare aut relaxare poterit, cum sint veluti cardines ac fundamenta per quæ veluti per quosdam vectes in se sufficienter munitos, præsens institutum absque dissolutione in generatione & generationem per Dei gratiam subsistat.

XIV.

Ut verò prædicta hujus Instituti puncta substantialia tantò certiùs inconcussa semper maneant, omnes & singuli dicto Instituto sese aggregare volentes, illa juramento firmabunt, eâ jurandi formolâ quæ habetur supra in Constitutionibus de directione juventutis num. 63. vi cujus omnes & singuli obligantur, non quidem ad particulares dictorum punctorum actus, ita ut quoties aliquis quidpiam contra illa, vel illorum aliquod admiserit, perjurus fieri censendus sit, sed solùm ad constanter in hoc instituto in quo prædicta quatuor puncta observanda sunt, usque ad mortem perseverandum, ita ut juxta Constitutionem 46. Sacerdotum, ille solus perjurus fieri censeri debeat, qui proprio motu se ab hujus Clericalis vitæ, & disciplinæ statu separaverit.

XV.

Censeotur autem motu proprio se ab Instituto separare, qui sine legitima juramenti sui facta relaxatione discedunt, aut verbis factisque in Instituto deinceps vivere detrectant: uti etiam qui per frequentatos actus graviter contra supradicta substantialia excedunt, & prævia trina monitione, præfixo à supremo hujus Instituti Præside termino peremptorio, quod nisi monitioni pareant, ab Instituto separandi sint, si in contuma-

macia perseverant; tales enim se ipsos suo facto ob incorrigibilitatem separare censendi sunt. Licet hic casus ibi, & tùm solùm accidere possit, quando alia ratio delinquentem ad meliorem frugem beneficio Domûs Emeritorum, vel aliâ viâ reducendi, & scandalum tollendi, pro isto tempore Instituto oon suppetietit.

De Communitate Bonorum in specie.

XVI.

Finis Communitatis bonorum est, ut à Clericis hujus Instituti omnia ex beneficiis Ecclesiasticis, & functionibus quibuscunque proveoientia, in usus pios Ecclesiæque DEI salutares, ac præfixo scopo hujus Instituti convenientes, debito modo & ordine conferantur & applicentur, eorumque bonorum abusus tollatur. Quare seposita omni avaritiæ & prodigalitatis specie, singuli sedulò curabunt, ut huic Instituto Clericali verè fideles dispensatores se exhibeant, in omnibus sincerè spectantes commune bonum tanquam proprium JESU Christi Domini Nostri patrimonium.

XVII.

Superiores maturè considerare debent, quidnam in dispensatione bonorum communium jam in massa commoni collectorum potissimùm sit observandum, & primò quidem invigilare debent, ut Sacerdotibus senibus, aliisque inhabilibus sufficienter provideatur; Deinde si Sacerdotes Curatos & Beneficiatos, casu aliquo extraordinario, subsidio egere contingat, ex bonis communibus illis succurrendum erit: Similiter quando aliquis ex hoc Instituto recenter ad Parochiam vel Beneficium aliquod promotus, novam alicubi œconomiam instituere, & rebus necessariis instruere debet, supellectilia & alia maximè necessaria, vel pecunia pro iisdem comparandis suppeditanda erunt; ea tamen lege, ut sive pecunia sic subministrata, sive pretium quo suppellectilia fuerint æstimata, medio, vel infimo pretio ordinatè conscribantur, traditâque desuper obligatione, successivè prout potuerit, commodè Superioribus ex proventibus annuis restituantur, ut aliis quoque in simili necessitate constitutis succurri possit. Tertio subveniendum quoque est pauperibus Sacerdotum hujus Instituti parentibus, fratribus, & sororibus juxta Constitutionem 22. Sacerdotum.

XVIII.

Post hos magis necessarios communium hujus Instituti bonorum usus, ingenuis adolescentibus ad hanc Clericalem vitam educandis applicanda eruot.

XIX.

Postquam domibus juventutis, & Emeritorum in quadam Archidiœcesi, vel Diœcesi, ex mediis communitatis, vel patronorum sufficienter provisum fuerit, tunc ad ædes Parochiales, convenienter ad præscriptum Instituti vivendi modum accomodandas, ubi necesse fuerit, vel ex mediis ipsorummet Parochorum, præter id, quod fortè juxta morem Diœcesis in conservationem illarum annuatim ab illis impendi debet; vel ex collectis ipsiosmet communitatis mediis, si aliundè haberi nequeant quantum necesse fuerit, applicari poterit.

XX.

Similiter ordinari poterit, ut si desint media pro cohabitatione duorum Clericorum, in loco quodam particulari ob curam animarum, aut alia de causa ordinanda, Superiores hujus Instituti, tamdiu media necessaria pro altero Sacerdote subministrent, quamdiu hujus Instituti Sacerdotes in tali loco curæ animarum præfuerint; Et quia aliorum est similibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus vivendi media subministrare, ideò speciatim & authenticè cavendum, ne ex hac gratuita alimentorum subministratione pro quocunque futuro tempore, Instituto quædam obligatio impooatur.

XXI.

Eleemosinæ pro varietate, vel Religiosis, vel aliis faciendæ ex mediis huic Communitati obligatis, à Clericis beoeficiatis juxta leges Christianæ charitatis, & juxta dictamen prudentiæ fieri possunt; specialiter tamen suadetur, ut Parochianis suis indigentibus, pro ratione redituum suorum præ aliis benignè subveoire studeant.

XXII.

Bona Communitatis in una Archidiœcesi correspondente quoad domum Emeritorum & juventutis cum quibusdam Diœcesibus ejusdem Archidiœcesis, ut etiam media Diœcesis populosæ, quæ propriam Domum Emeritorum & juventutis habet, in eadem applicari debent, nec possuot, per se loquendo, etiam pro parte aliqua transferri. In casu extraordinario ubi ob gravem necessitatem christiana Charitas suadet, ut

ut aliis membris hujus Instituti ad bonum Ecclesiæ Catholicæ succurratur, ordinatio desuper fiet à Præside Diœcesis cum consilio Superiorum decanalium ex una, & ex altera parte à Præside Supremo; quod si rei gravitas postulaverit, Reverendissimo Domino Ordinario loci quoque desuper referendum erit, ut cum ejusdem præscitu & consensu, ad evitandas quascunque suspiciones res tota peragatur.

XXIII.

Ubi communes sumptus faciendi sunt in negotiis totum Institutum concernentibus, supremi Præsidis erit, proportionaliter ex collectis mediis particularium Diœcesium illud exigere, quod ad ejusmodi negotia pertractanda necessarium fuerit.

XXIV.

Communitas bonorum mutuam infert obligationem singulorum membrorum ad Institutum, & Instituti ad membra; ita ut singuli ad omnia bona sua ex beneficiis Ecclesiasticis, & functionibus, ac officiis quibuscunque provenientia in pios Communitatis usus conferenda, vi conventionis mutuæ, pactique ultrò citroque obligatorii adstricti; ipsi quoque Superiores nomine Instituti singulis membris fideliter in necessitate subvenire teneantur.

XXV.

Si quis Sacerdos vel Clericus animo sese Instituto aggregandi aliquandiu cum ejusdem Instituti Clericis habitaverit, dein verò, antequam consuetum Juramentum præstet mutata mente recedat, præter sumptus ipsius causâ factos, nihil persolvere teneatur: si verò post præstitum Juramentum ad Ordinem religiosum transire voluerit, vel proprio motu se ab Instituto separaverit, vel ab eodem ob incorrigibilem morum pravitatem, aliamve quamcunque causam dimissus fuerit, ex illis quæ in Instituto acquisivit, & jam tum vel ad capsam comonem contulit, vel apud ipsum adhuc existunt, de jure nihil prætendere, vel secum auferre potest; contrarium si fecerit, sine præhabito Superiorum Instituti consensu, id restituere tenebitur.

XXVI.

Si qui Sacerdotes aut alii Clerici jam existentes bona quædam ex beneficio, officio, vel functionibus Ecclesiasticis acquisita jam habeant, ac postmodùm ad Institutum suscipi petant, liberè de iis quæ extra Institutum acquisiverunt, disponere possunt, vel in usitatos hujus Instituti, vel in alios licitos & honestos usus, nisi ob imminentem ex senectute, aut alio capite ad officia & functiones Ecclesiasticas inhabilitatem æquitatis ratio postulare videatur, Instituto consignentur, cui per susceptionem talis personæ onus eam honestè sustentandi accrescere dignoscitur.

XXVII.

Omnes verò & singuli, qui per Juramentum se huic Instituto obligarunt, de bonis suis, sive Ecclesiasticis extra Institutum acquisitis, sive patrimonialibus de quibus liberè disponere habent, maturè ita disponant, ut casu quo Dominium eorum penes se retinere voluerint, totam vel potiorem saltem eorum curam aliis committant, cùm nec Instituto, ejusque disciplinæ, nec ipsismet Sacerdotibus in Officiis, & functionibus Ecclesiasticis occupatis conveniat multùm ejusmodi rerum curis occupari, quæ à suscepto vitæ statu valdè sunt alienæ.

XXVIII.

In quovis loco particulari ratiocinia acceptorum & expensorum ab uno Oeconomo fiant qui juxta diversas rubricas cujuscunque personæ in eadem domo habitantis, redditus ex beneficiis & salariis distinctè annotet, ne aliqua confusio sequatur. In Seminariis aliisque domibus, ubi communes redditus pro illa domo sunt ad nullam personam particularem spectantes, & simul alii redditus sint ad particulares personas in illa domo ex beneficiis, vel officiis obvenientes, tum ne confusio oriatur, fieri debet commune ratiocinium, & aliud particulare super accepta & expensa redditunm particularium istarum personarum.

XXIX.

Cum non solùm Instituti hujus interesit, sed etiam Diœcesium, ne bona communia minùs fideliter administrentur, aut ad supradictos Ecclesiæ Dei utiles usus non expendantur, ideo Reverendissimi DD. Ordinarii quoties defectus notabilis in administratione à Præside commissus innotuerit, desuper liberam inquirendi & rationes super bonis Instituti in commune collatis exigendi, defectusque interposita auctoritate sua ordinaria corrigendi potestatem habeant; defectus verò à Superioribus Præsidi subordinatis commissi à Præside corrigantur salvâ tamen, ut in præmissis, Or-

Ordinariorum Jurisdictione, ut hac ratione per debitam eorum administrationem ac dispensationem fiat, quod juxta approbatam hujus Instituti Constitutionem fieri solet, ac debet.

XXX.

De reliquo cum singuli hujus Instituti Clerici intuitu beneficiorum suorum Reverendissimis Dominis Ordinariis ea præstare debeant, ac reipsa præstent, quæ alii Clerici extra Institutum viventes juxta cujusque Diœcesis consuetudinem, intuitu eorundem beneficiorum præstare debent, bona ab iisdem in Commune ad massam communem jam collata alio insuper onere, seu exactione gravanda non sunt. Cùm æquitatis ratio non permittat, ut ob hoc quod superflua sua in communes pios, & tum statui Ecclesiastico, tum ipsimet Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ valde proficuos usus conferant, ampliùs quàm alii Clerici Sæculares graventur: Cùm enim eorum onera, ac obligationes quoad redditus beneficiorum suorum communiter cum illis sine ulla exemptione ferant, meritò iisdem etiam cum illis juribus, privilegiis, atque Immunitatibus gaudent. Hinc & particularis dispositio circa temporalia hujus Instituti bona ad capsam jam collata, eorumque dispensatio in usus præscriptos ad ejusdem Instituti Superiores spectat.

XXXI.

Vi Communitatis bonorum, sive pacti jurati nemini liceat ex hujus Instituti Sacerdotibus & Clericis testamentum Sæculare condere, aut parentibus, aut consanguineis suis bona sua temporalia ex beneficiis,& functionibusEcclesiasticis, ac officiis quibuscunque provenientia pro quacunque voluntate, voluntatem ultimam relinquere. Ideo omnes & singuli, quibuscunque dignitatibus Ecclesiasticis non obstantibus, obligantur, ut quocunque de rebus suis disponendi modo Clericis concesso, & consueto, bona sua prædicta Superioribus hujus Instituti ad fundandas domus educandæ Juventutis, & Emeritorum Sacerdotum, aliosque fines huic Clericali Instituto conformes dispensanda relinquant, memores omnia quæ possederunt esse propria Domini Nostri JESU Christi, in cujus infinitam gloriam, profectùmque animarum hoc Institutum omni tempore ea impensurum sit, nihilque æquius esse, quàm illorum etiam commoda sentire, quorum onera in vita & morte suscipiuntur.

XXXII.

Donationes Ecclesiæ cui quis deservit, vel parentibus, fratribus & sororibus indigentibus fieri possunt, ea tamen fieri debent cum præscitu, & consensu Præsidis alicujus Diœcesis, vel Territorii, vel ita ut juxta ratihabitionem ejusdem valere debeant, Superioribus verò ejusmodi denegare, vel immurare non licebit, nisi manifestè videant adhibitô consiliô aliorum, aut habitâ etiam in re gravi sententiâ Reverendissimi Domini Ordinarii, quod *irrationabiliter* ea facta sint.

XXXIII.

Legata & donationes quæ ipsismet membris hujus Instituti ab aliis fiunt, intuitu Officii vel cujuscunque respectus ad statum Clericalem aut quodcunque officium, spectant ad bona huic communitati obligata; quæ verò dantur intuitu consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ merè naturalis, bonis patrimonialibus annumerantur. In casu dubio donationis factæ standum juri communi, hac tamen lege, ut si à consanguineis & affinibus usque ad quartum gradum inclusivè donationes fiant, eæ censeantur factæ personis, in cæteris verò casibus dubiis censeantur factæ intuitu Instituti sive Officii.

XXXIV.

Debita passiva in vita aut post mortem alicujus ex Instituto solventur ex mediis ab eodem relictis, ubi verò ea non sufficerint, Communitas ad satisfaciendum eisdem obligata non erit, nisi cum expresso consensu Superiorum Instituti, & authenticâ ex scriptura eadem facta esse comprobentur: idque ideo quia cæteroquin gravia incommoda huic Instituto accrescerent, & ipsum Institutum quod curam talis personæ in vita, & morte in se suscipit, non tantùm commodum pro membris suis non sentiret, verùm etiam grave damnum pateretur.

XXXV.

Quando per Parochi vel Beneficiati discessum vel mortem ex gratiosa Reverendissimi Domini Ordinarii vel Patroni concessione, successor ex hoc Instituto fuerit, mobilia, quæ successori ad ducendam Oeconomiam necessaria sunt, non distrahentur, cum antecessor si hujus Instituti fuerit, sine detrimento nunquam vendat, successor verò maximâ cum incommoditate & difficultate coemat, ac de novo familiæ

de

de mobilibus prospiciat. Proinde à Superioris ordinatione & prudentia in tali casu rerum temporalium dispositio aut translatio, quæ ex rationabili necessitate, vel utilitate fieri subinde debere videbitur, dependebit: Ita tamen ut pro iis, quæ successori relinquuntur, honestum & moderatè taxatum pretium certo, & præfixo termino in casu mutationis ab una ad aliam Parochiam, sive beneficium solvatur Antecessori, in casu verò mortis Instituto.

XXXVI.

Quid verò, & quantum ex annuis hujusmodi beneficii redditibus tum antecessori, tum successori competat pro illa parte temporis, quo quisque illorum illud possidet juxta Capitularia Statuta, vel alias cujusque Diœcesis leges & consuetudines determinetur, & ordinarè annotetur, idque præsente ac confirmante eo, cui de jure vel consuetudine competit, & si opus fuerit præsente uno ad id ex Instituto deputato, ut omnis confusio evitetur & charitativè singula disponantur.

Observanda de fraterna cohabitatione.

XXXVII.

CUm hoc Institutum pro fine suo habeat in salutem Populi ita dispersim vivere, ut tamen quantùm possibile fuerit, ubique duo, tres, vel plures ejusdem Instituti Clerici & Sacerdotes in eadem domo fraternè cohabitent, Superiores diligenter invigilabunt, ut ex speciali favore Reverendissimorum DD. Ordinariorum ac Patronorum liceat etiam ruri fraternam duorum vel plurium hujus Instituti Clericorum cohabitationem instituere, ac continuare.

XXXVIII.

In oppidis ubi subinde plura partim curata, partim simplicia existunt beneficia, quorum possessores seorsim habitare consueverunt, Sacerdotes Instituti ubi duo, vel plura ejusmodi beneficia obtinuerint, quantùm fieri potest, fraternè cohabitare obligantur, in magnis tamen Civitatibus, nisi commodè & sine periculo animarum curæ suæ commissarum possint, non uno loco omnes simul, sed in diversis bini, vel plures cohabitent.

XXXIX.

Quod si in pagis & oppidis Parochialis Ecclesia Capellanum hactenus non habuerit, interim tamen reditus adsint, quibus duo Clerici congruè ad onus pastorale ferendum sustentari posse videntur, Superiores cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii Parocho Sacerdotem, non tam in subsidium animarum curæ, quàm in subsidium continentiæ & disciplinæ, securiùs servandæ adjungent.

XL.

Porrò si Parochialis Ecclesia Capellanias seu filiales Ecclesias distantes sub se habuerit, Reverendissimi DD. Ordinarii locorum rogandi erunt, quatenus permittant, ob bonum disciplinæ, Clericorum cohabitationes ita divisas ad unam socialem contrahere, dummodò per excursionem citra neglectum animarum humanitus prædicta loca provideri possint, in quo ex ordinatione ac Judicio Reverendissimorum DD. Ordinariorum determinatio fiet; dictæ Ecclesiæ filiales vel Parochiæ à se invicem ultra horam non distent.

XLI.

Cæterùm hi Sacerdotes tam Divina Officia, quàm conciones, & catechesin diligenter in Ecclesia propria peragant, non secus ac si in loco residerent; Parochianos de baptizandis & providendis ægrotis providè admoneant, & semel saltem præter festa & Dominicas in septimana quisque ad Ecclesiam suam certo die ad Sacrum celebrandum exeat; ut Parochiani id præscientes suis, & suorum necessitatibus spiritualibus facilè consulere possint; ad Sacramentorum administrationem evocati, in omni casu sine mora promptos se exhibeant.

XLII.

Casu quo tanta Ecclesiarum distantia foret, quæ positam mensuram notabiliter excedat, atque ob defectum redditnum duo habitare nequeant, qui tunc solitariè exponendus erit, sit solitudinis amans, & provectioris ætatis, ejusque constantia in castitate, & sobrietate probè perspecta habeatur. Insuper singulis septimanis ad domum decanalem vel Parochiam aliquam ad Sacerdotes hujus Instituti pro facienda Sacramentali Confessione veniat & Superiori de vitæ suæ statu frequentiùs rationem reddat, acceptaque Spirituali exhortatione, & consolatione novo cum fervore domum revertatur; in eundem finem sæpiùs etiam talis à Superiore Decanali vel Parocho quodam visitetur; pro admini-

ſtranda culina & familia famulum habeat, obſerveturque, quod infrà de ſeparatione mulierum ſtatutum habetur.

Quid reſpectu cohabitantium Clericorum obſervandum ſit.

XLIII.

INprimis omnes ſtudeant ſe tales in converſatione ſuæ vitæ exhibere, ut ſuis affectibus ex ſincero corde ſic dominentur, quatenus cuivis cum animi jucunditate cohabitare ſciant; firmiter etiam ſibi perſuadeant, in omni familia quantumvis bene ordinata imperfectiones ac disordinationes quandoque contingere; hinc apud ſe omnino ſtatuant defectus aliorum in vera & Chriſtiana patientia tolerare, ac ejusmodi jam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus ſupportare.

XLIV.

Superiores in conjunctione Clericorum prudenti circumſpectione ex notitia geniorum & indolis attendant, ut tales ſemper combinentur, ne vel contemptus vel nimia familiaritas inde ſequatur. Pro directione univerſim tales conſtituantur, qui non modò paſſionibus ſuis ſufficienter dominari poſſe noſcantur, verùm etiam illos, qui ipſis ſubjiciuntur, in omni genere virtutum & ſcientiarum, quantùm fieri poteſt ſuperent, vel ſaltem adæquent; contemptum enim parit, ſi qualitates ſubditi qualitatibus Superioris præſtent.

XLV.

Ubi duo, vel plures cohabitant, unus ſemper ſit ex iis, qui officio Oeconomiæ cum debito rerum temporalium emolumento fungi ſciat. Qui in rebus ſpiritualibus videntur tepidiores, ſibique ipſis nimis indulgentes, ſimul non conſocientur, ſed adjungatur unus vel alter, qui in ſpiritualibus ferventior, & in ſervanda diſciplina exactior eſſe noſcatur.

XLVI.

Ubicunque hujus Inſtituti Sacerdotes ſimul habitant, Superioribus curandum eſt, ut neque omnes Senes ſint, neque omnes Juvenes, ſed ita potiùs Senes conjungantur Junioribus, ut Seniorum cautela Juniorum libertatem cuſtodiat, & Juvenum fervor Seniorum imbecillitatem in perferendis laboribus ſublevet. Univerſim combinatio Sacerdotum ea circumſpectione ſemper fiat, ut in quocunque unus vel alter deficere noſcitur, tertius oppoſita qua eminet virtute defectum proximi ſui, quoad fieri poteſt, corrigat atque emendet.

XLVII.

Prætereà non indignum quilibet arbitretur, ſi in proximo ſuo cuſtodem habeat à quo charitativè corrigatur & moneatur; idque tam quoad actiones quæ domi, quàm quoad ea quæ foris peraguntur, quapropter ſemper conari debent, ut duo ſimul etiam foris exiſtant, qui ſibi invicem ſint tam converſationis, quàm innocentiæ teſtes ac monitores.

XLVIII.

Hoſpitales ad invicem, & ad omnes charitativos cum omni humilitate ſe exhibeant, & ſervitia neceſſaria omnibus præſtari à ſuis curent; itineris enim moleſtiis defatigati, refrigerio hoſpitalitatis ſublevari debent; erga perſonas verò cujuscunque Statûs ſervata proportione ſe taliter habeant, ut ab omnibus bonum teſtimonium charitatis Chriſtianæ reportare mereantur.

XLIX.

Denique ut qui in hoc Inſtituto vivunt, in morte minimè deſerantur, ſingulorum locorum Superiores diſponent, ut exequiæ Chriſtiano modo ſtatui Clericali conformiter peragantur, & in loco depoſitionis, præmiſsâ ſemper Vigiliâ defunctorum, tam primus, quàm ſeptimus, & trigeſimus pro defunctis celebrentur. Inſuper omnes Sacerdotes hujus Inſtituti juxta Conſtitutionem Sacerdotum 28. pro ſalute animæ ejusdem tria Sacra celebrabunt, qui in illa Diœceſi exiſtunt; ita tamen ut in cæteris Diœceſibus, quæ uni alicui Archidiœceſi, more in Eccleſia conſueto ſubjiciuntur, unusquisque ſi non tribus, ſaltem uno Sacro animam defuncti divinæ miſericordiæ commendet.

Quid Superiores in puncto ſeparationis mulierum obſervandum habeant.

L.

EAm mulierum ſeparationem Clerici omnes communiter obſervare tenentur, in conſcientia ad hoc adſtricti, quæ requiritur, & ſufficit ad vitandum ſcandalum, & ad proximam occaſionem peccandi tollendam. Ad tollendam verò omnem Clericorum cum mulieribus co-

cohabitationem, in Cap. inhibendum extrà de cohabitatione Clericorum, & mulierum, ita statuitur: Inhibendum est, ut nullus Sacerdos fœminas de quibus suspicio potest esse, retineat; sed neque illas, quas SS. Canones concedunt matrem, amytam, fororem, quia instigante Diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur: Undè præsens Institutum eò collimat, ut Clerici in eodem viventes, in instituendis hinc indè familiis timorem DEI custodem, castitatem dominam, amorem verò rectorem totius Domus suæ habeant.

LI.

Proinde nemini licebit ex sexu muliebri, sive matrem, sive sororem, sive aliam in quocumque gradu consanguineam, aut aliàs quantumvis piam; & sanctam mulierem sub eodem tecto, quo Clerici duo vel plures congregati habitant, habere; cum sit vel periculosum, vel scandalosum, aut saltem non deceat, aliaque viro Clerico inde incommoda emergant.

LII.

Si quo casu substantialis hæc Constitutio per se loquendo inviolabiliter servanda, in praxi & casu particulari nulla ratione observari posse videretur, eo quod familia de novo incipienda, in qua ob prædia rustica, vel aliam ob causam similem pecora sint alenda, & in continenti fieri non possit per habitationem diurnam, nocturnamque distinctam sufficiens separatio, ea quamprimùm ordinetur, sive ex favore Reverendissimi Domini Ordinarii, sive ex mediis ipsiusmet Communitatis.

LIII.

Media porrò quibus generalis ista Constitutio inoffensò pede in familia Clericorum constanter decurrere possit, erunt sequentia: In locis in quibus prædia rustica annexa esse non solent, culina & tota familia virorum, sive famulorum operâ instituatur, qui omnia ministeria domûs præstent; In locis verò sive Parochiis, quibus prædia rustica annexa esse consueverunt, quorum ratione, & inevitabili quadam necessitate similis culina, & familia propter emolumentum fructusque agrorum & decimarum institui necessarium est, mulierum servitia tolerabuntur, ut sic non solùm culinæ, verùm etiam toti reliquæ familiæ meliùs prospiciatur.

LIV.

In dictis servitiis Sacerdotum parentes & consanguinei, quantùm fieri poterit, constituantur: quibus deficientibus, aliæ honestæ, provectiorisque ætatis personæ assumantur; ita tamen ut à Clericorum tam diurnis quam nocturnis habitationibus intercedente sufficiente clausura sejungantur; quod proindè Superiores hujus Instituti constantissimè æmulabuntur.

LV.

In hunc finem Parochialibus ædibus domus rusticæ in loco quodam vicino annectantur, vel pars in ipsa Sacerdotali, si amplitudo id patiatur, per murum interjectum separetur in quibus Matresfamilias degentes subordinatum quoddam super totam familiam rusticam regimen habebunt: Parochus verò hanc inferiorem directionem culinæ, & totius familiæ in prædictam Matremfamilias immediatè rejiciat, ut ita Clerici negotiis inferioribus sepositis, à mulieribus penitùs separati, in vitæ sanctitate DEO servire, & saluti animarum liberiùs invigilare valeant.

LVI.

Porrò ut prædicta separatio commodiùs observari queat, & ne ejus occasione aut Parochus necessariam inspectionem in familiam negligat, aut in cibis aliisque requisitis pro Clericis ad domum Sacerdotalem deferendis difficultas aut incommoditas sit; Inter utrasque ædes aditus, ac porticus intercedat, quo ita domus & familia rustica ædibus Parochialibus annexa & approximata accomodetur, ut ex eadem cibi inde ad Clericalem mensam commodè deferri, & inspectio necessaria haberi possit. Aditus ergo in inferiori vel media contignatione ædium Sacerdotalium usque ad Domum rusticam traductus, & patens in fine clausuram habebit, cujus beneficiô prædicta separatio fiat; ita ut nemo Clericorum per illum aditum ex ædibus Sacerdotalibus ad domum rusticam neque ex familia & domo rustica ad domum Clericorum unquam transire valeat.

LVII.

Ut major cautela adhibeatur, quantùm locorum Constitutio patitur, domus Clericorum contra omnem accessum (vel januas non necessarias obstruendo, vel muro circumvallando)

ita muniatur, ut relictâ solummodò unicâ ad Clericalem domum januâ ordinariâ, omnis utriusque familiæ domesticorum adinvicem accessus perpetuò discludatur; cujus rei melior accomodatio pro locorum constitutione Superiorum discretioni relinquitur. Denique fenestræ cubiculorum & totius domus Sacerdotalis bene ferteis clathris obseratæ, & munitæ sint; noctu, occlusis diligenter foribus claves ad Superiorem deporrentur, Ita ut neque intrandi, neque exeundi ulla occasio, ac suspicio esse possit; & sic tota Domus in timore DEI, & apud prudentes in bona æstimatione stabit.

LVIII.

Pariter Domus Clericorum (etiam ubi familia rustica non est) ubique tam in Parochiis, quàm in loco decanali & alibi sic accomodetur, ut Sacerdotes & Clerici omnes cum Superiore Domûs in congressu communi habitare possint; Domus universim seris tectis muniantur, & cautelæ supradictæ ubique adhibeantur.

LIX.

Parochus vel Beneficiatus (assumpto Socio Sacerdote, vel hoc deficiente, alio innocentiæ suæ teste) ad minimùm semel in septimana visitet domum familiæ rusticæ (quod in aliis quoque Oeconomiis universim observandum) videatque num ea, quæ in Domo sub cura retinentur, illæsa conserventur, & benè expendantur, atque advertentes aliquid non ut oportet conservari, aut expendi sic corrigant, ut imposterum rectè, & solidè omnia fiant; negotiis cum debita gravitate, imperio, & modestia expeditis ad Sacerdotalem domum revertetur.

LX.

Quod si cum fœmina ratione pastoralis officii vel aliâ rationabili causâ necessariò loquendum. fuerit, in domum Clericalem non intromittatur, & quæ consilii, necessitatis, & salutis animarum gratiâ loqui oportuerit, Clerici paucis cum gravitate & modestia, in loco patenti absolvant. De cætero Superiores mulierum consortia absque dispensatione strictissimè præscindant, omni etiam pio prætextu excluso, mulierumque Visitationes extra casum graviotis ægritudinis nulli unquam permittant.

LXI.

Ut ministerium quoad eos famulos, qui ad dies vitæ in hoc Instituto servire volunt, feliciùs succedat, Superiores providebunt, ut ad hujusmodi munus juvenes morigeri suscipiantur, qui maturè à mundo abstracti, in culinæ ministerio, aliisque operibus domesticis, probè aliquot annis instruantur. Hosce famulos pietate pollentes Institutum ad dies vitæ sanos, & infirmos, senes, & vegetos retinebit, & omnia necessaria ipsis subministrando, ex debito obligationis amanter sustentabit: iisdem nihilominùs certa merces annua constituetur, ut quod ultra vestitum & alia necessaria exindè restat, pro eorumdem sustentatione à superioribus in senio vel alia necessitate, expendatur, priusquam ad communia Instituti bona pro sublevandis eorum necessitatibus recurratur: casu verò quo in necessitatem talem non inciderint, id quod ex ejusmodi famulorum mercede restat, penes Institutum manebit, pro aliis similibus occasionibus expendendum.

LXII.

Invigilabunt quoque Superiores, ut etiam cæteri famuli, qui ad tempus tantùm inserviunt, sint fideles & experti, quatenus hac ratione debitum servitium omnibus præstetur, ac necessitati singulorum sufficienter prospiciatur. Ad omne periculum, tam in spiritualibus, quàm temporalibus excludendum, Parochi cæterique beneficiati Clerici quicunque circa susceptionem, & dimissionem domesticorum, Superioribus ad nutum obtemperabunt.

De Superioritate directiva, ejusque necessitate, ac principiis practicis, ut hoc Institutum perpetuò in Clero conservetur.

LXIII.

UT hoc Institutum feliciter subsistat debitam inter membra respectu Superiorum & inferiorum subordinationem requirit. Unde præter publicam Reverendissimis DD. Ordinariis præstandam obedientiam quædam directiva morum, ad disciplinæ vigorem in Clero servandum, statuitur, per quam singulorum qui de hoc Instituto sunt, vita in via charitatis immediatè inspiciatur: & sic Clerici cum suo legitimo Capite, quod sunt summus Pontifex, & Reverendissimi D. Ordinarii perfectiùs quàm unquam adunentur.

LXIV.

LXIV.

Porrò hæc Superiorum ejusdem Instituti directio, privata solummodò & Oeconomica eò potissimùm spectat, ut à Clericis eidem addictis omnia & singula tam in spiritualibus, quàm temporalibus, juxta ejusdem Constitutiones fiant; qui contra eas deliquerint, paternè moneantur; quin & inter domesticos parietes, levioribus pœnis medicinalibus potissimùm si ita res postulare videatur, corrigantur; ii denique qui à Reverendissimis DD. Ordinariis ob graviores excessus publica auctoritate puniti fuerint, subsequenter in domibus Emeritorum per exercitia spiritualia, exempla & monita piorum virorum, solidè emendentur: In reliquis verò unà cum omnibus hujus Instituti membris quivis Superior Summo Pontifici & Reverendissimi D. Ordinarii sui Jurisdictioni sic subest, ut non tantùm ad ea quæ à Clericis Sæcularibus communiter præstanda sunt, sed etiam ad Constitutionum hujus Instituti, ac debitæ disciplinæ observationem à Reverendissimis DD. Ordinariis adstringi possit.

LXV.

Quamobrem omnes, & singuli non solùm DEI mandata, Divinaque Consilia filialiter observent, & mandatis Ordinationibusque S. Sedis Apostolicæ, ac Reverendissimorum DD. Ordinariorum debitè sese subjiciant; verùm etiam Constitutionibus & disciplinæ hujus Instituti tam supremus Præses, & Superiores reliqui, quàm cæteri Clerici obtemperent, prout uniuscujusque conditio requirit, ut sic totus status undequaque perfectus in sua compage conservetur. Cæterùm obedientia respectu Superiorum hujus Instituti, nulla specialis ex obligatione juramenti, sed solummodò ea est, quæ ex jure naturali in quovis statu Superiori legitimè mandanti debetur.

LXVI.

Superiores seipsos exemplum præbentes in quotidianis exercitiis, & observatione statutæ disciplinæ primi existentes, per prudentiam & discretam moderationem ad sui amorem omnes trahentes, ea suavitate regant, qua ab omnibus libenti animo rationabile obsequium disciplinæ obedientiæque præstetur; unde quamdiu per solas admonitiones, paternasque ordinationes subditos ad ea quæ præstanda sunt inducere valent, potestate sibi tradita, mandando sub obedientiæ vinculo, uti non debent, sed solummodò dum subditos suos alia ratione, in rebus gravioris momenti ad observantiam rerum præscriptarum, inducere nequeunt; præprimis verò attendere debent ad debitam punctorum substantialium, Communitatis bonorum, cohabitationis fraternæ, & mulierum separationis practicam observantiam.

LXVII.

Ordinariè autem hic ordo in correctione alicujus, qui contra Instituti Constitutiones, ac præcipuè contra puncta substantialia delinquit, conformiter præcepto de fraterna correctione à Christo Domino nostro Matth. 18. exposita servandus erit. Primò moneatur fraternè ab immediato Superiore suo, vel alio quocumque; Secundò si hæc fraterna monitio nihil proficiat, recurratur ad mediatum Superiorem Diœcesanum vel alium: quod si verò Superiorum Instituti charitativas admonitiones, & correctiones contempserit, deferatur ad Ecclesiam, videlicet ad competentem Judicem Ecclesiasticum, qui pro sua jurisdictione ad parendum talem compellat: in delictis autem publicis personarum hujus Instituti, si Reverendissimus D. Ordinarius à se statuendas pœnas, potiùs in domo Emeritorum, quàm alibi persolvi à reo voluerit, in eo Superiores Instituti strictè obedient.

LXVIII.

In specie verò quilibet Superior ea fideliter exequatur, quæ sui sunt muneris, nec in officium alterius majoris, aut minoris Superioris inordinatè se immisceat, ne confusio suboriatur; neque etiam rerum cælestium contemplationi ac spirituali quieti in tantum se tradant, ut reliqua fastidientes suorum curam, vel obiter tantùm gerant, vel omninò negligant, quæ omnia in homine privato virtutis, in Superiore verò maximæ vitiositatis esse meritò censenda sunt.

LXIX.

Divinis promissionibus innixi, viam regiam confidentiæ in Deum in quibusvis negotiis, adversitatibusque constantissimè teneant, certissimè sibi persuadentes omnipotentem Dei bonitatem semper plura nobis dare paratam esse, quàm nostra necessitas requirat. Insuper regimen suum solida & constanti probitate ac pietate in Deum ita firmare satagant, ut inter suos tanquam Sol à mane usque ad vesperam, sancto quodam virtutum fulgore lucere conspiciantur, Apostolo monente: *Te ipsum præbe exemplum bonorum operum.*

LXX.

LXX.

Conftitutionum obfervationi fedulò invigilent, Majorum placitis inhærendo, novitates fugiant, ad externam quoque difciplinam folidè obfervandam magno zelo incumbant, ut fubditi facilè intelligant transgreffionem etiam minimorum Superiori fuo difplicere. Confcientias fpirituales fuis temporibus inftituant, & cum fuis privatim etiam fæpiùs loquantur, ut fciant, in quo ftatu quisque verfetur, & quas neceffitates tam in fpiritualibus, quàm temporalibus patiatur.

LXXI.

In omnibus tales fe fubditis exhibere fatagant, quales ipfi libenter etiam alios erga fe habere vellent, fi fubditi effent, & maximè fibi curæ habeant, ut fine fuæ perfonæ acceptione uniformem aliis cohabitantibus in humili mentis, ac fpiritûs fubmiffione vitam degant, & nec minimum talis eminentiæ fignum edant, quod proprium amorem, aut fuæ perfonæ honorem, faftumque animi fapiat; fed in omnibus actionibus ac mandatis manfuetudinem verborum, fuavitatem morum, modeftiam, & charitatis affectum demonftrent, ut fic fubditi in obfequium obedientiæ captiventur.

LXXII.

Erga omnes humanitate, comitateque utantur, faciles aures eorum honeftis poftulatis præbendo, & pro diverfitate nationum, gravitatem, feveritatemque ita conjungant, ut qui amore regi malunt, filios fe effe experiantur, qui verò fecùs fecerint, imperium fentiant Superioris: beneficiis quoque domefticæ charitatis, omnes fibi in obfequium amoris devincire conentur, & eorum delicta virgâ feveritatis ac juftitiæ ita corrigant, ut tamen fimul oleum confolationis ad exemplum Samaritani vulneribus infundant; infuper diligenti circumfpectione ad fuorum neceffitates attendant, & tempeftivè easdem fublevare ftudeant; omni etiam horâ promptam benefaciendi voluntatem accedentes expetiantur.

LXXIII.

Simplicem veritatem ac pupillam oculi cuftodiant, ut ficut os loquitur, ita & cor fentiat, animique candorem & finceritatem tam in verbis, quàm in factis exclufa omni politica fimulatione fic præferant, ut fubditi de contrario nullam fufpicionem habentes, verè fentiant tutò fe illis fidere poffe. Datam fidem erga omnes fideliter cuftodiant, & fi quid fecretorum fubditi illis crediderint, filere fciant.

LXXIV.

Ad animi fortitudinem in adverfis in omni vita fua magis conentur, qua domefticorum & propriis malis poffint refiftere, atque æquo animo prudenter ad exemplum Chrifti, & Sanctorum ejus tolerare. Pondere fortitudinis caveant, ne nimia animi facilitate ad omnem fubditorum propenfionem, precesque propofitam aute fententiam mutent. In rebus agendis deliberationes ferias præmittant, ad quas tam experientiâ, quàm naturâ prudentiores adhibeant; proponant res difcutiendas absque inclinationis fuæ manifeftatione in utramque partem: interim tacitè fecum rationum momenta difcutiant, concedantque confultatoribus fufficiens pro rei gravitate tempus deliberandi, ut fic in ferendis fententiis prudenter procedant.

LXXV.

In fententia, quam femel confilio elegerunt fortiffimè perfiftentes etiam non obftantibus quibuscunque contrariis ad executionem rerum conftantiffimè provehantur; fi tamen propter circumftantias primùm ex poft facto fupervenientes, aut priùs ignoratas, moralis impoffibilitas rerum exequendarum, aut majora damna ab executione proventura confpiciantur, prudentiæ erit cum confilio Seniorum aliam viam ingredi: prætereà innatum animi teporem viriliter corrigant, matureque malorum initiis obfiftant, medicinas oppofitas non ad extrema conjiciant laborum pertæfi.

LXXVI.

Juftitiam diligant, eamque indifferenter erga omnes obfervent, fuorumque delicta impunita non relinquant, in horum tamen vindicatione pro rei gravitate & perfonarum qualitate ita fe gerere ftudeant, ut omnes medicinam potiùs, quàm vindictam fentiant. Infuper prudentiâ utantur, qua in delictis quædam diffimulare fciant, quæ tempore magis congruo corrigantur; graviora priùs corrigant, & gradatim ad minora fic defcendant, cognofcantque cujusque naturam, quibus potiffimùm finguli faciliùs corrigi poffe videantur.

LXXVII.

In rebus agendis extrema devitent, proinde rigidiorem partem nunquam facilè amplectentur, quamdiu

per

per mitiorem viam se obtinere posse correctionem sperant; neque interim per neglectum aut contemptum minimorum solis gravioribus invigilandum esse sibi falsò persuadeant, aut in hisce errantes admonere & punire negligant. Memores quoque potestatis superioritatis sibi factæ, cujusdam fictæ humilitatis studio, sua mandata, seque ipsos subjiciendo contemni non permittant; multò minùs subditorum judicia suis ita anteponant, ut malint ex illorum sententia errare, quàm ex sua prudenter aliquid ordinare.

LXXVIII.

Ut in perpetua quadam erectæ mentis statione suo officio invigilare valeant, temperantiæ fulgore omnibus tam domi, quàm foris præluceant, & convivia devitent; neque spreto domesticorum suorum commercio externorum conversationem, & amicitiam ambiant; sed libenter cum suis esse, conversari, & convesci satagant; erga quos etiam, uti erga omnes alios liberales cum debita tamen moderatione existant. In conversatione se suis ridendos nunquam exhibeant, nec rebus illis se immisceant, quas ignorant, aut in quarum scientia non excellunt, inde enim dedecus potiùs, atque contemptus quàm authoritas in eos redundare solet.

LXXIX.

Venerationis, aliarumque prærogativarum obsequia sibi à subditis præstita mutuo honore, & charitatis officio omnibus grati rependant; quin & tametsi ejusmodi venerationum stipendio subinde priventur, à charitativo tamen eorum obsequio minimè recedant; hoc namque animos mirè devincire, ac quasi captivare consuevit. Animi motus sibi subjectos moderateque suspensos habeant, maximè verò iracundiæ frænum injiciant, & ubi subnascentes illius stimulos senserint, vincant se ipsos, & cum tranquilla mens fuerit quid agendum sit judicent.

LXXX.

Caveant se respectibus humanis induci, ut horum intuitu ea inferioribus permittant, quæ cum Instituti disciplina, felicibusque ejus progressibus pugnent; in omnes intentos habeant oculos, & in eos etiam quorum virtuti atque industriæ multa committuntur, caveantque ne in eos nimiâ, vel confidentiâ, vel diffidentiâ ferantur, quia utrumque felicem familiæ gubernatio-

nem nonnunquam labefactat. Similiter uni nimium addicti tantum nunquam tribuant, ut alii se neglectos contemptosque sentiant, quæ omnia æmulationes, & contemptus, aliaque ingentia mala in gubernationem domesticam invehere solent.

LXXXI.

Detractationibus non solùm fidem, ac aures non præbeant, sed veluti pestem hoc vitium proscribant. Adulatorum assentationes fugiant, neminemque in sua consilia admittant, quem hujus vitii reum habuerint. Quæ talenta unicuique Deus, natura, experientia, ætasque concesserint, Superiores solerter observent, & ex eorum cognitione munera domestica singulis dividant.

LXXXII.

Seniores, ac laboribus fractos ex animo colant, & venerentur, illorumque necessitatibus sedulò occurrant, paterneque habeant. Paternam infirmorum curam gerant, ex animo illis condolendo, sæpiùs visitando, verbis, aliisque tam spiritualibus, quàm temporalibus mediis consolando. Cognoscere quoque debent domesticorum suorum egressum & ingressum, quibusque in occasionibus, & cum quibus conversentur, quid à singulis domi fiat, omnesque domestici ordinis ac disciplinæ perturbationes pro viribus eliminare conentur.

LXXXIII.

Ut officio suo eò magis satisfaciant, in diariis omnia notabiliora consignabunt eo ordine & modo, ut si necesse sit, omnibus rationem reddere valeant. Sic juramenta à singulis præstita, & manu propria subscripta aliaque ejusmodi particularia certo loco asservabunt, & ut has ordinationes perpetuò observent, singulis diebus tacitè secum pensent, quid in officio sibicommisso neglexerint, & si quid deprehenderint, seriò proponant cum divina gratia in humilitate spiritûs emendare.

De Regressu ad Superiores.

LXXXIV.

Unicuivis subdito recursus ad Superiores majores conceditur, ut si quandoque quispiam à suo immediato Superiore, sive in spirituali, sive in temporali necessitate indebitè gravare- tur,

tur, & de illis Superior humiliter rogatus remedeiri nollet, in eo casu ad mediatum & altiorem Superiorem, eo amoris, & confidentiæ filialis affectu accedat, quo filius ad Patrem necessitate pressus accedit; servandus tamen erit in ejusmodi recursu debitus ordo, ut saltem regulariter, & sine speciali causa, ab infimo Superiore, omisso medio ad Supremum non recurratur, excepro recursu ad S. Pontificem, qui semper etiam omisso medio adiri potest.

LXXXV.

Quod si ob quamcunque difficultatem à Superioribus hujus Instituti per privatam & œconómicam directionem, servato prædicto ad Superiores regressu, non correctam, ad forum publicum in rebus hoc Institutum concernentibus à gravato deferenda foret, decisio talis difficultatis, juxta hujus Clericalis Instituti Constitutiones à S. Sede Apostolica approbatas, & Sac. Canones reguletur ab eo Reverendissimo Domino Ordinario in cujus Diœcesi ejusmodi difficultas occurrit.

LXXXVI.

Prædictus regressus in vera, benè considerata, & rationabili necessitate, quæ vel personam, vel œconomiam, vel statum concernat, ita fiat, ut interim de pristino, ac debito amoris affectu, aut de subjectionis voluntare, ac promptitudine nihil remittentes, omnia æquo animo, sedatis prorsus passionibus cum debita humilitate, suæ voluntatis resignatione, ac prompto & indifferenti ad omnia animo, Superiori aperiant, & ejusdem Judicio tanquam filii obedientiæ acquiescant; Modum denique eum in prædicto regressu ad Superiorem observent, ut inde nulla incommoda, aut disciplinæ domesticæ detrimenta consequi possint.

De revelatione hominis interioris Superiori facienda.

LXXXVII.

Medium imprimis necessarium ad conservandos status spirituales in debita sua perfectione, & perenni felicitate est revelatio hominis sui interioris, cujus beneficiô notitia acquiratur, qua propriis quarumlibet tentationum & supplantationum diaboli (quibus ipsam statûs substantiam, & genuinum vocationis spiritum paulatim in singulis membris infringere, enervare, & pessundare conatur) principiis maturè obvietur ac resistatur, insidiaque mundi, ac carnis maturè deprehensæ detegantur ac declinentur, aut futuræ imminentesque præcaveantur.

LXXXVIII.

Proinde singulis annis unusquisque semel tempore exercitiorum spiritualium Patri suo spirituali totum hominem suum spiritualem, & internum fideli sinceritate revelet, & detectis ea ratione Diabolicæ supplantationis insidiis, & salutaribus ejusdem consiliis contra easdem munitus interim denovo piè sanctèque vivere, & in via salutis, ac perfectionis progredi incipiat; Confessario quoque suo proprio suum internum hominem tam ad bona, quàm ad mala aperiant, instinctusque sive bonos sive malos revelent. Præterea per modum familiaris colloquii Superiori in districtu Decanali omnes Clerici qui sub ipso degunt, tempore visitationis fideliter statum in quo pro tempore quoad suum hominem spiritualem fuerint, aperient; cujus etiam spiritualibus mediis, & piis monitis, quæ præscripserit diligenter acquiescent.

LXXXIX.

Idem observabunt Superiores Decanalium districtuum respectu Præsidis Diœcesani sub visitatione annua ejusdem, aperiendo eodem modo statum hominis sui spiritualis candida fidelitate; Pari ratione Præsides Diœcesani quoad suas personas uti & illi, qui iisdem Præsidibus cohabitant, observabunt respectu majoris Superioris sive tempore visitationis, sive alio tempore convenienti, singulis annis hominem suum interiorem pari ratione revelantes, & sic per ordinem Superiores omnes usque ad supremum Præsidem id observabunt. Denique ipsemet Præses Supremus in annuis exercitiis eandem revelationem hominis sui interioris Patri suo spirituali faciet, pari quoque ratione negotium animæ suæ in humilitate & fidelitate cum Confessario suo proprio omni tempore vitæ suæ pertractabit. Porro dexteritas in superioribus requiritur, ut revelantem ad sectandam majorem perfectionem in fortitudine Spiritûs excitatum cum consolatione dimittant.

De notitia Personarum habenda.

XC.

Quantùm fieri potest Superiores hujus Clericalis Instituti notitiam de

de singulis, & de totius status Constitutione providè omni tempore callere oportet, qua ratione singuli ad obtinendam æternam salutem, & status totus ad debitam suam perfectionem quàm congruentissimè dirigatur: In hunc finem quilibet Superior tam pro spiritualium rerum, quàm temporalium directione constitutus, notabit ea, quæ consideratione digna fuerint: Deinde totius Instituti Præses pro felici gubernatione nosse debet singulorum districtuum statum, uti & alii Superiores districtûs sui notitiam habebunt: In hunc finem Superiores inferioris ordinis, majoribus Superioribus de personis sibi subditis debitam Informationem certis temporibus dabunt, scilicet Superiores Seminariorum de suis Studiosis, uti & Superiores Domuũ emeritorum de personis ibidem existentibus, Superiores districtuum decanalium de personis sui districtûs & sic per ordinem.

Ordinationes pro Oeconomis.

XCI.

UT Communitas bonorum cum majori fructu Ecclesiæ Catholicæ, ac præsertim Cleri executioni dari possit, & ut omnia hujus Instituti membra videant, ac re ipsa experiantur quod præter bonum in rebus, & exercitiis spiritualibus ordinem, etiam temporalium administratio in omnibus, quoad fieri potest, ordinatè procedat, singulorum locorum Oeconomi eam in administrandis rebus temporalibus adhibeant curam, ut meritò singuli propter bonum in rebus omnibus ordinem ex animo lætentur.

XCII.

In hunc finem tam Superiores, quàm Oeconomiarum administratores & quicunque aliquo modo rerum temporalium curam habent, magnâ curâ providentiâque circumspicientes attendant tam ad subditos suos, quàm ad universæ Oeconomiæ administrationem, eumque in eadem ordinem constanter observare satagant, ut ex illa unicuique omnia non solùm ad necessitatem, sed etiam ad convenientem commoditatem ministrentur; itaque omnes, qui simul habitant, exinde satisfactionem habeant.

XCIII.

Ad obtinendam prædictam administrationem domesticam spectat, ut singularum hujusmodi rerum administrationes ita dividantur, quatenùs mediante subordinatione officiorum à summo usque ad infimum singuli in ordine, ac munere suo ritè præstando omni tempore contineantur, & ordinationis suæ directionem à Superioribus capiant.

XCIV.

Oeconomi seipsos aliis non præferentes, ac potiùs in omnibus per abnegationem sui exemplum præbentes, ita cum aliis uniformiter per omnia vivant, ut intra omnes ab infimo usque ad summum, amoris, pacis, mutuæ dilectionis, & unitatis vinculum integerrimè conservetur, dum omnes (cæteris paribus) ex prædicta rerum omnium uniformitate se verè pro filiis, & domesticis haberi manifestè deprehendunt.

XCV.

Quòd si contingat aliquem esse debilioris complexionis, Superiores illius infirmati paternè condescendentes, eundem cum consensu Reverendissimi Ordinarii in Parochia, vel condirione aliqua ubi cum socio secundùm aliquas commoditates sibi necessarias commodiùs vivere possit, exponi curabunt. Universim erga suos in infirmitatibus & aliis casibus humanæ necessitatis austeri non existant, sed magis per omnia iisdem compatientes, se verè & cordialiter charitativos exhibeant.

XCVI.

Ob gravissima damna, quæ tam ex parte domesticorum, quàm externorum evenire solent æs alienum non contrahant; proinde familiam suam ea circumspectione instituant, ne facilè unquam annui sumptus redditus excedant, ex opposito namque cumulata debita debitis accrescunt.

XCVII.

Pro domestica politia debitè conservanda, omni possibili conatu, diligentia ac providentia curent rerum omnium munditiem servare; non minori sedulitate studeant, ut omnia & singula in suis locis sint disposita. In quovis loco particulari vestiarium ordinetur, in quo sicut omnia vestimenta asservari, ita etiam ex eodem omnia & singula cuilibet subministrari oportebit: debita quoque Bibliothecæ & librorum cura habeatur, talesque libri procurentur, qui potissimùm pro meditationibus, lectione spirituali, concionibus, cathechesibus, & similibus usibus necessarii erunt; Catalogus quoque librorum in eodem loco asservetur.

XCVIII.

Quemadmodum abjectio aut nimius luxus externæ speciei, atque habitus Clericum apud omnes vituperare, & contemptibilem reddere, ita modestia, & honestas maximè semper commendare consuevit; Inde enixè laborandum est, qua ratione utrumque conjungatur. In vestitu ergo uniformitatem & honestatem longarum togarum, sive talarium cum collaribus, prout honestos Clericos decet, ubique terrarum omnes diligenter observabunt. Cura autem hujus penes dispensatorem rerum temporalium cujusque loci erit, ut suos honestè, & maturè vestiri faciat, & uniformitas quantùm fieri potest, perpetuitate quadam ubique & in omnibus observetur. Materia togarum, talarium universim ea erit, quæ & honestatem & modestiam in homine exteriori præseferens individua quadam societate conjungit, qualis omnis illa materia esse potest (servata discretionis proportione aliquo modo ad officium, & dignitates externas) quæ splendore, forma, aliisque qualitatibus vanitatem, luxum, & mollitiem minimè præseferat.

XCIX.

Similiter in victu aliisque quibuscunque rebus eam cæteris paribus æqualitatem, & uniformitatem erga omnes observent, qua debita animorum unio inter domesticos foveatur; ejus quoque providentiæ Superiores & Oeconomi esse debent, qua singulorum necessitates sollicitè respiciant, & præveniant; aliorum quoque consilio præsertim in rebus gravioribus familiam suam in via charitatis fideliter administrent.

C.

Quod attinet ad rationem administrandæ Oeconomiæ ad extra studiosè caveatur, ne avaritiæ nota huic Clericali vitæ Oeconomorum sive aliorum culpâ meritò imputari possit: Hine, si legata quædam pia huic Instituto advenirent, in iis magna cum moderatione, & quarumcumque personarum satisfactione, quantùm prudenter fieri poterit, procedi debet; Pari modo in vendendo & emendo Oeconomi æquitatis sint memores; Opificibus quoque & operariis satisfactionem sine morositate præstent: Idem etiam observetur quoad famulos aliosque domesticos.

CI.

Circa Jura stolæ, oblationes annuas, funeralia, ac similia accidentalia omnes omninò tam prudentiæ, quàm discretionis memores, liberum illis, qui talia solvere tenentur, relinquant dare ex bono & libenti animo, quod justum & æquum ipsimet judicabunt, & sine gravi difficultate dare poterunt; Quod si verò bonitate & discretione illa subditos abuti videant, tum meritò quæ sibi ex Jure Parochiæ & Ecclesiæ ordinatione debentur ad Jura Parochialia manutenenda postulare poterunt, & subinde debebunt.

CII.

Unusquisque Sacerdos beneficiatus ad distribuendum pauperibus aliquid habeat, ut pro iisdem convenienter expendatur. Ordinariæ tamen eleëmosynarum elargitiones non ab omnibus passim fiant, sed ab Oeconomo aut alio ab eo deputato.

CIII.

Juxta Constit. 20. Sacerdotum super redditibus omnibus tam fixis, quàm accidentalibus, uti & super expensis tam ordinariis, quàm extraordinariis, justus & exactus calculus ab omnibus Oeconomis in manuali sive libello quodam ubique teneatur, ordinatumque quoddam ratiocinium quotannis ab unoquoque Oeconomo, de omnibus acceptis & expensis conficiatur, ac certo loco, ac tempore præscripto exhibeatur. Ut verò ordinatiùs in hoc puncto procedatur, particularia ratiocinia asserventur in quovis loco particulari, Decanalia in loco decanali, extractus eorundem ad capsam Diœcesanam, sicque usque ad calculum generalem omnium rerum hujus Instituti procedendo, quatenus Superioribus convenienti tempore ubique exhiberi possint.

CIV.

Archivium particulare in quovis loco, & aliud in loco decanali, uti & in quavis Diœcesi, & Archidiœcesi, generale denique pro toto Instituto ordinari debet, ita ut in particularibus documenta Parochialis, specificatio redditùum, inventaria rerum domesticarum, unà cum inventariis librorum, & similia: in generalibus verò Archiviis generalia documenta asserventur eo ordine, & modo, ut pro quavis occasione statim ad manum haberi possint.

De

De officio & directione Superiorum in specie.

CV.

Superiorum hujus Clericalis Instituti sequens subordinatio statuitur, uti & Oeconomorum qui dependenter à Superiorum directione rerum temporalium curam gerunt; ut ita ab infimo usque ad summum tam Superiores, quàm Oeconomi inter se connexionem, & debitam dependentiam habeant, ultimaque dispositio hujus Instituti à Præside Supremo derivetur, ut sic mutuo consilio & directione, ordine suo peragantur, & dispensentur.

CVI.

Tota verò subordinatio tam Superiorum, quàm Oeconomorum in quinque gradibus personarum consistit. In primo sunt Superior cujusque loci particularis; in secundo Superior alicujus districtus Decanalis, & Oeconomus; in tertio Præses, & Oeconomus Dioecesanus: in quarto, ubi Dioeceses quædam correspondentiam habent, Præses Archidioecesanus, & Oeconomus; in quinto denique Supremus totius Instituti Præses cum suo Oeconomo; qui omnes quatenùs à Reverendissimis DD. Ordinariis suis dependeant, habetur supra numero LXXXVI. & in sequentibus clariùs exponitur.

De Parochiali, & cujusque loci particularis directione.

CVII.

Quia Clerici, & Sacerdotes hujus Instituti per pagos, & Oppida in salutem populi dispersi bini, terni, vel plures cohabitare solent, divisim in singulis locis superioritas, & inferioritas constituatur necesse est, ut disciplina debitum observationis effectum sortiatur, dum omnes uni in quovis particulari loco obediunt, quam superioritatis directionem perpetuò is habebit qui Parochus, sive principalis beneficiatus cujuscunque loci pro tempore extiterit.

CVIII.

Cui proindè non solùm tota familia, verùm magis Clerici cohabitantes in omnibus, quæ rationabilia secundùm Deum fuerint, tam in spiritualibus, quàm temporalibus secundùm præscripta hujus Clericalis Instituti obedient; qui tamen non omnia proprio motu disponet, sed suorum consilium in omnibus, quæ alicujus momenti fuerint, adhibebit.

CIX.

Singuli locorum particularium Superiores suorum maximè domesticorum curam ex animo gerant, diligentique circumspectione attendant, ut timor Domini & animorum unitas perpetuò in ædibus suis vigeant: tam in gubernatione domûs, quàm administratione Oeconomiæ dirigi se sinent à sui Decanalis districtus Superiore, & quæ in visitatione vel aliàs fuerint mandata, diligenter observabunt.

CX.

Inspiciant frequenter in anno res, quæ possidentur, ut quæ reparatione indigent maturè reparentur, aut quæ servando servari non possunt, de illis maturè disponatur. Vigilanti etiam curâ ad supellectilia, libros, cellam, & loca frumentis deputata attendant, ne quid intereat furto, prodigalitate, aut alio modo malè distrahatur; quare claves diligenter penes se, vel (si ratio particularis ita postulare videatur) Clericos sibi cohabitantes retinebunt.

CXI.

Originalia decimarum aliorumque proventuum Instrumenta in Archivio cujusque loci diligenter asserventur cum annotatione temporum quibus quæque pendi solent, juxta quorum normam singulis annis fiant duo libelli, ut in unum referantur per ordinem prædiorum perceptæ decimæ, in alterum verò annui Canones, sive hi in certa pecunia, sive in alia re pendantur; sine præscitu Superioris districtûs Decanalis fructus decimatum in agris non vendantur, nihilque quod ad locationes, contractus, aut debita contrahenda, aliaque similia spectat, sine ejusdem consilio, aut consensu faciant; cui tamen rationes suas in contrarium, si quas habuerint, modestè proponant.

CXII.

Inventarium ordinatum secundùm certas Rubricas omnium mobilium, quæ in domo sunt, vel ad ipsam spectant, habeant, illudque annuatim tempore visitationis renovent, adscribendo ea quæ noviter advenerunt, & expungendo quæ absumpta vel vendita fuerint. Referant quoque summatim in Codicem lites, & acta quæ alicujus momenti circa res temporales contigerint. Si

quæ utensilia ab extraneis commodato acceperint, annotent omnia speciatim, & calculo rerum domesticarum specificationem adjungant, donec singula restituantur.

CXIII.

Nullos notabiles sumptus in ædificia aut alias extraordinarias causas exponent, sine præscitu Superioris Decanalis & expresso illius consensu, & quod in usus quotidianos oportebit necessariò impendi, curent, ut id debita utilitate & industria fiat.

CXIV.

Conscribent de die in diem secundùm certas Rubricas in Libro sive Manuali ad hoc deputato, tam quæ in frumentis, quàm quæ in pecunia & aliis acceperint, & expenderint, reddantque desuper rationem Superiori districtûs Decanalis saltem semel vel bis in anno quando visitabit. Cui etiam debita & credita Parochiæ aliaque majoris momenti negotia, & acta sua indicabunt, ut ita totius familiæ statum plenè intelligere possit.

CXV.

Pecunias, quæ ad quotidianos usus non fuerint necessariæ, seorsim reponant, promptô paratôque animô consignandi Superioribus suis, quantum ex iis in aliqua particulari necessitate ad bonum hujus Instituti Superioribus necessarium visum fuerit.

CXVI.

Tenentur certo statuto tempore facere relationem Superioribus districtûs Decanalis, non solùm de vita & moribus Clericorum sibi cohabitantium & domesticorum, verùm etiam quo in statu familia tam circa temporalia, quàm spiritualia versetur, & quæ pericula incommodaque emergere posse videantur. Ad Conventum in districtu Decanali habendum annuatim quoque debent comparere, scientiarum exercitationes frequentare, aliaque media arripere, quæ ad conservationem Institutæ disciplinæ à Superioribus salubriter fuerint ordinata.

CXVII.

Clericos sibi cohabitantes ad nutum Superiorum (postquam à Reverendissimis Dominis Ordinariis id petitum & concessum fuerit) suscipient vel dimittent, prout commune Parochianorum, vel Clericalis hujus Instituti, aut particulare ipsorumet Clericorum bonum requisiverit. Qui verò Canonicè investiti Parochi vel beneficiati fuerint, non nisi ex rationabili & gravi causa à Reverendissimis Dominis Ordinariis cognita & approbata (servata sacrorum Canonum & sacri Concilii Tridentini dispositione) mutabuntur. Ad vacantia beneficia non pro arbitratu suo aspirabunt, sed exspectabunt, donec à Superioribus Instituti Ordinariis ad ea assequenda commendentur.

De Oeconomo Parochiali.

CXVIII.

OEconomus cujusque loci particularis ordinariè ipse Parochus erit, aut qui in illo loco primas tenet; quod si tamen Parochus in Spiritualibus magis, quàm temporalibus præstaret, vel pietatis studio absorptus, hæc infima despectare videretur, ad illius instantiam Oeconomiæ administratio in alium aptiorem transferri poterit; ita tamen ut Parochus Superior semper existat, ab ejusque directione illi Oeconomus dependere debeat.

CXIX.

In casu quo ipse Parochus Oeconomiam administrabit, inferiorem quandam dispensationem Clerico cuidam cohabitanti ad hoc apto dabit. Verbi gratia curam vestiarii, cellæ vinariæ, expensas quotidianas minutiores in culinam, accepta in stola minori, de quibus omnibus singulis mensibus rationem reddere teneatur.

Observanda quædam ab illis, qui Parocho aut Beneficiato principali cohabitant.

CXX.

RErum temporalium administrationi præter, vel contra officium suum nemo se immisceat, nec earum dispositionem ambiat: liceat tamen cuique prædictarum rerum dispensatorem fraternè per modum consilii de aliquo notabili emolumento vel detrimento Oeconomiæ admonere; res necessariæ quoad vestimenta & alia utensilia ab Oeconomo singulis procurentur.

CXXI.

Quemadmodum Parochi, aliique Principales Beneficiati, ita & Capellani, & quicunque Beneficiati, aut Clerici cum aliis cohabitantes, singuli suos re-

reditus vel certum suum salarium habeant, de quo in usus huic Instituto convenientes congruo modo disponere possint; cum quilibet respectum & obligationem suam non habeat ad personam particularem hanc vel illam, sed quivis ex ipsis toti Instituto quoad se, & reditus suos, ac vicissim totum Institutum cuilibet membro obligatum intelligatur. Cæterùm hæc ordinatio, quod Clerici certum salarium habere debeant, de iis tantùm intelligitur, qui finitis studiis, aut præstito Juramento, certum officium habent. Clerici verò primæ, & secundæ Classis, cum ante præstitum Juramentum nondum ad communitatem bonorum obligentur, si quod beneficium habeant, ad aliud non obligantur, quàm ut sumptus pro suis personis factos ex beneficii redditibus solvant.

CXXII.

Unde is qui præest in quavis domo particulari, debet id, quod cohabitantibus Clericis ex Salariis ac redditibus ultra victum, vestitum, & alias expensas per annum superest, Superioribus consignare, ut pro ipsismet Clericis servato ordine & distinctione asservetur, donec ipsimet pro Oeconomia inchoanda, vel pro subsidio pauperum parentum suorum, aliis congruis, aut necessariis expensis faciendis indigeant, aut Instituto voluntariè in vita consignent.

CXXIII.

Cuilibet Beneficiato aut Clerico aliquid pecuniæ ab Oeconomo ad obvios & quotidianos necessarios usus ita dandum est, ut postquàm expenderint, tantundem ab Oeconomo denuò accipiant; accepta verò ratiociniis debito modo, & ordine inscribantur, prout alia omnia quæ sub manibus suis concredita habuerunt certo statuto tempore in manuale Oeconomi referenda sunt.

De Directione in districtu Decanali servanda.

CXXIV.

UT directio Parochiarum, allorumque locorum particularium fructuosè subsistat, sequitur secunda Superiortas, ad quam pro quolibet Decanali districtu locorum Decani rurales si ex hoc Instituto fuerint, aut alii habiles ex eodem districtu assumentur, qui per Juramentum Reverendissimo Domino Ordinario suæ Diœcesis, uti etiam huic Instituto (quatenus de fidelitate eorumdem quoad publicam Ordinario, & quoad privatam sive Oeconomicam directionem Instituto sufficienter provideatur) sese obligabunt juxta formulas infrà num. 142. & 143. expressas, solis personalibus mutatis.

CXXV.

Dicti Superiores districtuum Decanalium, si simul publico officio Decani fungantur, præter consuetam publicam functionem, qua omnes totius Decanatus Parochos, & alios Presbyteros in foro externo dirigunt; insuper non solùm quos secum in Domo Decanali habuerint, sed etiam omnes illius districtus Parochos & Clericos (qui ex Instituto sunt) secundùm illius constitutiones gubernabunt, quorum directioni omnes tam in spiritualibus, quàm temporalibus filialiter subjacebunt: ipsi verò eadem, quæ à Parochis observanda sunt imprimis observabunt, ut cæteri illorum exemplum respicientes captivati ad imitationem faciliùs trahantur.

CXXVI.

In quem finem memores esse debent quantoperè referat, ut suos domi, & omnes sui Districtûs Sacerdotes & Clericos non secus dirigant, ac si omnes ipsis cohabitatione existerent præsentes; hinc in domo sua vigilanter curabunt omnium Constitutionum exactum servari ordinem, libenter quoque videant, si Sacerdotes sui districtûs frequenter in Domo Decanali suum regressum quærant, invigilentque ut omnem charitatem sentiant, & mutuam animorũ unitatem inibi quasi propriam suam habere residentiam experiantur: Ex quo Capite mirè ad obsequium imitationis, mutui amoris, & obedientiæ trahentur.

CXXVII.

In gerendis rebus ad Directionem suam pertinentibus quorundam Sacerdotum secum habitantium, uti & in suo districtu existentium Consilium adhibeant, eorum maximè qui Judicio Præsidis Diœcesani prudentiâ, & agendi dexteritate præ reliquis pollere judicabuntur: in domo sua Seniorem Sacerdotem constituent, cui in sua absentia directionem domûs committant, cum Instructione debita, secundùm quam sciat se gerere.

CXXVIII.

Ordinariè bis in anno singula sui Districtûs loca, unà cum Socio Oeconomo visitando diligenter inspiciant, non so-

solùm transeundo, sed cum Clericis singuiorum locorum sine suæ personæ acceptatione per aliquot dies in quotidiani cursûs & exercitiorum observatione convivant, non secus ac si domi degerent, ut hac ratione cæteri excitati, ejus quæ in disciplina & quotidianis exercitiis jugiter adhiberi debent, sedulitatis exemplum concipiant: Videant quoque num omnia tam in spiritualibus, quàm temporalibus juxta normam hujus Instituti observentur; & quæ ex mutuis Parochorum aliorumque cohabitantium relationibus minùs accuratè observari deprehenderint, verbo, & opere ad debitam observationem reducere conentur.

CXXIX.

Gravamina & difficultates singulorum audient, & pro possibilitate subievabunt: quorum dilatio fieri non potest, & majoris momenti sunt, Superioribus statim intimabunt, eorumque dispositionem quam cum necessario præscitu & consensu Reverendissimi Domini Ordinarii fecerint, vel fieri procuraverint, studiosè exequantur: quæ verò moram patiuntur diligenter annotabunt, ut Præsidi Diœcesano desuper suo tempore ordinatè referre possint; notificent item uniuscujusque genium, quatenùs ad meliorem gubernationem & salutem requiri videtur: Præmoneantque maturè de necessariis mutationibus & morbis Parochorum, ut Superiores maturè singulis providere, & necessarias dispositiones facere, aut ab illis quorum interest, ut fiant, curare valeant.

CXXX.

Si officio publico Decani simul funguntur, considerantes duplicem obedientiæ ordinem, in iis quæ Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum sunt, eorum Officialibus, in iis verò quæ Institutum specialiter concernunt, Superioribus illius fideliter morem gerant, ad quod eò magis obligabuntur, si in his quoque mandatum speciale eorundem Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum accedat, juxta quæ in visitationibus statutis ea quæ Ordinariorum sunt, ad normam publici juris instituant, repertos defectus corrigendo; quæ verò ad hoc institutum specialiter spectant, secundùm normam Constitutionum dirigant, graviora utriusque fori sic notent, ut Reverendissimo Domino Ordinario & Præsidi Diœcesano Instituti debitè referre possint.

CXXXI.

Singulo trimestri, sive quibusvis anni quartalibus ordinariè Præsidi Diœcesano integram relationem facient de statu, in quo unusquisque locus & personæ instituti versetur, tam circa spiritualia, quàm temporalia; idem facient extra hoc præscriptum, si urgens necessitas id postulaverit. Ipsi quoque in directione sua quoad res instituti regi se permittant à Præside Diœcesano, quod à potiori etiam de aliis Superioribus intelligendum est, nihilque majoris momenti sine eorum præscitu & voluntate aggrediantur.

CXXXII.

Ad Conventum Diœcesanum comparere tenentur, quoties Superiores Instituti eos ad hunc conscripserint; Singulis annis duos in districtu suo Conventus instituant; ad unum horum Parochi, ad alterum Capellani & Beneficiati conveniant, ut singuli referant quæ ad observationem accuratiorem præscriptæ disciplinæ, & ad meliorem hujus Instituti progressum, in singulis locis circa personas, spiritualia & temporalia relatu necessaria fuerint.

CXXXIII.

Tam domus illius, in qua habitat, quàm Parochiarum pecuniæ, quæ ad communes pios usus consignantur, vel etiam pro personis particularibus solummodò asservantur in arcam ad hoc destinatam, cujus clavem unam ipse, alteram Senior Sacerdos, & tertiam Oeconomus diversam custodiat. In eadem liber asservabitur, in quo scribatur summa pecuniæ, tam quæ infertur, quàm quæ effertur pro necessitatibus in districtu illo evenire solitis.

CXXXIV.

In Archivio suo diligenter asservabunt Instrumenta originalia, non solùm proventuum illius loci cui particulariter præsunt, verùm etiam singularem Parochiarum transumpta manu notarii publici subscripta suis locis reponant, ut facilè inveniri possint; similiter servent distinctam & ordinatam registraturam circa acta sui Officii publici (si id simul gesserint) ab ea, in quam acta Instituti oportebit referri.

CXXXV.

Post singula sexennia in locis, ubi Decanorum mutatio solita est, in Conventu Decanali Superiores pro tali districtu constituti mutentur; in aliis locis

eis ubi hoc munere perpetuo fungi solent, elapsis dictis annis quoties rationabiliter visum fuerit, confirmar poterunt. Constituentur verò à Præside Diœcesano, ubi correspondentiâ non est quoad Domum juventutis, & Emeritorum in una Archidiœcesi; ubi verò ejusmodi correspondentia est, Præses Archidiœcesanus eosdem servato ordine, & modo debito constituet: qui deinde acceptati à Reverendissimis Dominis Ordinariis suis, eisdem juxta formulam superiùs citatam per Juramentum se obligabunt. In casu quo Decanus perpetuus ob negligentiam, vel aliud Instituto intolerabile delictum mutandus foret, interim tamen ut ab officio publico deponatur commodè obtineri non possit, Superiores privatam directionem statutæ disciplinæ hujus Instituti in quemcunque habiliorem Parochum, vel beneficiatum illius districtus transferent.

De Oeconomo Decanali.

CXXXVI.

OMnes Parochiarum aliorumque locorum Oeconomi ab uno Decanali Oeconomo, qui in hujusmodi rerum administratione prudentiam, sedulitatem, & dexteritatem habere noscatur, dirigentur; qui vigilantem oculum habebit, ut non tantùm in Domo Superioris Decanalis, sed ut ubivis omnia rectè ordinentur.

CXXXVII.

Ad eum finem sæpius in anno, prout præsens necessitas, & utilitas requirit, ad singula loca veniet, ad cognoscendum cujusque Oeconomiæ statum, & ad defectus si qui occurrant maturè emendandos; In defectum Oeconomi, ipse hujus districtus Superior id præstabit per se, quod per Oeconomum ab eo dependentem præstari debuisset, donec rebus meliùs ordinatis, alia persona pro hoc officio ipsi adjungi possit.

CXXXVIII.

Judicio Præsidis Diœcesani unus ex Domo Decanali magis idoneus ad Oeconomiæ inferioris curam constituatur, qui quotidianas expensas, & accepta in codice, sive manuali conscribat, reddatque singulis mensibus accepti & expensi rationem ut deinde ea summatim in librum rationum domûs Decanalis secundùm certas Rubricas referatur.

De Præsidis Diœcesani directione.

CXXXIX.

IN unaquaque Diœcesi ubi receptum fuerit Institutum Præses Diœcesanus erit, qui debitæ disciplinæ & Constitutionum observantiæ inter Clericos districtuum Decanalium curam & directionem habebit; Sique Reverendissimus Dominus Ordinarius eundem Vicarii in spiritualibus Generalis munere fungi vellet, ad ejusdem beneplacitum utrique muneri cum debita obedientia satisfaciet, ne minimum omittendo aut faciendo, quod Ordinario ullo modo, sive quoad respectum, sive quoad aliud præjudicare jure videri posset; sed potiùs in omnibus ab eodem ita dependebit, eâque vigilantiâ officio suo satisfacere studebit, ut debitus respectus, Jura, & simul etiam perfectior obedientia, illeque exoptatus odor bona scilicet conversatio à Clero ad obsequium ejusdem Ordinarii fideliter deferantur.

CXL.

Quòd si non sit simul Vicarius Generalis Ordinarii sui, tunc ad Oeconomicam directionem, & Instituti hujus disciplinam tantummodò invigilabit publica ne in minimo attingendo; aliàs si Vicarius Generalis simul sit, debitam distinctionem utriusque fori, tam fraternæ correctionis, & Oeconomicæ directionis, quàm publici officii observabit, tam in ordinationibus faciendis, quàm in relationibus, & visitationibus utrumque seorsim notando, & referendo.

CXLI.

Præsidis Diœcesani officium erit totius sui districtus Clericos eâ vigilantiâ paternè ita dirigere, ut piè in hoc seculo conversantes, omnibus visceribus in salutem Populi diffundantur, quibus ipse in omnibus prælucere enixè studebit, ita ut inter suos in obedientia, humilitate, patientia, sobrietate, castitate, mansuetudine, modestia, gravitate, affabilitate, amore, & contemptu rerum temporalium quasi vivum omnium virtutum exemplum emineat.

CXLII.

Ut fidelitas ejusdem, uti & obedientia ac in officio sedulitas, tam erga Ordinarium, quàm respectu hujus Instituti magis constet, præstabit juramentum juxta formulam sequentem.

Formula Juramenti pro Præside Diœcesano, quo se Ordinario suo obligare tenetur.

EGO N. N. pro hac Diœcesi N. assumptus Præses DEO, & Tibi Reverendissimo Domino Ordinario meo, tuisque Canonicè intrantibus Successoribus spondeo, & juro me sub Jurisdictione tua ordinaria, seclusa omni exemptione in vita Clericali juxta Constitutiones Clericorum Secularium in commune viventium à Sancta Sede Apostolica approbatas semper victurum & moriturum, insuperque Clericos sic curæ meæ commissos & committendos juxta easdem Constitutiones fideliter directurum, & cooperaturum, ut hæc vita Clericalis ex primario suo fine animarum curam per Ordinarias functiones Parochiales intendens constanter perseveret. Die N. Mensis N. Anno N. sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

CXLIII.

Formula Juramenti quo idem se Instituto obligare tenetur.

EGO N. N. Instituti Clericorum Secularium in Commune viventium Sacerdos per Diœcesim N. constitutus Præses DEO, & Tibi N. N. supremo hujus Instituti Præsidi, tuisque Canonicè intrantibusSuccessoribus spondeo, & juro me in hoc Instituto, salva Reverendissimi Domini Ordinarii mei Jurisdictione, semper victurum & moriturum &c. ut suprà.

CXLIV.

Juxta prædictas Juramentorum formulas, mutatis mutandis, alii certorum districtuum Superiores Juramentum suum Reverendissimis Dominis suis Ordinariis, & Instituto præstabunt.

CXLV.

Ut verò dictus Præses Instituti hujus Clericos & Sacerdotes quoad privatam & Oeconomicam directionem ad ædificationem Ecclesiæ eò faciliùs in sancta vitæ conversatione gubernet, in cujusvis Diœcesis Episcopali Civitate quosdam viros ex hoc Instituto secum habebit, qui ætate, ingenio, doctrina, discretione, dexteritate, prudentia, & experientia docti excellant, & Præsidi à consiliis in rebus Instituti benè ordinandis existant; quidam verò inter eosdem Juniores erunt, qui ingenio, doctrina, prudentia, & aliis ad idem aliquando præstandum præditi à cæteris addiscant.

CXLVI.

Ad hoc munus ex Decanalibus aliisque locis ad nutum Ordinarii assumantur viri, quorum prædictæ qualitates à juventute, & longâ experientiâ ex administratione officiorum, & datis consiliis deprehensæ sufficienter Superioribus constiterint, ut ita Præses cum eisdem, & toto Clero sub Ordinario capite suo in vitæ sanctitate, & Clericali disciplina per debitam subordinationem omni tempore contineantur.

CXLVII.

Ex prædictis Viris unus erit Oeconomus curam habens rerum temporalium hujus Instituti in tota Diœcesi, & alius Vir insignis in spiritualibus qui Præsidi Diœcesano in omni data occasione specialiter ad manum erunt.

CXLVIII.

Porro in obtinendis Parochiis aut aliis quibuscunque beneficiis, ad quas vel quæ præsentationes ab Ordinariis aliisque Ecclesiasticis, vel secularibus potestatibus tanquam patronis suppliciter impetrare oportet, communem stylum observantes, humillimisque precibus omni tempore ea pro subjectis idoneis petere, itaque dicta subjecta ad ejusmodi beneficia commendare studeant, ut quoad hæc, & omnia alia tam in obtinendis, quàm resignandis beneficiis respectu Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum, & aliorum Patronorum ordo debitus, & usitatus cujusque curiæ Episcopalis stylus accuratè observetur.

CXLIX.

Ad Reverendissimi Domini Ordinarii sui beneplacitum singulis annis propriâ personâ totius sui districtus domos, in quibus Sacerdotes hujus vitæ habitant, visitabit, & ubique 2. 3. 4. vel plures dies prout præsens necessitas, & utilitas postularit persistens singulorum locorum, dein ipsorummet Sacerdotum gravamina & necessitates tam spirituales, quàm temporales paterno amore audiat, omnibusque secundùm rationabilem utilitatem corporis & animæ gratificare studeat: Errantes paternè corrigat, & ad meliorem frugem per media salutaria reducere satagat, desolatos & pusillanimes consoletur, & mutationem eorum ordinet, ac per eum

eum ad quem pertinet, expediendum curet, quorum saluti corporis, & animæ rationabiliter expedire judicaverit.

CL.

In spiritualibus attendat, quomodò singuli in vita spirituali subsistant, an non periculum ad lapsum aliquem immineat; an & qualiter in pace inter se vivant; an cum debita charitate à suis Superioribus immediatis dirigantur, & quomodò disciplina Instituti tam in spiritualibus, quam temporalibus observetur; quæ omnia ex informatione mutua superiorum, & Inferiorum, & ex particulari cum quovis colloquio scire poterit; corrigenda suavi consilio, & efficaci admonitione corrigat, & quæ notanda fuerint diligenter consignet.

CLI.

De visitatione annua sua debitam relationem Reverendissimo D. suo Ordinario faciet, ut cum ejusdem consensu aut positiva approbatione omnia in praxin dirigantur: quod si item ex visitatione habita referenda fuerint, quæ ad publicum forum non spectant, eidem Reverendissimo D. Ordinario sic referantur pro necessariis mutationibus & ordinationibus faciendis, ut nihilominùs ea, quæ secreta sunt, & salva Charitatis, & Justitiæ lege propalari non possunt, & pro præsentibus circumstantiis ad solam fraternam directionem spectant, in secreto permaneant.

CLII.

Ad domum Præsidis Diœcesani vel ad alium commodiorem locum, singulis annis cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii Superiores Decanales, eorumque Oeconomi indicto per Præsidem Diœcesanum certo die, post habitos particulares Decanalium districtuum Conventus congregabuntur; eritque Conventus Diœcesanus, sive Congregatio in eum finem ordinata, ut videlicet omnia gravamina, necessitates & omnia alia sive in spiritualibus, sive in temporalibus legitimè proferantur, & quæ ad majorem DEI gloriam, proximorum salutem, & imprimis ad hujus Clericalis Instituti conservationem, incrementum, & perfectionem; deinde etiam quæ mores, ritus, & debitam in his uniformitatem, omnia denique quæ ad bonum spirituale & temporale spectant. Auditis consiliis singulorum, prævia matura consideratione, Præses Diœcesanus desuper conclusa in Domino faciat. Decanalium districtuum Superiores, & alii singula conclusa, postquàm à Reverendissimo D. Ordinario fuerint concessa & confirmata, domum revertentes omnia executioni demandent, tam in domo sua, quàm aliis in locis, quorum directio ipsis est demandata.

CLIII.

Præses Diœcesanus eligendus fit in Conventu Diœcesano post singulos octo annos, & in casu mortis, & extraordinariæ mutationis per assistentem prioris Præsidis in Spiritualibus, ac Superiores Decanales (& per Præsidem Archidiœcesanum pro eo casu, quo inter Diœcesim & Archidiœcesim adsit communicatio respectu domûs Emeritorum, & bonorum communium) si verò Ordinario placuerit, unum ex Instituto suum habere Vicarium Generalem, qui simul sit Præses, tunc tres præ omnibus digniores judicati eidem per prædictos nominentur, & illius sit arbitrium eligendi unum, ex tribus magis idoneum. Eorum sit confirmatio Præsidis pluries facienda si libuerit, quorum electio fuit.

CLIV.

Casu quo extraordinaria mutatio Præsidis Diœcesani necessaria videretur, Præses supremus per certam personam, vel per litteras rationes hujus mutationis faciendæ Reverendissimo Domino Ordinario exponet humillimis cum precibus, ut in ejusmodi mutationem consentire dignetur; si verò Reverendissimus Dominus Ordinarius ipsemet mutationem Præsidis ob ejus negligentiam, vel ex alia causa fieri vellet, ut disciplina, & alia vi præsentis Instituti observanda eò meliùs in effectum deducantur, electio novi Præsidis eodem supradicto modo fiet. Si Præses Diœcesanus officio etiam Vicarii Generalis fungatur, & negligenter se gerat in concernentibus Institutum, vel ex alio capite, sit in facultate Superiorum Instituti, liberè alium eidem substituere, atque eligere.

CLV.

In præmissis casibus constitutus Præses, ubi à Reverendissimo D. Ordinario acceptatus fuerit, Juramentum ut suprà præstabit; quod etiam tum fiet, cum in Diœcesim quandam de novo Institutum introducendum, & talis Præses Diœcesanus à supremo Præside deputatus fuerit.

CLVI.

Pro debita observantia Communitatis bonorum in singulis Diœcesibus capsa sive arca quædam pro bonis communibus illius districtus constituatur, in quam certis temporibus ex Decanalibus capsis, quod pro eorundem districtuum necessitate & usu, moraliter judicio Superiorum non necessarium videbitur, deponi oportet; uti etiam quod aliunde in bonum illius Diœcesis pro præsenti Instituto quocumque modo adveniet. Hujus capsæ clavem unam Præses Diœcesanus, alteram ejus Oeconomus, tertiam Superior particularis illius domus, in qua capsa est, habebit.

De Oeconomo Diœcesano.

CLVII.

UT administratio rerum temporalium, quam quilibet Superior districtûs Decanalis cum suo Oeconomo habet, suum finem debitè obtineat, in quavis Diœcesi Oeconomus erit, qui rerum temporalium Instituti in eadem Diœcesi curam habeat, Præsidi cohabitet, eidemque in munere suo sit subjectûs, & cum eodem sub visitatione Oeconomias ex informatione mutua cognoscat; an omnia secundùm Instituti hujus disciplinam instituantur, & secundùm necessitatem cum debita utilitate in victu, & amictu, aliisque rebus impendantur. Ratiocinia etiam tam in ædibus Superioris Decanalis, quàm in aliis quibuscunque locis, unà cum cujusque districtûs Decanalis Oeconomo recipiet, observanda præscribet, & emendanda corriget.

De Præsidis Archidiœcesani Directione.

CLVIII.

OFficium Præsidis Archidiœcesani pro tota quadam Archidiœcesi, in qua plures Diœceses uni Archiepiscopo subsunt, ordinatur. Quod si Diœcesis quædam valde ampla cum aliis quoad Domum Emeritorum connexionem non haberet, vel ex quocunque alio capite directio hujus Diœcesis à quodam Præside Archidiœcesano fieri non posset, eo casu totum quod à Præside Archidiœcesano præstandum foret, fieri debebit per Præsidem dictæ Diœcesis.

CLIX.

Præsidi igitur Archidiœcesano in suo districtu Præsides Diœcesani, & alii Clerici hujus Instituti quoad Oeconomicam directionem statutæ disciplinæ, & observantiam Constitutionum subjecti erunt, tam quoad spiritualia, quàm temporalia in omni humilitate & reverentia, promptaque obediendi voluntate, ejusque jussa libenti animo exequentur. Ipse verò Præses suis in omni virtutum genere præluceat, omniaque in pondere prudentiæ, in mensura consilii, & modo dexteritatis ac discretionis aggrediatur, ut ea ratione omnes ad sui amorem trahere, & sine ullo Superioris, ac publicæ potestatis præjudicio & offensione hoc Institutum optimè in Domino gubernare valeat.

CLX.

Prædictus Præses debitâ obedientiâ, timore ac reverentia, Reverendissimis DD. Ordinariis humillimè subjacebit, negotia externa, Ecclesias, & quæ in aliis quibuscunque Jurisdictioni Ordinariæ subjiciuntur, ne quidem in minimo attingere præsumat: atque ut de subjectione ejusdem omni tempore sufficienter constet, Reverendissimo Domino Archiepiscopo suo per Juramentum se obligabit eâ formulâ quæ habetur supra num. 142. de Præside Diœcesano, solis personalibus mutatis, quod idem etiam intelligitur de Juramento quo se huic Clericali Instituto obligare tenetur juxta formulam nû. 143.

CLXI.

Ad eundem spectabit susceptio tam Juventutis in Seminariis huic Instituto propriis, vel saltem notitia personarum suscipiendarum in Seminariis Episcopalibus directioni hujus Instituti commissis, priusquam tales Juvenes Reverendissimis DD. Ordinariis pro actuali susceptione commendentur; suscipiet quoque qui jam Sacerdotes, aut finitis studiis ad hoc Clericale Institutum suscipi voluerint; & universim totius sui districtus directio in spiritualibus quoad disciplinam hujus Instituti à dicto Superiore fier, ad quem propterea graviora referenda erunt.

CLXII.

Eidem Præsidi à consiliis in eadem domo cum ipso, & in vicinia habitantes erunt quidam Viri prudentes & docti, quorum operâ, consilio, & matura circumspectione in officio suo adjuvetur; prædicti Viri ad beneplacitum Reverendissimi Domini Archiepiscopi eidem simul à consiliis esse, & simul pro ratione circumstantiarum alia beneficia curata vel non curata in eodem loco consequi

vel

vel habere poterunt. De habitatione ejusdem Præsidis in Domo Emeritorum habetur parte 3. num. 17. & 18.

CLXIII.

Officium hujus Præsidis erit potiore tempore cum suo Oeconomo districtum suum visitare, & ubique ea quæ præsens Institutum concernunt, sive spiritualia sive temporalia negotia sint, paternè ex omni parte instituere, ita ut ex hac ipsius visitatione superiores, & inferiores ejusdem directioni subjecti dirigantur. Ad eundem spectabit per Oeconomum suum ordinare quomodò per media communitatis in singulis necessitatibus succurri possit, ac debeat; & universim commune bonum hujus Instituti in fines suos secundùm Deum diriget, cum Præside Diœcesano conferet, dando principia in praxi observanda, ordinando qualiter Sacerdotes recenter ordinati, vel alii qui beneficium stabile necdum obtinent, applicari debeant, ut ipse Præses Diœcesanus postea eosdem Reverendissimo Domino Ordinario commendet, & promotionem in singulis casibus humillimis precibus impetret.

CLXIV.

In visitatione sua idem Præses perpetuò hoc observabit, ut ante omnia ingrediens Diœcesim illius districtus Archiepiscopalis, Reverendissimum D. Ordinarium illius loci adeat, & cum omnimoda submissione facultatem ac benedictionem Clericos hujus Instituti in eadem Diœcesi habitantes in iis, quæ ad Oeconomicam hujus Instituti directionem spectant visitandi humillimis precibus petat, ejusque imperio in omnibus obediat, & tunc demum visitationem suam in Domino salubriter perficiat, eâque finitâ debitam relationem desuper Reverendissimo Domino Ordinario faciat. Quod idem respectu Reverendissimi Domini Archiepiscopi sui observabit, humillimè veram & sinceram relationem de omnium hujus Instituti Clericorum vitâ faciendo, ac mandatis superioris potestatis in omnibus obtemperando.

CLXV.

Domus Superiorum sui districtûs diligenter visitabit, atque ex mutua relatione prudenter explorabit, in quo statu singula locâ Instituti versentur; in visitatione sua Oeconomos pro rei exigentia mutabit, aut prout visum fuerit confirmabit; Præsidi quoque supremo hujus Instituti sinceram de statu, in quo Clerici hujus Instituti in suo districtu pro tempore fuerint, relationem in scripto, vel si fieri possit in persona propria faciet, simulque etiam generalem notitiam eidem de statu temporalium rerum hujus Instituti exhibebit, cui etiam sine ullo Jurisdictionis publicæ præjudicio in omnibus obediet, & in rebus majoris momenti ad illius consilia, & voluntatem recurret, in quacunque parte mundi existat.

CLXVI.

Præterea specialem curam domuum Juventutis instituendæ, & Emeritorum gerens, singulis annis bis visitabit, diligenterque earum constitutionem domesticam tam in spiritualibus quàm temporalibus inspiciens, cuncta semper ad Instituto conformem statum reducere, & conservare studebit. Dictis domibus superiores magistrosque alios tam studiorum, quàm virtutum præficiet, & suo tempore pro utilitate, & necessitate mutabit; in Seminariis verò Ordinariorum, & aliorum Patronorum prædictos superiores Reverendissimis DD. Ordinariis commendabit, & nominabit, ut ab ipsis acceptentur.

CLXVII.

Mediorum præterea temporalium dictarum domorum dispensatio, ac cura penes ipsum stabit; quæ omnia & singula mediante Oeconomo sibi adjuncto, ad illarum emolumenta impendantur. Porro singula Seminaria, quæ à Sacerdotibus hujus Instituti diriguntur, particulares capsas habeant, super quorum bonis specialia quoque fiant ratiocinia. Idem observandum circa domus Emeritorum. Porro tam Seminariorum, quàm domorum Emeritorum ratiocinia statutis temporibus à Superioribus diligenter revideantur, si qui defectus inveniantur, corrigantur.

CLXVIII.

Cum præscitu, & consensu superioris potestatis singulis trienniis Conventus pro districtu Archidiœcesano in Civitate Archiepiscopali, vel in domo Emeritorum instituetur, ad quem omnes Præsides Diœcesani in quadam Archidiœcesi correspondentes cum consensu Reverendissimorum DD. Ordinariorum suorum comparebunt unà cum Oeconomis suis, cui Præses illius districtus Archidiœcesani præerit, ibique primò omnia quæ ex relatione Conventuum præcedentium Diœcesanorum, & Decanalium, aut ex alio capite prolata, disciplinam & bonum hujus Instituti con-

cernunt, auditis priùs consiliis ac considerationibus singulorum, à dicto Superiore facienda, vel omittenda decernantur.

CLXIX.

In his Conventibus non attingentur, quæ Jurisdictionem cujuscunque Ordinarii concernunt; omnia denique quæ in Conventibus ordinata fuerint, prothocollo diligenter & ordinatè inferantur, ut posteris & Reverendissimis DD. Ordinariis semper de omnibus ratio reddi valeat; fiet id per certas personas, quæ tam hæc, quàm alia posteris pro notitia necessaria annotabunt. Post Conventum autem Archidiœcesanum celebratum Præses Reverendissimo D. Ordinario suo desuper debitam relationem faciet.

CLXX.

Post novem annos in Conventu illius districtus officium suum ad munus Præsidis supremi resignando mutabitur, & duo Deputati, vel ipsimet Visitatores Præsidis supremi constituentur, qui vota Præsidum Diœcesanorum, & aliorum suscipientes Præsidi supremo transcribent, à qua notitia talentorum, quam ex factis sibi de singulis relationibus habere debet, ad votorum rationem simul attendendo, ex Viris sibi propositis præstantiorem pro Præside illius Archidiœcesani districtus denominabit; qui postmodum Reverendissimo D. Archipræsuli suo per Juramentum supradicto modo, uti & Instituto se obstringet: quod si verò dictus Præses Archiepiscopo non placeat, tunc supremus Præses sine nova Congregatione aliam personam eidem nominabit.

CLXXI.

In illis locis ubi plures Diœceses unius Archiepiscopatus inter se connexionem habent, ac communem utilitatem domûs Emeritorum, constituenda est capsa Archidiœcesana, ad quam tam Clericorum hujus Instituti non necessaria ex capsis Diœcesanis, quàm media aliundè advenientia deponi debent, ut pro utilitate ac necessitate totius illius districtus Archidiœcesani expendantur, & applicentur. Clavem pro eadem habebit Præses Archidiœcesanus, alteram ejus Oeconomus, tertiam Superior particularis illius domus, in qua capsa erit.

De Oeconomo Archidiœcesano.

CLXXII.

Officium hujus Oeconomi erit, Præsidi illius districtus in Visitatione adesse, & curam rerum temporalium hujus Instituti ubivis suscipere, in omni loco necessitates, & omnia alia incommoda, quæ vel personæ particulares, aut integræ familiæ patiuntur charitativè audire, & in Domino juxta directionem sui Præsidis remedium adhibere, ac præsertim ratiocinia generalia super bonis communibus Instituti per illum districtum conficere. Hujus Oeconomi ordinationibus omnes alii Oeconomi inferiores acquiescent, ita ut quidquid rationabiliter ordinaverit, observent. Ad hæc munus Viri in omni genere præstantes requiruntur, qui & ipsi obedientes sint, & in rebus alicujus momenti aliorum prudenti consilio utantur, atque ubi rei gravitas requirere videbitur, ab ipsomet Præside Archidiœcesano ordinationem petant, è cujus directione perfectissimè in officio suo dependebunt.

De Præsidis Supremi Directione.

CLXXIII.

Hujus Instituti caput sub nomine Præsidis supremi vel Generalis constanter unum erit; hic Præses totum Institutum tam in spiritualibus, quàm temporalibus in quamcunque mundi partem diffusum fuerit, aut diffundetur, secundùm Deum sine ullo Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum præjudicio, directione solummodò privata & Oeconomica secundùm Constitutiones hujus Instituti à S. Sede Apostolica approbatas gubernabit.

CLXXIV.

Quidquid ergo bonum, vel conservationem præsentis Instituti concernens tanti momenti fuerit, ut id Superiores eidem subordinari juxta ea, quæ in præcedentibus traduntur, neque per se, neque per Congregationum seu Conventuum consultationes ob causæ gravitatem decidere prudenter non potuerint, illud à Præside supremo decernetur; & hac ratione omnes hujus Instituti superiores, & inferiores in suo ordine supremo Præsidi prædicto modo obedient.

CLXXV.

CLXXV.

Ipse Præses supremus Summo Pontifici, & Sanctæ Sedi Apostolicæ in omnibus quæ præsens Institutum attinent specialiter obediet, ea prorsus ratione qua Præsides particulares Reverendissimis suis DD. Ordinariis obedire tenentur. Idem Præses suo & Instituti nominé per Juramentum & Summo Pontifici & S. Sedi Apostolicæ post sui electionem se obligabit, prout etiam fidelitatem suam erga hoc Institutum per speciale Juramentum prout sequitur promittet.

CLXXVI.

Formula Juramenti pro Præside supremo.

EGO N. N. Instituti Clericorum Secularium in Commune viventium Sacerdos, & ab ejusdem Instituti Præsidibus Canonicè electus Præses Generalis Tibi Sanctissimo Domino Nostro N. N. Tuisque canonicè intrantibus Successoribus, ac S. Sedi Apostoliæ spondeo, & juro me sub obedientia Sanctitatis Tuæ & Successorum tuorum in vita Clericali juxta Constitutiones Clericorum Secularium in Commune viventium ab eadem S. Sede Apostolica approbatas semper victurum & moriturum; insuperque Clericos omnes hujus Instituti sic curæ meæ commissos & committendos, sub omnimoda R. R. D. D. Ordinariorum jurisdictione juxta easdem Constitutiones fideliter directurum, ac quantùm in me est ad mandatum Sanctitatis Tuæ in quasvis mundi partes missurum, & cooperaturum, ut hæc vita Clericalis ex primario suo fine animarum curam per ordinarias functiones parochiales cohabitando intendens constanter perseveret. Sub die N. Mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

CLXXVII.

Formula Juramenti pro eodem Præside per quod se toti Instituto obligare tenetur.

EGO N. N. Instituti Clericorum Secularium in Commune viventium Sacerdos, & ab ejusdem Instituti Præsidibus canonicè electus Præses supremus, vobis nomine totius Instituti congregatis spondeo, & juro me in vita Clericali juxta Constitutiones Clericorum Secularium in Commune viventium à S. Sede Apostolica approbatas semper victurum & moriturum, insuperque Clericos omnes hujus Instituti sic curæ meæ commissos, & committendos sub omnimoda Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum authoritate & jurisdictione juxta easdem Constitutiones fideliter directurum & cooperaturum &c. ut supra.

CLXXVIII.

Ad Præsidem supremum spectabit vitam Præsidum in diversis Archidiœcesibus, & Diœcesibus præsertim quoad directionem à Præside Archidiœcesano non dependentibus, per suos Visitatores generales, aut per alium Delegatum inspicere, & ex urgentibus causis, etiam extra tempus ordinarium, eosdem Superiores cum consensu Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum modô supradictô mutare; de incorrigibilibus respectu rerum Instituti eidem Præsidi relatio maturè fiet, ut si ita necesse visum fuerit, tales de mandato, & consensu Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum (servatâ Sacrorum Canonum & Sac. Trident. Concilii dispositione, & attentâ Clericorum hujus Instituti ex pacto mutuo proveniente erga Superiores ejusdem Instituti in similibus casibus obligatione) à beneficiis amoti in domo Emeritorum seorsim vivant, juxta ea quæ habentur parte tertia de Directione Domuum Emeritorum.

CLXXIX.

Quod si in aliqua Diœcesi vel Regione de novo introductio hujus Instituti à Reverendissimo Domino Ordinario desideretur, Præses supremus ordinationem desuper faciet, & personas qualificatas determinabit, quæ illuc mittantur, atque ubique locorum cum consensu Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum præsens Institutum introducere allaborabit. Quoniam verò nemo sibi ipsi sufficiens, præsertim in re tanti momenti, hinc dictus Præses juxta se viros doctos & prudentes ex omnibus orbis partibus habebit, qui eidem in rebus agendis adsint.

CLXXX.

Ex his duo assistentes Præsidis erunt, alter in spiritualibus, alter in temporalibus quoad Oeconomicam directionem totius Instituti; & universim tam hi, quàm alii prædicti apud eundem Præsidem habitabunt, ut ipse singulorum consilio & opera in guberna-

tio-

tione totius Instituti rationabiliter utatur. Duos etiam Generales Visitatores constituet ex iisdem sibi cohabitantibus, qui singulis circiter decenniis omnes domos, in quibus Superiores hujus Instituti, cum iis, qui ipsis à consiliis sunt, habitant, & maximè domos juventutis, ac Emeritorum, eorumque Superiores visitando, diligenti circumspectione statum singulorum quaque uniformitate ubique vivatur, intelligant errata Superioribus locorum corrigenda, & ad uniformitatem reducenda commendabunt; graviora verò annotabunt, domum suo tempore reversi Præsidi supremo sinceram relationem suæ visitationis tradent.

CLXXXI.

Ad quamcunque Diœcesim prædicti Visitatores pervenerint, semper Reverendissimis Dominis Ordinariis se sistent, ac humillimis precibus petant, quatenus sibi liceat in domibus prædictis notitiam de statu rerum hujus Instituti accipere; priusquam etiam ex ejusdem territorio decedant, se Reverendissimo Domino Ordinario denuo sistant, & si quid notabile emendandum occurrerit, eidem humillimè indicabunt, ut si ita placuerit, ipsemet ad ea, quæ hujus Instituti propria sunt, Superiores, aliosque Clericos hujus Instituti urgeat, & adstringat.

CLXXXII.

Conventus generalis cui Præsides cujuscunque districtus Archidiœcesani unà cum suis Oeconomis, quantùm possibile fuerit, interesse debent, uti etiam alii Præsides ab Archidiœcesano independentes, ac præterea ii qui Præsidi supremo à consiliis sunt, ordinariè singulis decem, vel etiam postquam res Instituti bene ordinatæ fuerint, post plurium etiam 20. annorum spatium habebitur, prout necessitas rationabiliter sæpius, vel rariùs instituendum postulaverit. Sententia conclusiva, quæ in Domino omnibus vel majori parti videbitur, penes supremum Præsidem stabit.

CLXXXIII.

Idem Conventus prædictô modô fiet ad mortem supremi Præsidis, vel si ex mandato aut consensu Summi Pontificis, in casu gravis necessitatis Præses ab Officio deponendus foret: ordinatio autem Conventûs in hoc casu præcipuè ad Assistentem ejusdem Præsidis in spiritualibus pertinebit, donec in eodem Conventu alius Præses debitè electus fuerit, & si in alma Urbe Conventus habeatur, à Summo Pontifice confirmatus fuerit, ex quo tempore continuatio, & absolutio hujus Conventus ad ipsummet Præsidem spectabit.

CLXXXIV.

Ad sinceriorem omnium causarum & necessitatum in Conventibus propositionem, relationemque obtinendam, præter Superiores, ex districtibus singulis saltem duo, verbi gratiâ: ex quovis districtu Decanali duo Parochi ad Conventum Diœcesanum; ex Diœcesi duo Decanalium districtuum Superiores ad Conventum alicujus districtus Archidiœcesani; ex districtu Archidiœcesano duo Præsides Diœcesani ad Conventum generalem destinabuntur; qui prudentia & pietate præstantes non solùm actorum, verùm etiam statûs, in quo singula loca subsistant, aut deficiant, uti & conversationis ipsorum Superiorum testes, & arbitri erunt.

CLXXXV.

Cum bona Communitatis juxta superiùs dicta num. 22. ex una in aliam Diœcesim per se transferri non possint, Ideo nulla capsa totius hujus Instituti communis constitui poterit. Unde Præses Generalis non nisi particularem capsam suæ familiæ in domo sua habebit. Casu tamen quo per Patroni alicujus dispositionem toti Instituto aliquid concederetur sine ordine ad certam Diœcesim, vel Archidiœcesim, supremi Præsidis erit cum suo Oeconomo curam hujus habere, & operam dare ut pro Emeritorum domo, Seminario Instituti proprio, pro Missionibus ad loca hæreticorum seu infidelium destinandis, pro aliis communibus Instituti necessitatibus sublevandis, vel aliter ad satisfaciendum Benefactoris aut Patroni intentioni, & voluntati utiliter applicetur.

De Oeconomo supremi Præsidis.

CLXXXVI.

AD Oeconomum supremi Præsidis, qui rerum temporalium hujus Instituti generalem & ultimam dispositionem habet, omnes causæ graviores, circa prædictarum rerum Ordinationes occurrentes, quæ ipsius supremi Præsidis judicio ac decisione discutiendæ, ac determinandæ videntur, ex omnibus locis sive particularibus Diœcesibus deferentur,

tur, cujus ultimæ dispositioni, quæ à supremo Præside semper derivabitur, omnes per obedientiam acquiescent; generalem quoque calculum & notitiam rerum temporalium totius Instituti habebit.

CLXXXVII.

Finaliter hujus Instituti directiva Superioritas ab infimo ejusdem gradu usque ad supremum Præsidem illi Majestativæ Superioritati, quæ in foro Ecclesiastico est, non solùm non præjudicat, sed potiùs subservit, ac famulatur, eidemque subordinata semper obediet; dum ex una parte totum hoc Clericale Institutum cum omnibus suis membris se primò Summo Pontifici Romano, dein secundò Reverendissimis Dominis Ordinariis eadem qua priùs, imò etiam majore subjectione per obedientiam & inviolatum erga Jurisdictionem Ordinariam respectum in foro Ecclesiastico penitus submittit; ex altera parte, tertiò per paternam & oeconomicam hujus Instituti directionem Clerus sæcularis suavi, & charitativâ viâ (cùm Constitutiones per se juxta Sacerdotum Constitutionem 46. sub peccato non obligent) à corruptela vitiorum & perniciosis defectibus Clericorum præsertim Curæ animarum præpositorum magnam partem liberari & in libertatem sanctæ conversationis in hoc sæculo, cooperante divina gratia, redigi poterit; & sic quartò Reverendissimis Dominis Ordinariis tam à superioribus, quàm inferioribus totius hujus Instituti membris debita obedientia, reverentia, & subjectio perfectè præstabitur.

PARS TERTIA.

Constitutiones pro directione Sacerdotum aliorumque Clericorum Senum, & aliàs ad Officia & Beneficia Ecclesiastica ex quocunque defectu inhabilium in domibus Emeritorum.

PRÆNOTATIO.

De fine, utilitate, & necessitate domuum Emeritorum.

Finis quem Clericale hoc Institutum in erectione ejusmodi domuum Emeritorum intendit, earumque multiplex utilitas, quæ ad diversos exinde redundat, uti & necessitas in eo est: Prodest namque imprimis Reverendissimis Dominis Ordinariis ut Clericos suos in praxi eorum, quæ ad curam animarum spectant informandos curare, & faciliùs in Clericali vita & honestate continere, senes quoque & alios ad curam animarum inhabiles (servata Sac. Canonum & Sac. Trident. Concilii dispositione, & attenta ex pacto mutuo inter Clericos hujus Instituti proveniente obligatione) maturè ab eadem removere possint, ne dum nescitur ubi, aut unde necessaria illorum sustentatio procuranda sit, diu non sine magno suo incommodo, majoreque subditorum periculo in ea relinquantur, postquàm per senium vel alium defectum eidem amplius convenienter præesse non possunt. Prodest deinde iisdem Reverendissimis Dominis Ordinariis, vel aliis qui prædictis Clericis cum ad Sacros Ordines promoventur, titulum mensæ tribuerunt, dum occurrente casu, quo illo aliàs uti deberent, communibus Instituti bonis sustentantur, ipsique hoc onere eosdem sustentandi sublevantur. Prodest insuper tam Clericis huic Instituto addictis, quàm fidelibus maximè quorum curæ præfecti sunt; Clericis quidem dum illis in senio, uti & in casu quo in grave peccatum, vel scandalum ex humana fragilitate lapsi forent, commodissima ipsis in se redeundi, pœnitentiam agendi, commissa peccata expiandi, & vitam seriò emendandi occasio præbetur, ne diu cum suo dedecore, totius Cleri opprobrio & magno tum Catholicorum, tum Acatholicorum scandalo in publico circumvagari permittantur. Fidelibus verò dum maturè à scandalis Clericorum liberantur, & loco tædiosorum senum, vel aliàs inhabilium Sacerdotum idoneos animarum curatores nanciscuntur. Prodest denique universali Christi Domini Nostri Ecclesiæ, ad cujus propagationem ex ejusmodi domibus, ubi supernumerarii nonnulli sustentari possunt, Sacerdotes aspirante Divina gra-

tia ad missiones in terras hæreticorum & infidelium non secus ac ex Religiosorum cœtibus viri probi, docti, ac zelosi educi poterunt, quas eò promptiùs suscipient, quò certiùs norunt quòd in senectute, vel alia superveniente inhabilitate post exantlatos in hujusmodi missionibus labores rursùm ad ejusmodi domum recursum habere possint. Nec adeò magna erit in erigendis, & instruendis, fundandisque ejusmodi domibus difficultas, cum in quavis Archidiœcesi, vel saltem ampliore Diœcesi, non nisi una talis domus sit necessaria, ad quam erigendam, & necessariis rebus instruendam, omnes huic Instituto addicti Clerici pro facultatum suarum modo concurrent; itaque bona Ecclesiastica, congruæ sustentationi suæ superflua, quæ aliàs in pios usus expendere deberent, in hunc determinatum, pium, valdeque Clericali vitæ convenientem usum præ cæteris expendent, ac relinquent, idque in ea Proventia ubi fuerunt acquisita. Sperari quoque potest, fore ut Deus aliorum quoque Patronorum animos subinde excitet ad hanc piam, totique Ecclesiæ DEI utilem intentionem in opus redigendum.

Quænam personæ & ob quem finem recipiendi sint ad Emeritorum domos?

I.

UT post exantlatos vitæ activæ labores Sacerdotes senio confecti sine molestia seorsim vitam quietam vivere, & cursum suum, in sanctitate feliciter consummare valeant, in quavis Archidiœcesi, vel etiam ampliore quadam Diœcesi domus aliqua omnibus tam corporalibus, quàm spiritualibus vitæ subsidiis probè instructa erigatur, & fundetur.

II.

Ad hanc domum primò recipiantur Emeriti, sive senes Sacerdotes, qui in illa Archidiœcesi, vel Diœcesi post multas vitæ activæ impensas operas reliquum vitæ tempus in majore tranquillitate, & vitæ contemplativæ exercitationibus transigere constanter desideraverint.

III.

Secundò, si quos corpore vel animo ad obeunda munia Ecclesiastica ob Canonicum aliquod impedimentum ex quocunque casu contractum inhabiles reddi contigerit, recipiantur pariter in domum Emeritorum, ubi ipsis in charitate omnia vitæ necessaria usque ad vitæ finem subministrentur.

IV.

Tertiò, si quis Sacerdotum vilescentibus sibi omnibus, quæ in mundo sunt, vehementiore Spiritûs Sancti impulsu ad vitæ contemplativæ exercitationes quodammodò rapi videatur, Superiores probato illius spiritu cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii permittere illi poterunt, ut in Domo Emeritorum liberè ejusmodi exercitiis vitæ contemplativæ totum se dedere possit.

V.

Quartò, qui foris educati, & adulti hoc Clericale Institutum amplecti voluerint, in eandem domum recipientur, donec eorum vocatione sufficienter explorata juramentum quatuor punctorum substantialium ad manus Superiorum faciant.

VI.

Quintò, supernumerarii Sacerdotes, recenterque ordinati, & exules in hac domo eò usque commorentur, donec pro iis vacans aliquod beneficium, vel alia occasio eos ad Curam animarum applicandi emerserit.

VII.

In hac Domo delinquentes pœnitentiam statutam à Superioribus vel (si delictum sit publicum, aut aliàs ejus qualitas postulare videatur) ab ipsismet Reverendissimis Dominis locorum Ordinariis dictatam juxta eorundem ordinationem agant, donec eorum vulnera spiritualia sanentur: seorsim etiam in eadem Domo Sacerdores incorrigibiles in Custodia perpetua asserventur, donec in pœnitentia vitam suam finiant, vel sinceram ac constantem emendationem per talia signa præseferant, ut sine propinquo relapsûs periculo prudente Superiorum judicio inde dimitti posse videantur.

De ordinatione, & dispositione domuum Emeritorum.

VIII.

ANte omnia circumspicient Superiores hujus Instituti, ut dictæ domus Eme-

Emeritorum in loco tuto, fano, & ab hominibus remoto erigantur; Medicus etiam ibidem resideat, aut saltem io vicinia ad manum commodè haberi possit. Ad formam domorum instituendæ juventutis in tres contignationes distinguantur, in quarum prima defectuosi, in secunda animo corporeque valentes, & denique in tertia pœnitentes & incorrigibiles seorsim accommodentur.

IX.

In Instructione conclavium pro habitatione singulis deputandorum duo extrema diligenter vitanda sont. Prius est, ne quid necessariom in illis desit, posterius oe quid in iisdem sit superfluum. Quæ necessaria sunt, munda sint, & pulchro ordine suis quæque locis disposita, idque quoad fieri potest uniformiter; videlicet mensa, aliquot sedilia, pluteus, atramentarium, & reliqua ad scribendum requisita, scabellum ad meditandum, & alias devotiones flexis genibus exercendas, in cujos medio sit imago Christi Crucifixi, cum alia quadam Beatissimæ Virginis imagine, vasculum pro frigida, mantile, & vasculum pro aqua lustrali.

X.

Porro in unoquoque loco Oratorium domesticum constitui debet, io quo consuetæ preces ordinatè persolvantur, in hoc Oratorio Altare aliquod Beatæ Virginis Mariæ cum Imagine Crucifixi, & aliis ornamentis fiat, quibus mens ad majorem devotionem per Dei gratiam excitari valeat. Subsellia quoque fiant, quibus humana fragilitas inflectendo aut sedendo sufficieoter sublevetur.

XI.

Refectorium mundum sit, & exornetur piis imaginibus inter quas præcipua ultima Cœna Domini existat; sit ibidem Cathedra pro lectione ad mensam; cubicula infirmorum à communi dormitorio separata juxta Oratorium domesticum constituantur, ex quibus infirmi Sacrum, & Confratrum suorum consuetas preces audire possint, in quem finem parietes per ferreos cancellos prospectum aperiant.

XII.

Dormitoria denique ob multas rationabiles causas, & commoditates ubique locorum, quantùm fieri potest, à conclavibus singulorum in quibus de die habitant, separata erunt. In quavis ejusmodi domo sit horologium domesticum cum torricula, & campana supra domum pro sigois ad exercitia spiritualia dandis

De fundatione domuum Emeritorum, deque cura bonorum temporalium ad easdem pertinentium.

XIII.

FUndatio pro Domo Emeritorum in quavis Archidiœcesi vel ampliore diœcesi haberi poterit ex Collatione bonorum juxta Constitutionem 19. Sacerdotum, uti & ope piisque legatis Patronorum. Regulariter observari poterit, ut media pars prædictorum bonorum applicetur ad domos Emeritorum, & altera media pars, ad domos juventutis, ita tamen ut aliis necessariis expensis facieodis pariter satisfiat.

XIV.

Cura bonorum temporalium in prædictis domibus ad Oeconomos spectabit, quorum unus in quavis Archidiœcesi, uti etiam Diœcesi penes Præsidem residebit; Iidem Oeconomi in fundatione ejusmodi domorum providè atteodant, ut bona temporalia debita humana securitate conserventur, & ad usus necessarios expendantur.

XV.

Quoad Legata, aliaque à Patronis oblata eorumdem mens observanda erit; Unde ea quæ præcisè ad domos Emeritorum dantur, ad easdem & non aliter applicentur, quæ verò ad domos juventutis sub eadem conditione assignantur, pro iisdem applicentur; quæ verò indifferenter ad bonum Cleri huic Instituto assignantur, juxta prudentem Superiorum dispositionem applicanda eruot.

XVI.

Tam in fundatione domorum instituendæ juventutis ex mediis Communitatis, quàm Emeritorum expresse dominium & omnis dispositio huic Instituto illiusque Superioribus reservetur, ut quandoquidem in beneficiis continuam successiooem (nisi fortè ex speciali gratia Patronorum) non habeant, saltem in prædictis domibus Institutum stabiliter subsistere possit: ut proinde meritò Instituti hujus Clerici & Sacerdotes io dispositione circa bona sua temporalia præcipoam harum domuum debitè fundandarum rationem habere debeant. Facta autem semel sufficiente præ-

prædictarum domorum in aliqua Archidiœcesi, vel Diœcesi fundatione, ea quæ supereſſe contigerit, in alios pios uſus, & tam Clericali huic Instituto, quàm ipſimet Archidiœcesi, vel Diœcesi in qua verſantur, proficuos uſus expendantur, ut & Cura animarum meliùs geratur, & ea quæ Institutum hoc præſcribit, commodiùs in praxim redigantur, prout in Domino viſum fuerit.

Quinam Superiores in Domibus Emeritorum eſſe debeant, & quodnam eorum ſit officium.

XVII.

IN Domo Emeritorum non ſolùm Præſes Archidiœceſanus (aut ſi in Diœceſi quadam ejuſmodi domus ſit, Præſes Diœceſanus) extra viſitationem tanquam in proprio ſuo domicilio habitabit, verùm etiam plures viros prudentes ibidem ſecum habeat, quorum Conſilio in directione ſua, & in faciendis diſpoſitionibus ſuis, ſaltem quæ majoris momenti eſſe videbuntur, ſemper utatur.

XVIII.

Ad eumdem Præſidem ſpectabit circa perſonas ſenum, infirmorum, inhabilium & eorum qui graviter deliquerunt, providè in Domino diſponere. Quod ſi Præſes Archidiœceſanus, vel Diœceſanus in officio Reverendiſſimi Archiepiſcopi, vel Reverendiſſimi Domini Epiſcopi ſit in ejuſdem Civitate principali, vel ubi ejuſmodi officium requiſiverit, cum aliquot viris prudentibus reſidebit, & quidem in Domo Emeritorum, ſiquæ in eo loco ſit, ſi verò ejusmodi Domus ibi non ſit, extra illam tali loco, quoad fieri poterit, habitabit, ut prudentes quoſdam Viros Seniores, qui hujus Instituti Conſtitutiones & ſcopum callent, ſecum habere, & per litteras conſulere poſſit.

XIX.

Superiores qui immediatam directionem domuum Emeritorum habent, erunt Primò in quavis Domo Superior ſub titulo Regentis ſive Directoris, qui non ſolùm ætate, verùm magis prudentiâ, diſcretione, patientia, humilitate, gravitate, & ſollicitudine charitatis JESU Chriſti, maximè inter omnes emineat conſpiciatur, qui legem amoris fraterni regalem exactè implere, & omnia omnibus fieri noverit.

XX.

Secundò ex Senioribus Domûs unus Pater ſpiritualis conſtituatur, qui recenter ordinatos Sacerdotes exerceat, & curam eorum Sacerdotum gerat, qui à Præſide ſuſcepti ſunt, ut in rebus Instituti ibidem informentur. Præterea ex Senioribus præficiatur pro pœnitentibus, qui verbo & exemplo potens pœnitentes, & incorrigibiles Sacerdotes pro tempore ibidem manentes omnibus modis ad meliorem frugem, & in viam ſalutis æternæ reducere ex profeſſo ſtudeat.

XXI.

Denique ex iiſdem ſenibus quidam ad hoc idoneus pro excipiendis Confeſſionibus deputetur, qui ordinariè omnium, qui in tali Domo ſunt, Confeſſarius exiſtat. Directori domûs adjungatur perſona qualificata, quæ Oeconomiam adminiſtret, ratiocinium ſuper annuos redditus faciat, omniaque neceſſaria ad Culinam, Cellam, & pro univerſa Domo ſecundùm voluntatem Directoris ſollicita fidelitate diſpenſet.

XXII.

Singularem Superiores in hiſce domibus infirmorum curam gerant & ut idem à domeſticis fiat, ſedulò curabunt. In hunc finem informentur qualiter infirmis in charitate, manſuetudine, & patientia inſerviant, & miniſterium Marthæ impleant. Nemo verbo, facto, aut vultu torvo illis, ut à manu DEI tactis, & afflictis alteram addat afflictionem. Defectuoſis, & infirmis cibus ac potus ſingulis diſpenſetur, prout conſilio Medici bonum, & ſalutare omnibus viſum fuerit: qui animo & corpore valentes ad Refectorium accedere poterunt, una communi menſa fruantur. Defectuoſis neceſſaria ad uniuſcujuſque cubiculum proprium porrigantur.

XXIII.

Tam miniſterium culinæ, quàm reliquæ domûs idoneis famulis (ſi fieri poſſit iis, qui ad dies vitæ in cœlibatu cum hiſce Clericis vivere deſiderant) committatur; talis verò ordinatio domeſticorum, tam pro culina, quàm pro miniſterio domûs, & defectuoſorum famulitio fieri debet, qualem prudens Superiorum judicium neceſſariam judicabit.

De

De Conversatione Sacerdotum, & eorum qui habitant in domo Emeritorum.

XXIV.

SAcerdotes Emeriti ad solidam omnium virtutum perfectionem pro viribus conentur, utpote qui temporalibus curis aliisque negotiis liberati majorem facultatem habent, ad omnimodam vitæ integritatem incumbendi. Quamobrem viam veræ perfectionis ac Christianarum virtutum, quæ hominem nostrum tam interiorem, quàm exteriorem perficiunt, studiosè omnes & singuli teneant.

XXV.

Præcipuè verò se perficiant in studio trium Virtutum Theologicarum, in Christiana pietate erga Christum, Deiparam, & omnes Sanctos, in ardore animi ad Divina, in puritate intentionis, in studio solidarum virtutum, in Christiana humilitate, & simplicitate, in prudentia, in scientia practica, & discretiva boni, & mali in agendo, in spiritu cœlestium consolationum, & oppositarum desolationum ac tentationum, in principiis & regulis discretionis, quibus informamur contra nequitias concupiscentiæ carnis.

XXVI.

Eum exercitiorum spiritualium cursum, qui in stationibus omnibus huic vitæ Clericali addictis præscriptus est, omnes & singuli, quantùm per vires licet diligenter observent, ut scilicet manè statutâ horâ surgant, preces matutinas cum examine conscientiæ simul persolvant, iisque finitis, saltem per mediam horam sacræ meditationi vacent.

XXVII.

Tempus reliquum post meditationem usque ad quadrantem ante prandium recitationi horarum Canonicarum, celebrationi Missæ, rerum cœlestium contemplationi, sacræ Scripturæ, & spiritualium librorum lectioni, aliique piæ occupationi secundùm cujusque talentum, & Superiorum directionem singuli utiliter impendant.

XXVIII.

Uno quadrante ante prandium Litanias omnium Sanctorum cum aliis consuetis juxta stationes persolvant; tempore prandii, uti & cœnæ lectio sacra habeatur; post refectionem per duas horas circiter tempus indifferens relinquitur; postea pro varietate personarum rursum feriæ, utilesque magis occupationes juxta eorumdem Superiorum ordinationem resumentur; Horâ tertiâ post meridiem recitentur Vesperæ cum Completorio; unâ horâ ante cœnam, vel paulò priùs recitetur Matutinum cum Laudibus pro die sequenti; ultimo deinde quadrante ante cœnam fiat præparatio pro meditatione sequentis diei; unâ horâ post cœnam recitabunt Rosarium, cui subjungent examen conscientiæ eo modo, quo in stationibus præscribitur.

XXIX.

Circa infirmos observetur, quod de charitate & discretione iisdem exhibenda suprà ordinatum est. Cui hîc addendum, quod sicut tria sunt genera infirmorum, ita tribus quoque modis sublevari debeant; sunt enim infirmi primò qui debilem complexionem aut ab ipsa natura, aut ex accidente alio habentes charitativâ curâ, & indulgentiâ discretionis indigent; sunt secundò alii infirmi, qui multis passionibus laborantes à Superioribus, & aliis prudenter supportari debent; tertiò sunt qui verè morbo aliquo decumbentes cura corporali charitativa opus habent. His omnibus charitativa compassione, & rationabili obsequio, secundùm cujusque præsentem necessitatem succurrendum esse charitas Christi requirit. Insuper omnis humanitas possibilis hujusmodi infirmis & debilibus exhibenda est, ut qui flagellati sunt à Domino (quia corpore infirmi sunt) à nobis in charitate Christi subleventur.

XXX.

Si qui Superiorum judicio habiles fuerint, applicentur ad sacræ Scripturæ interpretationem, ut sapidiorem genuini sensus nucleum inde eruentes & breviter annotantes Concionatoribus quasi officinam efficaciorum materiarum ad convertendos peccatores, & hæreticos ad manum porrigant. Inferioris intelligentiæ Sacerdotes in conficiendis munusculis catechistarum, aliisque similibus pro cujusque capacitate honestè occupentur.

XXXI.

Etsi Sacerdotes in ejusmodi domo commorantes curam animarum ob senium, vel alias causas ordinariè non sint habituri, pro necessitate tamen locorum ad audiendas confessiones (in Ecclesia propria, vel in subsidium Parochorum in vicinia habitantium pro exi-

genria temporum) exponantur ii, quos ab Ordinariis approbatos Superiores habiliores judicaverint. Similiter occupabuotor in fermonibus familiaribus ad populum, in instituendis piis Oratoriis per feprimanam aliquoties, in informandis Sacerdotibus, & Clericis circa ritus, & cæremonias Ecclefiafticas, unà cum exercitiis fpiritualibus, in miffionibus ad pagos, & oppida, ubi juxta circumftantias locorum id requiritur ad nurum Reverendiffimorum Ordinariorum, & in aliis fimilibus piis exercitationibus. Circa alia obfervabunt Conftitutiones, quæ pro Clericis io communi præfcriptæ funt.

De Sacerdotibus aliisque poft ftudia fua abfoluta ad hoc Inftitutum fufcipi defiderantibus in domo Emeritorum ad tempus bene erudiendis.

XXXII.

IN eadem Domo Emeritorum ad tempus aliquor erunt Sacerdores illi, qui Inftiruto huic affociari defiderant, donec fcillcet in principiis fpiritualibus, & aliis in hac Clericali vita obfervandis fufficienter inftructi fuerint, norintque modum medirandi, per examen confcientiæ fefe recolligendi, & alia ad profectum in fpiritu neceffaria.

XXXIII.

Per ordinem quotidie certâ determinatâ horâ iostruantur circa diurnum curfum precum, & aliarum exercitationum fpiritualium, videlicet qoas preces, & qua intentione quotidie Clerici perfolvere teneantur.

XXXIV.

In his fufficienter exercitatl ad exercitium facræ quotidiaoæ meditationis ram fpeculativè, quàm practicè addifcendum inducantur, ad eum fere modum, qui pro inftitutione Juventutis eft præfcriptus.

XXXV.

Præterea per ordinem de Conftitutlonibus circa temperantiam, cohabitationem focialem Clericorum, communitatem bonorum, feparationem mulierom, & denique circa alia hujus Inftiroti puncta informenrur, quantùm omnibos communiter fcire fuerit neceffarium.

XXXVI.

Denique eorum tam homo interior, quàm exterior in exercitio virturum tam fpecolativè, quàm practicè inftituatur, quomodò videlicet virrutes Chriftianas exercere & paffiones mortificare, qua item difcretione exteriùs cum hominibus converfarl debeant.

XXXVII.

Præcipuè tamen exerceantur in humilitate, patienria, & propriæ voluntatis, bonorumque temporalium abnegatione. Ultimo menfe fiat brevis prædictorum recapitulario, qua finita conftantem voluntatem habentes ad exercitia fpiritualia ioducantur, & poftmodùm ad juramentum quatuor fubftantialium admittantur.

XXXVIII.

Toto probationis tempore curfum quotidianum cum fenioribus obfervabunt, & infuper fingulis feptimanis bis, die videlicet Jovis, & Sabbathi confitebuntur, die verù Dominica & præcipuis feftis ad accipiendum robur animæ Sacra Synaxi reficientur. Ut affuefcant in reliqua vita fua ordinaria cibi, potufque difpenfatione effe contenri, regulariter, nifi ægrorent, extra tempus prandii, & cœnæ abftineant.

Quomodo delinquentes in domo Emeritorum accomodandi, ac tractandi fint.

XXXIX.

IN fuperiori conrignatione domûs Emeritorum pro Clericis & Sacerdotibus graviter delinquentibus, aut incorrigibilibus feparetur locus, & in aliquot cubicula interdiftinguatur, ita tamen oe emeritis Sacerdotibus moleftia, & incommodum caufetur; eorum feneftræ ferreis clathris bene muniantur: Januæ claufuram ad prohibendum exitum habeaot, ad quem folus Superior claves fibl retinebit: medium januæ ad deferendos cibos, aliaque neceffaria fic accomodetur, ut poffit occludi.

XL.

Ad honeftatem Clericalem falvam confervandam, & veram charitatem oftendendam etiam difcoli in domo Emeritorum neceffario victu fuftententur; lecto quoque & alio veftiro, quantum pœnirenti ad confervandam corporis munditiem concedi poteft, non priventur.

XLI.

XLI.

Cursum quotidianorum exercitiorum spiritualium omnibus hujus Instituti Clericis communem quotidie pro se persolvant : reliquum tempus in consideratione , & seria detestatione peccatorum suorum , librorum lectione , & voluntaria ejusmodi exercitiorum susceptione ,quæ tum ad expianda peccata,tum ad extirpanda vitia præcipuè conducant, piè, utiliterque transigant. Capella domestica ,sic approximata eorum habitationi pateat , ut omnes quotidie per cancellos prospicientes audire Sacrum valeant.

XLII.

Pater eorum spiritualis frequenter eos sermonibus exhortetur ad patientiam in subeunda statuta pœnitentia, consoletur pusillanimes , puniat delinquentes , compescat insolentes , singulis octo diebus confiteantur , & communicent , quod præcipuis anni diebus festis similiter ipsis permittatur , dummodo digni ad hoc inveniantur.

XLIII.

Nemo ad ipsorum colloquium ordinariè admittatur nisi Pater spiritualis, & Superior , quosque admittere eidem Superiori in Domino visum fuerit. In morbis eorum cura habeatur , eademque charitas exhibeatur , quæ superiùs pro aliis Clericis infirmis fuit instituta , similiter tractentur mortui , si piè in Domino obierint.

XLIV.

Quod si quis solidis argumentis veram emendationem præsetulerit, sufficientemque pœnitentiam super peccata perpetrata egerit , Superior pro sua discretione cum præscitu , & consensu Reverendissimi Ordinarii eum liberabit, & cum senioribus vitam degere permittet , si aliò utiliter ,& securè, & absque scandalo destinari non possit.

Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt , ut sibi in præmissis opportunè providere , & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes ,quorum strenuos in vinea Domini labores ad animarum salutem multùm utilitatis allaturos esse in Domino speramus , amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis , censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis , si quibus quomodolibet innodatæ existunt , ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes , & absolutas fore censentes , hujusmodi supplicationibus inclinati , de congregationis nonnullorum ex Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus , & aliquorum ex dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis ad supradictas Constitutiones examinandas à nobis specialiter deputatæ , quæ rem maturè discussit, consilio , omnes & singulas Constitutiones præinsertas auctoritate Apostolica Tenore præsentium confirmamus pariter , & approbamus , illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus , ac omnes , & singulos , Juris & facti defectus , si qui desuper quomodolibet intervenerint , supplemus. Decernentes easdem præsentes Litteras , ac Constitutiones præinsertas semper firmas , validas , & efficaces

ficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit quibusvis etiam juramento Confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum Tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris; ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII. Augusti MDCLXXXIV. Pontificatûs nostri anno octavo.

I. G. Slusius.

BRE-

BREVE APOSTOLICUM

Sanctiſſimi D. Noſtri INNOCENTII PAPÆ XI.

Quo jus ad Beneficia &c. declaratur, & titulus ordinationis pro Clericis Sæcularibus in commune viventibus conceditur.

Juxta Exemplar excuſum Romæ in Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ.

INNOCENTIUS

PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

PRoſpero felicique Inſtituti dilectorum filiorum Clericorum Sæcularium in Communi viventium ſtatui & progreſſui quantum Nobis ex alto conceditur providere, eoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & aliquorum ex dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis à Nobis ſpecialiter deputatæ conſilio, authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, eoſdem Clericos Sæculares in communi viventes, quorum Inſtitutum & Conſtitutiones nuper approbavimus, ex aſſumptione ſtatûs & vitæ communis juxta Inſtitutum & Conſtitutiones hujuſmodi nullo modo reddi incapaces Beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura vel ſine cura animarum, & alias cujuſcumque qualitatis, conditionis vel naturæ exiſtentium, quæ per Clericos Sæculares in titulum, Commendam, vel adminiſtrationem, aut aliàs quovis modo obtineri conſueverunt, ac proinde ipſos Clericos Sæculares in Communi viventes, tam præſentes, quàm futuros, quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica hujusmodi quæ de præſenti Canonicè obtinent, retinere, & alia quælibet, ſervatis de jure ſervandis, conſequi & obtinere poſſe; & quatenus ad illa cæteroqui Canonicè præſententur, vel eligantur aut aliàs quovis modo aſſumantur, in illis inſtitui, electioneſque de eorum perſonis factas confirmari poſſe, & debere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi Inſtitutum prædictum minimè aſſumpſiſſent, nec in illo viverent: Ita tamen ut ipſi omnibus & ſingulis eorumdem Beneficiorum obligationibus ſatisfaciant, oneraque illis incumbentia ſupportent, quemadmodum alii Clerici Sæculares illa obtinentes ſatisfacere, & ſupportare deberent. Præntereà eoſdem Clericos in communi viventes, cùm Sæculares ſint, omnibus & ſingulis Clericorum Sæcularium juribus, prærogativis, præeminentiis, immunitatibus, facultatibus, & privilegiis uti, frui, potiri, & gaudere poſſe & debere. Ac demum eiſdem Clericis Sæcularibus in Communi viventibus, ut licet ſufficientem beneficii vel patrimonii titulum ad ſacros Ordines de jure requiſitum non obtineant, nihilominùs de Superioris Generalis dicti Inſtituti pro tempore exiſtentis licentia, ad titulum Communitatis ſive In-

Instituti prædicti pro arbitrio, & conscientia Ordinariorum locorum ad sacros Ordines hujusmodi, servatis aliàs servandis, promoveri valeant, authoritate & tenore præfatis concedimus, & indulgemus, ea tamen lege, ut si eos subinde dimitti contingat, idem Institutum eis omnia ad congruam eorum sustentationem necessaria subministrare teneatur; idque donec & quousque eis aliundè sufficienter fuerit provisum, ad id autem præfatus Superior Generalis bona dicti Instituti in forma Juris valida obligare & hypothecare debeat in manibus eorundem Ordinariorum, quibus curæ erit sedulò inspicere, an eidem Instituto sufficientes suppetant facultates, ex quibus necessaria sicut præmittitur Clericis prædictis valeant, supportatis cæteris ipsius Instituti oneribus subministrari. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat & pro tempore spectabit in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quibusvis etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Februarii 1685. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

I. G. Slusius.

BREVE APOSTOLICUM

Sanctissimi D. Nostri Innocentii Papæ XI.

Concessionis Indulgentiarum pro Instituto Clericorum Sæcularium in commune viventium.

Juxta Exemplar excusum Romæ in Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.

INNOCENTIUS
PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm Nos Institutum, & Constitutiones Clericorum Sæcularium in Communi viventium auctoritate Apostolica confirmaverimus, & (sicut accepimus) iidem Clerici in vinea Domini ad animarum salutem strenuè laborent,

rent, multaque pietatis, & Christianæ Charitatis opera assiduè exerceant: hinc est, quod Nos felici eorum in vinea mandatorum Domini progressui, dictique Instituti ad Dei Gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ, cui Superni dispositione consilii, meritis licet imparibus præsidemus, utilitatem, spiritualemque Christi fidelium ædificationem propagationi, & incremento, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Clericis Sæcularibus, qui dictum Institutum inposterum ingredientur, die primo eorum ingressûs, si verè pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Evcharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam; illis quoque qui Institutum hujusmodi ingressi, & in eo viventes juramentum de perseverando usque ad mortem in eodem Instituto juxta Constitutiones prædictas præstiterint, & verè similiter pœnitentes, & confessi, eo die Sacra Communione refecti fuerint, itidem plenariam; ac præfatis Clericis Sæcularibus in Communi viventibus, nunc, & pro tempore existentibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè pariter pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen JESU ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, etiam plenariam; Præterea eisdem præsentibus, & futuris Clericis Sæcularibus verè similiter pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam dicti Instituti Ecclesiam, vel Oratorium, vel Parochialem Ecclesiam loci ubi pro tempore commorabuntur, die festo Sancti Petri ad Vincula à primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro felici Instituti præfati progressu & propagatione ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, pariter plenariam; Insuper eisdem Clericis Sæcularibus in Communi viventibus, qui spiritualia exercitia per octiduum continuum in aliqua ejusdem Instituti domo peregerint, & interea verè quoque pœnitentes, & confessi, Sanctissimum Evcharistiæ Sacramentum prædictum sumpserint, ac ut præfertur, oraverint, similiter plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ac demum eisdem Clericis Sæcularibus præsentibus, & futuris sub Instituto prædicto viventibus, qui singulis diebus manè conscientiam suam diligenter examinaverint, cum proposito à peccatis abstinendi, & se corrigendi, ac Litanias Beatæ MARIÆ Virginis devotè recitaverint, &, ut supra expressum est, oraverint, centum dies pro unoquoque die quo id egerint, de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XI. Aprilis M. DC. LXXXV. Pontificatûs nostri Anno Nono.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

I. G. Slusius.

ADDITAMENTUM LIV.

DE
REFORMATIONE ET REGULIS
MONASTERII TRAPPENSIS
ORDINIS CISTERCIENSIS.

OBSERVATIO CRITICA.

Hic tandem Codicem nostrum Regularum Lucæ Holstenii auctum & continuatum claudimus, Lectorum oculis subjiciendo synoptice celeberrimam hoc nostro ævo Ordinis Cisterciensis Reformationem, quæ in Monasterio Trappensi Regni Galliæ prope finem præcedentis Sæculi feliciter incepit, & hodiedum maxima cum omnium admiratione simul & ædificatione perseverat, ut vitas Religiosissimorum hujus sancti loci Monachorum (quæ separatim in publicum prodierunt) legenti apparebit. Hic non obscure benevolus Lector non secus ac priorum Sæculorum sanctis Reformationibus digitum Dei operatum fuisse, & etiamnum operari deprehendet. Si enim in eorum vita, quos prioris ætatis maleacta serio pœnituit, semper aliquid majus humano visum fuerit, haud injuria affirmare possum, nullibi tot clara & illustria hujus rei exempla inveniri, quàm in Monasterio Trappensi non veteri, sed perpurgato illo a venerandæ memoriæ Abbate Rancæo. Hic enim omnium virtutum, quibus Christianorum vita continetur, perpetua studia, atque exercitationes; hic, quotquot sanctitatem morum virtutisque sustentaculum, & summam disciplinæ severitatem videre exoptant, habent, unde oculos & animos pascant. Hoc ab omnium cœtu reddita sunt nobis beata illa primæ Ecclesiæ tempora, in quibus vinculo pacis & charitatis colligata mens una, atque eadem omnium voluntas erat. Quidquid de antiquis Eremitis, piisque Thebaidos incolis memoriæ proditum est, id omne hoc in loco perfectum vidimus, ita, ut nostra ætate, quod nunquam futurum videbatur, reperti fuerint homines illis superioribus simillimi. Et ne longior sim, ipsa hujus domus facies, primusque aspectus nonne accedentes ita percellit, ut cum Jacobo exclamare cogantur: Quàm terribilis est locus iste? verè Domus Dei & porta Cœli. *Gen.* 28.

Verùm ne liberius, quam verius ista à me dici existimentur, eorum, qui domicilium hoc Sanctorum constituunt, vitam, usumque quotidianum paulisper inspiciamus. Quales igitur in Ecclesia sunt? omnem corporis motum adeo in sua potestate habent, ut nulli unquam rei locum dent, quæ mentem aliò avocaret. Quo fervore ab ipsis Divinæ laudes canuntur? eo, ut potius cœlestium, quam mortalium chorus esse videatur: eo ardore animi orant, ut facile appareat, eos tam mirabilem, tamque perfectam orandi rationem non alio quam Spiritu Sancto Magistro didicisse: contemplando divino Numine, ejusque operibus adeo sunt occupati, adeò immersi, ut penitus sui obliviscantur; neque se corpus ob aliam rem habere putant, quam ut inedia, vigiliis, verberibus, omnique pœnarum genere subactum menti serviat. Unà vivunt & soli sunt, nec quibuscum vivunt, satis sciunt; quos si vide-

videres, unum alteri omnino extraneum putares, licet eadem omnes Domus atque idem amor, cujus vinculum Christus est, singulos singulis arctissimè conjunctos teneat: partem aliquam temporis laborando manibus consumunt, quod dum faciunt, in memoriam veniunt ortus & originis suæ, dum terram colentes matrem aspiciunt: Interim multo fletu Deum orant, ut in otium Civium supernorum transferantur. Naturæ inviti satisfaciunt, corporique tantum tribuunt, quantum ad vitam, ut ne penitus extinguatur, conservandam sufficit. Quis cibi potusque modus? & quas interim preces Superis adhibent, ut spirituali gratiæ atque misericordiæ epulis reficiantur? brevi: quidquid in istis videris, Deum loquitur, Deum laudat. Pauca igitur hic de hujus Monasterii satis prænosse juvat.

Hoc Monasterium anno 1140. *in saltu pertico situm condidit Rotrocus saltûs pertici Comes, redditibusque donavit: Monasterii vero templum rogante Gulielmo, quinto ejus loci Abbate, in honorem Beatæ Virginis ritu solemni Robertus Archiepiscopus Rotomagensis, Radulphus Episcopus Eburovicum, & Sylvester Episcopus Sagii dedicarunt. Guilielmus, quem modò commemoravimus Alumnus erat Ordinis Saviniacensis (de Savigni) anno* 1148. *a Serlone, quarto ejusdem Abbate, cum Ordine Cisterciensi uniti, & Auctore S. Bernardo filiationi Monasterii Clarevallensis cum omnibus Monasteriis inde pendentibus subjecti. Incolarum sanctitati, præcipue Adami, secundi Abbatis miraculis magnum non a vulgo solum, sed a Regibus etiam, atque Pontificibus nomen Trappense Monasterium consecutum est, diuque retinuit. Cujus rei testimonio sunt* 14. *aut* 15. *Bullæ intra annos a Monasterio condito haud amplius ducentos a Summis Pontificibus concessæ, in quibus Monasterii privilegiorum confirmatio cum magna Monachorum laude conjungitur. Verùm tandem eandem, quam cætera Ordinis Cisterciensis Monasteria sortem perpessum est; Ab Anglis enim Trappenses Monasterio expulsi inopia victûs mundum repetere sunt coacti. Initio quidem Cœnobio rebus omnibus spoliato labore tamen improbo, parceque vivendo tantum assequebantur, ut intra ipsius loci septa vitam utcunque agere possent: Anglis vero reversis, surreptaque, quam ex parsimonia collectam habebant, annona Monasterium denuo relinquere coacti sunt, usque ad finem belli. Quo finito reversi quidem sunt, sed alii omnino, quam prius fuêre, ob morum corruptelam in Sæculo haustam extiterunt. More in Gallias jam introducto Abbatia Trappensis Cardinali de Bellay in Commendam permissa est, repugnantesque Monachi, atque suos Abbates a Romana Curia etiam confirmatos eligentes, Regis mandato, Cardinalisque auctoritati cedere compulsi sunt. Ex quo tanta Disciplinæ Regularis strages facta est, ut dissoluta Trappensium vita vicinorum omnium & oculi & animi offenderentur. Depravatis moribus brevi dilapidata est substantia Monasterii, prolapsisque ædificiis Regularibus vix sex aut septem Monachis locus supererat, quo ne ipsi quidem utebantur, sed famulis, famulorumque familiis tradiderunt; Nam ipsi nec unà vivebant, nec unum in locum coibant, nisi cum aut venandum, aut alio modo animus recreandus esset.*

Atque hæc rerum facies erat, cum Dominus Armandus Joannet le Bouthillier de Rancè illius Cœnobii reformandi consilium Deo inspirante cepit, efficiendique, ut in eo, quantum iniquitas temporum permiserat (ut quidam ipsius vitæ scriptor ait) antiquæ pænitentiæ exempla, spiritus, praxesque felicis illius ætatis, in qua Disciplina Monastica perfecta, omnibusque numeris absoluta videbatur, reflorescerent. Filius is erat Dionysii le Bouthillier Domini de Rancè Baronis de Veret, Secretarii (ùt vocant) mandatorum Reginæ Mariæ de Medicis, & Consiliarii Ordinarii Status, anno 1626. 9. *Januarii natus. Primo Patri eum Equitem fieri Melitensem placuit; militiæ igitur quamvis destinatus, tamen litteris operam navare non intermisit: Tres enim Præceptores eodem tempore habebat, unum, a quo Linguam Latinam, alterum, a quo Græcam, tertium, a quo Principia Christianæ Religionis vitamque secundùm ea ducere doceretur. Nec inde tamen impediebatur, quo minus alia exercitia nobili Juvene digna, artemque militarem a peritissimis Magistris addisceret.*

Verùm eum, mortuo majore natu fratre, mutato Parens consilio, abjecta armorum cura Statui Ecclesiastico, quem Frater ejus amplexus erat, dare nomen voluit; sicque in Primogeniti nomen succedens, in beneficia quoque Ecclesiastica successit, cui alia a Patre postea acquisita accesserunt. Erat igitur Canonicus B. Virginis Parisiis, Abbas Trappensis Ordinis Cisterciensis, B. Virginis de Val Ordinis S. Augustini, & S. Symphoriani Bellovacensis Ordinis S. Benedicti, Prior de Boulogne prope

Chambor itidem Ordinis S. Benedicti & S. Clementis Pictavis; adeo, ut 10. vel 11. annos nato, nulloque unquam Ecclesiam Benefacto demerito (quod sane per ætatem nondum poterat) ex bonis Ecclesiasticis 15. aut 20. Librarum millia annuatim redderentur. Statum itaque Ecclesiasticum amplexus ferventius studiis incumbere cœpit, in quibus, cùm esset natura sciendi cupidus, ita profecit, ut duodecimo ætatis anno novam editionem Anacreontis publici juris fecerit, adjecto Græco Commentario a Viris eruditis magna cum admiratione suscepto. Hujus postea Poëtæ opera Gallicè vertit. Absolutâ Philosophiâ Theologiæ in Collegio Harcourtiano operam dedit. Anno ætatis suæ 21. præclarum adeo scientiæ suæ specimen dedit, ut Theologiæ Licentiatus factus fuerit. A natura eas dotes magno in gradu habuit, quibus homo mundanæ conversationi acceptus redditur: mutuò ipse mundum, mundusque ipsum amore appetebat. Delicias, quæ sese ei quasi obtrudebant non rejecit, gravioribus tamen erroribus abstinens, quibus nimis facile juvenilis ætas involvi solet. Quidquid in animi affectibus, passionibusque præstantius mundo videtur, hoc sectabatur. Cibi delicati, supellex domestica, vestesque nitidæ, luxuque diffluentes erant. Venandi studiosissimus nullibi libentius quam in Villa de Veret in Turonico posita, atque ad se Patre mortuo devoluta mansit. Vita tam parum Ordini Ecclesiastico conveniente nihil motus Sacerdotium etiam appetiit, quo a Patruo suo Turonensi Archiepiscopo anno 1651. initiatus erat, cujus se Coadjutorem aliquando futurum sperans, Episcopatum S. Pauli Leonensis aspernatur. Tribus pòst annis Doctor efficitur.

Crescentibus annis morum quoque licentia crevit. Quadam die, cum in Villa Veretina tres apud eum amici essent, postquam ludendo animum satis oblectassent, constituerunt, ut conjectis quilibet in crumenam mille Duplionibus (Pistoles) equitum errabundorum more terras, mare, & quocunque eos demum ventorum vis ferret (ipsissima eorum verba erant) peragrarent, quamdiu quidquam pecuniæ superesset. Verùm Deo aliter disponente propositum exequi non poterant. Abbas noster de Rancè certò periisset, nisi Deus oculis misericordiæ in eum intuitus ad saniorem mentem per casus improvisos cœpisset revocare. Primus erat mors Leonis le Butbillier Domini de Clavigni cognati sui, cujus mortem gravissimè tulit; propterea, quod hominem sanguine sibi conjunctissimum (patruelis enim erat) a quo maxime ipsius fortuna pendebat, amisisset. Secundus erat, cum retro Ecclesiam B. Virginis Parisius perambularet, aves fistula venatoria trajiciens: a quibusdam enim, qui in fluminis ripa constiterant, aut fortuito, aut consilio emissus globus in zonam ejus crumenariam impegit, aliàs vitam ipsi erepturus. Hic vero vel ipse ad tam perspicua Divini auxilii indicia advertit. Ut primum igitur animum e timore collegit: Eheu! *inquit,* si Deum mei non miseruisset? *Verùm hoc dicto stetit cogitatio; nec ulterius in contemplationem Divinæ Bonitatis est effusa: Ambitio quippe, quæ eum mundo affixit, primos gratiæ instinctus suffocabat. Laudes quoque, quas in eum congesserat Cleri Gallicani Conventus anno 1655. habitus, cui interfuit tanquam Deputatus secundi Ordinis. Multùm insuper obfuit, quod comuni eum omnes voce, Eusebii, aliorumque Patrum Græcorum editionem castigatam procurare hortarentur; ex quo Virum doctissimum ab universæ Galliæ Episcopis esse se judicatum videbat. Designatio denique ad munus Eleemosynarii Gastonis Ducis Aurelianensis, quod eodem quoque tempore obtinuit, non parum ejus inflabat animum. His omnibus adeo in gloriæ cupiditatem exarsit, ut omnes curas, cogitationesque in ea adipiscenda defigeret.*

Verùm Deus, qui hominum cogitationes confundere novit, quique rebus minimis ad patranda maxima utitur, grandia ista consiliorum molimina nullo negotio dissipavit; injecta enim ipsi a quibusdam suspicione, modum, quo se in Cleri Conventu gereret, Aulæ esse minus probatum, concidit animo, tamque fatali, ut rebatur, fortunæ ictui ferendo impar in Villam se Veretinam, nondum dimisso Concilio, contulit, ubi per otium, quanta esset fortunæ mobilitas, considerans, aliud vitæ genus, fortunæ casibus minus obnoxium, sequi statuit, Aurelianensium Ducis morte, quæ eo fere tempore accidit, propositum adjuvante.

Ne vero in eligendo vitæ statu erraret, Episcopos Apamearum, Methensem, Cabillonensem, & Comingensem consuluit; qui omnes illi suadebant, ut conversionis initium abdicatione Beneficiorum Ecclesiasticorum faceret. Horum consilio libentissime obsequens omnibus se beneficiis, excepta una Trappæ Abbatia, in quam secedere mente constitutum habuit, abdicavit, sciensque, ad perfectionem requiri, ut nudus nudum Christum sequeretur, patrimonium omne divendidit præter duas Domos

mos Parisiis, quas Hospitali de Deo (*L'Hôtel Dieu*) *ejusdem urbis condonavit. Ex bonis, qua divendidit* 300000. *librarum summam confecit; qua pecunia debita patria solvit, & fratri, sororibusque, quantum cuique ex hæreditate paterna obtigerat, attribuit. Famulos liberaliter donatos dimisit, duobus solum reservatis, quorum unus eum Trappam secutus, factus est ferventissimus Religiosus. Reliquam pecuniam Hospitali de Deo & Hospitali Generali Parisiis remisit, dempto, quantum ad restauranda Abbatiæ suæ ædificia sufficere videbatur. Cæterùm ipse* 3000. *librarum* (*tanti scilicet erant annui Abbatiæ redditus*) *contentus erat.*

Rebus sic constitutis in Monasterium Trappense secessit, primamque curam in eliminandis abusibus posuit; sed operam se perdere cernens, eoquod consuetæ morum licentiæ mordicus adhærerent Monachi, edicit, constitutum sibi esse, iis expulsis strictioris Disciplinæ Religiosis locum facere. Hoc dicto omnium in se concitavit furorem, quibusdam eum pugione transfodere, aliis veneno e medio tollere, aut in puteum Monasterii demergere minitantibus. At ille bis minis nihil territus Religiosos strictioris observantiæ in Monasterium introduxit. Cui introductioni veteres Monachi consentire tandem compulsi ea super re anno 1662. 17. *Augusti Instrumentum confecerunt a Senatu Parisiensi* 16. *Februarii insequentis anni confirmatum. Septem erant priores Monachi, sex pro choro, & unus Conversus, quorum unicuique vi pacti initi* 400. *libræ sunt concessæ.*

Rancæus, ut haberent, quo ædificia monastica repararent, Reformatis agrum de Nuisement *ad mensam Abbatialem pertinentem cessit, consentiens, ut in futurum ad mensam conventualem spectaret, partemque locorum Regularium suis impensis ædificandam sumpsit. Observantiam strictiorem in Monasterium introduxisse non contentus, etiam eandem, quam aliis præscripsit, austeritatem ipse amplecti voluit. Accepto igitur hunc in finem Brevi Regio, habitum Religiosum sumpsit in Monasterio Perseignensi, unde erant Religiosi Reformati Trappam vocati. Novitiatum suum* 13. *Junii anno* 1663. *ætatis suæ* 37. *incepit: Professionem vero cum duobus aliis Novitiis, quorum unus antea ipsi erat a servitiis, ut supra diximus, deposuit in manibus Domni Michaëlis Guiton, qui Commissarius erat Abbatis* de Prieres *pro tempore Vicarii Generalis.*

Vi Benedictionis Abbatialis postmodum perceptæ licebat illud exequi, quod jam antea versabat animo. Religiosi strictæ observantiæ non satis ipsi reformati videbantur, & licet in eorum Monasteriis praxes minime contemnendas vigere, vitamque ad normam Regularem satis accurate dirigi videret, plus tamen a Regula S. Benedicti, in cujus leges juraverant, exigi putabat. Primorum Cistersii Monachorum exemplis vehementer motus minus patienter ferebat, Monasteria strictæ (*ut vocantur*) *observantiæ non fuisse ad eorum exemplum reformata. Statuit igitur in suum Monasterium severiorem introducere Disciplinam, quam in his vigebat, spiritumque primævum Ordinis Cisterciensis resuscitare. Rem igitur gradatim agendam ratus, Religiosis suis primum vino pisceque abstinere persuasit, ovis non nisi rarissimè vesci, carne vero nunquam nisi in extrema necessitate. Aditu sæcularibus pæne adempto operari manibus cœperunt.*

Verùm, dum hunc in modum tum suæ, tum subditorum saluti studet, Conventum Abbatum & Superiorum strictæ observantiæ in Monasterio Bernardino Parisiensi anno 1654. *congregatum, de negotiis Reformationis suæ tractaturum, omnesque Abbates suæ Reformationi adversantes sentiens bis Romam adire cogitur. Loco sui interim Monasterio Priorem præfecit, quem ipse elegit, cuique propter virtutem & austeritatem confidebat maximè. At hic in instituto adeo non permansit, ut pisces etiam Fratribus apponi jusserit, verbo & exemplo hortans, ut fidem, quam abeunti Abbati dederant, in introducta nempe austeritate perseverandi frangerent. His novitatibus Subprior Vir zeli, & religiosæ fortitudinis plenus strenue se opposuit, cui cæteri quoque sese adjunxerunt, neque in Prioris sententiam consentire voluerunt. Qua ex re quadam in Monasterio animorum dissensione nata Abbas de Prieres Trappam se contulit, omnemque pacis turbandæ occasionem sublaturus Priorem in aliud Monasterium misit, ibi permansurum, quoadusque Abbas Rancæus reverteretur, quod mense Majo* 1666. *contigit. Discessus Prioris quietius reddit Monasterium, domumque reversus Rancæus omnia in eadem, qua discedens reliquit, pace reperiit, quo nihil ipsi fieri potuit optatius ad stabiliendam in Monasterio Reformationem. Omnes itaque antiquas Cisterrii consuetudines, quas*

quas ætati, in qua vivebat, congruere existimavit, restituit, paupertatem scilicet, simplicitatem, jejunia, vigilias, orationem, laborem manualem, silentium, nuditatem pedum feria quarta Cinerum, & feria sexta Parasceves, jejunium in sex feriis sextis Quadragesimæ rigidissimum, quarum tribus primis una portione, tribus ultimis vero pane & aqua famem acuunt, non explent, cæteraque his similia, quæ in eorum Statutis videnda sunt. In gratiam autem eorum, qui Gallici Idiomatis ignari sunt, sequentia pro qualicunque Idea eorum vitæ sibi formanda, ex ipsorum Statutis gallice scriptis sermone latino hic communicamus.

In æstate igitur hora octava quieti se dant, in hyeme vero septima. Post mediam noctem hora secunda ad matutinam Synaxin surgunt, quæ ad mediam fere quintam protenditur, dum officio Canonico etiam illud B. Virginis subjungunt; inter quæ duo officia meditationem semihorariam instituunt. Diebus, quibus non celebratur de Festo aliquo, addunt insuper officium Defunctorum. Finitis matutinis in æstate licet se recollocare in cellis suis ad primam; hieme vero conveniunt in hypocausto calefacto, ubi pro se quisque in summo silentio spiritualiter legit. Qui vero inter eos Sacerdotes sunt, hanc horam Missis celebrandis eligunt. Media sexta Primam Canonicam persolvunt; inde ad locum Capituli pergunt, ubi per mediam horam, exceptis certis diebus, longiorem moram faciunt audiendo exhortationes Abbatis vel Prioris. Circa horam septimam ad laborandum se accingunt, cucullam exuunt, habituumque attollentes operi sibi quisque destinato manum apponunt. Alii terram colunt, alii occaut, alii lapides portant, quilibet opus sibi per obedientiam assignatum assumit, nullique quod sibi magis convenit, liberum est eligere. Abbas quoque ipse labori incumbit, & plerumque, quod vilius & difficilius est, sibi eligit. Quoties tempestas exire foras prohibet, se occupant intus: alii nempe templum, alii claustrum verrunt, alii vasa culinæ purgant, lixivia parant, legumina mundant, & quandoque duo tresve simul humi sedentes radices abradunt, ne verbulo quidem sacrum silentium violantes. Alia quoque sunt loca tecta, ubi plures Religiosi simul laborant, hi scribendo libros ad chorum spectantes, illi eos compingendo; alii denique aliis laboribus utilibus occupantur; cum nihil habeant, quod non manibus sibi propriis conficiant. Finito post horam circiter & dimidium labore in Ecclesiam se conferunt ad officium Divinum media nona inchoandum: præmissa Tertia Missam celebrant, quam Sexta Canonica statim excipit. Quibus omnibus finitis cellas petunt, ubi lectioni piæ dant operam. Postea Nonam persolvunt, nisi dies jejunii fuerit, quo officium Divinum diutius durare solet; tunc enim primùm paulò ante duodecimam Nona celebratur. Inde ad Refectorium pergunt, quod est satis amplum, ex utraque parte duobus longis mensarum ordinibus instructum: mensa autem Abbatis in superiore Refectorii parte posita sex vel septem personas capit. Abbas ipse ad partem sinistram mensæ, ad ejus lævam Prior, ad dextram vero Hospites, siqui admittuntur (quod tamen rarò accidit) sedent. Mensæ sunt nudæ, & sine mappis, admodum tamen mundæ. Quilibet Religiosus habet mantile, vasculum faventinum, cultellum & furcam & cochleare de buxo, quæ semper in eodem loco manent. Panis apponitur abundanter cum uno vasculo, aquâ, & alio sicera paululum ultra medium repleto, quod sextarium circiter Parisiensem continet: paululum (inquam) ultra medium repleto; alteram enim medietatem ad collationem reservant. Panis est valde niger, & rudis, quia farina non bene cribratur. Fercula eorum sunt alternis vicibus modò de pisis, modò de lentibus, modò de leguminibus, quæ legumina alternis quoque diebus variant; semper tamen sine butyro & oleo præparantur. Diebus jejunii præter legumina duas portiones, unam de lentibus, alteram de spinachiis, aut de fabis &c. Condimentum ipsorum ordinarium est sola aqua polenta plerumque, quandoque etiam lacte permista. Pro bellariis accipiunt duo poma, aut pira modò cocta, modò cruda. Finita refectione gratias agentes Deo templum petunt, Deum adoraturi. Postea cellas repetunt, ubi lectioni aut contemplationi vacant. Hora prima circiter ad laborem redeunt, qui per horam & dimidium, quandoque etiam per duas integras durat. Signo ad cessandum dato instrumenta laboris reponunt in locis debitis, & resumptis cucullis ad cellas remeant, ubi legunt aut meditantur usque ad Vesperas hora quarta inchoandas. Hora quinta ad Refectorium denuò vadunt, ubi quilibet invenit collatiunculam suam, quæ consistit frustô panis quatuor unciarum cum residua parte sextarii sui de sicera, & duobus pomis aut piris, aut aliquot nucibus; id quod observant diebus jejunii regularis, diebus autem jejunii Ecclesiastici accipiunt tantùm duas uncias panis cum uno haustu moderato siceræ. Diebus autem, quibus non jejunatur pro cœna accipiunt residuum suæ siceræ, unum ferculum de radicibus cum pane, & pro bella-

bellariis quædam poma & pira. Sed tunc, quando scilicet bis reficiuntur, ad prandium habent unam tantùm portionem de leguminibus cum suo pulmento. Cum Collationem habent, non ultra quadrantem horæ eidem insumunt. Tertio quadrante ad sextam in Capitulo omnes conveniunt ad lectionem spiritualem usque ad sextam, qua intrant Ecclesiam ad Completorium. Hoc finito meditationi impendunt mediam horam, & accepta aqua lustrali benedictione ab Abbate, Ecclesia egressi Dormitorium intrant. Hora septima in hieme, in æstate vero octava (sicut antea dictum est) datur signum ad quietem nocturnam, quam capessunt vestiti super tabulas, supposita tantùm mappa palearea, & quidem valde pungente; culcitram stramineam sub capite, & super corpora tegumentum ponunt. Nunquam, ne in infirmitate quidem, se vestibus exuere licet; nec enim plus commoditatis in Infirmoria habetur, quam quod infirmorum matta palearea non sit pungens: rarò vero accidit, ut infirmis concedantur linteamina de lino, nisi sit morbus prorsus extraordinarius: magna tamen eorum cura habetur: tunc quoque vesci licet ovis & carnibus quadrupedum, nunquam tamen volatilium; neque fructibus aut aliis bellariis saccharo conditis. Porro, quando in extremo mortis periculo sunt constituti, Infirmarius substernit stramen & cineres, quibus moribundus imponitur. In templo nec cernuntur candelabra argentea, nec ornamenta pretiosa; omnia ibi simplicitatem spirant, & paupertatem; nec Casulæ & Paramenta Altarium sunt ex serico. Crucifixus ex ebeno in medio Altaris eminet, & ad utrumque cornu duæ laminæ ligneæ, unde prominent duo rami, super quos cerei accenduntur. Hospitibus magna charitas exhibetur. Cellæ quibus excipiuntur, ornatæ sunt picturis parvis. Ordinariè illis præbetur in mensa pulmentum, duæ tresve patellæ leguminum cum ovis, nunquam tamen de piscibus quidquam apponitur, etsi plurimis Monasterii piscinæ abundent: neque alius potus iis præbetur quam sicera, & panis, quo vescuntur ipsi Monachi.

Quamquam hæc eorum vivendi ratio satis austera fuerit, ipse tamen Abbas præter hæc alia sibi pænitentiæ opera obeunda suscepit. Tam continenter, tamque austere jejunabat, ut omnibus pœne incredibile videatur, repertum fuisse quemquam, qui tam parce vivendo non enecaretur. Primus semper in Choro, Oratorio, reliquisque exercitiis Religiosis: nihil aliis imposuit, quod suo exemplo non docuisset; imo plus fecit, quam aliis imperavit, opera semper viliora & difficiliora sibi eligens, à quibus aliquando ita defatigatus rediit, ut pedibus sese ægrè sustinere posset. Metu, ne decretum Concilii Status (Conseil d' etât) *anno* 1675., *quo Abbati Cistertii suprema in Religiosos strictioris observantiæ potestas permittebatur, in solutionem disciplinæ sui Monasterii usurparetur, a suis Religiosis vota solemnia renovari voluit, quod* 26. *Junii ejusdem anni fecerunt, promittentes usque ad supremum vitæ halitum omnes praxes in suo Monasterio tunc observatas servare, omnique legitimo modo iis resistere, qui disciplinam suam ex quocunque prætextu labefactare tentarent. Ferventissimorum ultra triginta Religiosorum mors paucos intra annos defunctorum, ipsiusque morbus sanè periculosus, multorum calumniis locum dedit, illud vili nutrimento, jejuniis, aliisque austeritatibus tribuentium, quin imo ipsum Abbatem maledictis impetentium, ad quem multi alii Abbates litteras dederunt, hortati, ut nimium disciplinæ rigorem paulisper inhiberet.*

His ille spretis observare omnia sua Reformationis præscripta ferventer perrexit, morbus jam, querelarum causa, remittentibus, confirmataque ipse valetudine plures libros Apologeticos pro sua Reformatione scripsit; inter quos Tractatus de Sanctitate & Obligationibus Status Religiosi non paucis censura dignus videbatur. Quin ipse Auctor multorum calumnias subire cogebatur, ejus a mundo secessûs consilium temere criminantium. Ambitiosum & hypocritam vocitantes, satyris maledicentissimis proscindebant. Mabillonio Studia monastica moderatè defendenti respondit; in hujus deinde responsum Mabillonius edidit Reflexiones, eò plus ponderis habituras, quòd nihil scripserit, quod cum vita ipsius non congrueret; egregius enim hic Scriptor ad eam doctrinam, quæ in ipso eximia erat, præter modestiam & humilitatem exactam quoque observantiam suæ Regulæ, eorumque exercitiorum, quibus perfectio Religiosa continetur, attulit, licet ex sententia Rancæi studia, Statusque Monasticus toto cælo differrent, atque illa essent hujus ruina.

Rancæi zelus non Trappam tantùm, sed & Monasterium Claretsense Sanctimonialium, Ordinem Cisterciensem profitentium complexus est. Primus hujus Monasterii anno 1213. *conditi Pater & immediatus Superior erat Gulielmus quintus Abbas Trappensis, ejusque Successores hoc in munere permanserunt, quoad essent*

Trappa Abbates Regulares; quibus extinctis Clarevallenses Abbates in directionem successerunt. At, Rancao ex Abbate Commendatario facto Abbate Regulari, jus in ClaretfenseMonasterium Trappensibus redit, quoad res extra controversiam esset; a Capitulo Cistercii Generali anno 1686. *in integrum est restitutus Rancaus, Directorque ejus Monasterii constitutus. Verùm licet id Abbates Cistercii & Clarevallis vehementer urgerent, adduci tamen non potuit, ut Claretsensium in se directionem susciperet. Tandem Angelica Francisca* de Stampes de Vallencai, *quae a Rege Claretsii Abbatissa designata erat, precibus commotus illud munus suscepit, primamque visitationem ejus Cœnobii instituit anno* 1690. *Anno post alteram habuit, in qua suis adhortationibus Sanctimonialium animos ita disposuit, ut in Reformationem Monasteriorum strictae observantiae concederent anno* 1692. *Qua ex re occasio idem Monasterium tertio visitandi enata est, ut nempe, quod tam feliciter inceperat, etiam perficeret.*

Assiduo demum vitae rigore exhaustus remittere aliquid de diligentia cogebatur; non enim amplius labori, imo rarius Capitulo aderat; nec adeo frequentes habuit ad Fratres exhortationes. Quapropter timore, ne disciplinam sensim labaret, vel certè fervor, quem suo exemplo accenderat, refrigesceret, Abbatis officium abdicatum in Regis manibus resignavit. Domnus Zosimus Prior Trappensis erat, quem a Rege petitum atque concessum tanto munere dignum judicavit. Verùm mortuus erat Zosimus, antequam Bullas suae Electionis confirmatorias acciperet. Regi dein Domnum Franciscum Armandum proposuit. Annuit Rex: Confirmatus igitur & benedictus est mense Octobri anno 1696. *Brevi vero Rancaeum pœnituit; novo enim Abbate, modo ab ipso omnino diverso se gerente Monasterium in duas partes scissum est, altis ab ipso pro rigore disciplinae stantibus, aliis D. Armandum sectantibus, qui tantam dissensionem a se excitatam videns Praesulatu se abdicavit. At & ipsum brevi pœnituit; omnem igitur lapidem movit, ut in antiquam dignitatem restitueretur. Sed frustra; in ejus enim locum a Rege subrogatus est D. Jacobus Turrius sive* de la Tour (*) *anno* 1699. *qui Monasterium ad mentem sui Reformatoris, anno* 1700., *aetatis suae* 75., 27. *Octobris demortui, rexit.*

Epitaphium Ven. P. Armandi Joannis le Bouthillier, compositum a Patre Gourdan S. Victoris Parisiis.

D. O. M.
Piae memoriae
Venerabilis in Christo Pater
ARMANDUS JOANNES
le Bouthillier de Rancè,
Qui quondam splendore Generis,
Ingenii praestantia,
Facundia sermonis,
Profunditate scientiae,
Morum denique
Suavitate simul & honestate
Vir spectabilis:
Insuper Doctor & Socius Sorbonicus,
Cleri Gallicani Generalis agens,
Duci Aurelianensi prius ab Eleemosynis,
Regi Christianissimo a Consiliis & Concionibus,
Demum B. Mariae de Trappa, nec non & de Valle
Commendatarius Abbas.
Hic Mundo, Nobilitati, Divitiis, Dignitatibus
Renuntiavit,
Ut emissa Professione Cisterciensis Ordinis
Factus sit ejusdem Monasterii
Regularis Abbas;
Ac Reformator inconfusibilis:

Hoc

(*) Monsieur de Maupeon in vita Abbatis Rancaei eum vocat Jacobum *de la Cour*, Tom. 2. pag. 302.

Hoc enim se velut sepulchro
Concludens
Vigiliis, Jejuniis, Laboribus, Orationibus,
Omnibus pietatis, pœnitentiæ, Charitatis
Operibus
Constantissime instans,
Verbo, Scriptis, Exemplis, Vigore, Sollicitudine
Præclaros ejusdem Disciplinæ Sectatores instituit,
Et ad arctam cœli viam evexit,
Sed & innumeris consiliis
Christianos mores
A Præsulibus, Principibus, Regibus,
Ac cujuscunque conditionis Viris requisitus
Sapientissime illustravit.
Unde gravissimis identidem morbis
Ac potissimum Septennio ante obitum
Abdicato conflictatus munere sibi vilescens,
Insigni patientia velut aurum purgatus,
Simul & Fidei fortitudine consummatus,
Inter Episcopi sui Sogiensis manus,
Et Filiorum lacrymas & amplexus,
Vitæ, non Amori erga suos
Finem imposuit.
In cœlo tot votis, & suspiriis exspectato
Feliciter, ut credimus
Coronatus, imo & in terris
Splendidioribus signis ac Miraculis
Illustris
Obiit
Non sine magno omnium Ordinum luctu
Die 27. *Octobris, Anno* 1700.
Ætatis 75. *Profess.* 37.
Lugens Hoc Epitaphium posuit Reverendus admodum
Pater Simon Gourdan Victorinus.

Cæterum audita sancta Trappensium conversatione Cosmus tertius magnus Etruriæ Dux iis Abbatiam S. Bartholomæi boni solatii (Buon Solasso) *non procul a Florentia sitam dedit, quam Ipse sibi a Clemente XI. concessam habuit. In hanc omni ex parte ad modum Trappensis Monasterii dispositam octodecim Religiosi anno* 1705. *cum permissu Regis se Trappâ contulerunt. Uni inter eos, qui sæculari nomine* Comes D' Avia *appellabatur, Pedemontanusque erat, inter Proceres Ducis Sabaudiæ olim illustris, vices Abbatis sunt demandatæ.*

Præter hanc S. Bartholomæi Abbatiam prope & extra muros Florentiæ alia duo Monasteria hujus Reformationis in Italia habentur. Cistelli *&* Septimi, *quæ Regimen Cisterciense Etruriæ, in eorum Superiorem semper & in perpetuum recognoscere tenentur, eisdem modo & forma, queis in Gallia pro tempore existentem Abbatem Generalem Cistercii regognoscunt: ùt in sequenti Bulla Pontificia pleniùs videri potest.*

In Germania quoque floret cum maxima omnium ædificatione ejusdem Reformationis Abbatia Dussentball.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii Abbates Regiminis Provinciæ Tusciæ Congregationis Reformatæ S. Bernardi Monachorum Ordinis Cisterciensis, quòd ipsi piis dilecti Filii Nobilis Viri Cosmi Etruriæ sibi subjectæ Magni Ducis votis obsecundantes Monasterium S. Bartholomæi Boni Solatii nuncupati propè & extra Civitatis Florentiæ muros Provinciæ & Congregationis prædicta-

rum unà cum omnibus & singulis illius bonis mobilibus & immobilibus, Juribus & Actionibus quibuscunque dilectis pariter Filiis Monachis Monasterii B. Mariæ de Trappa nuncupati, dicti Ordinis Sagiensis Diœcesis è Gallia jussu nostro adscitis, uno ex ipsis nempe dilecto Filio Malachiæ *Garneysin*, pro se iisque stipulante & acceptante, reservato tamen desuper nostro & Apostolicæ Sedis beneplacito, in perpetuum concesserunt, & ad Conventionem super Concessione hujusmodi devenerunt cum infrà scriptis pactis, Conditionibus, & Declarationibus, videlicet, Primò: quod dicti Exponentes nuper præfatum Malachiam tanquam Superiorem primò dicti Monasterii recognoscentes, postquam necessariam ad hoc facultatem à nobis, & hac S. Sede obtinuerint, ipsum illius Abbatem ad ejus vitam omnibus & singulis Abbatum Juribus, Facultatibus, & Prærogativis solitis & consuetis eligere debeant. Secundò: Bona dictis Monachis, sicut præmittitur, cessa ad eos cum omnibus & singulis oneribus & gravaminibus per Monasterium primò dictum, illiusque Monachos ferri hactenus solitis, & de Jure debitis, transeant & signanter Monasterium *Cistelli* nuncupatum Civitatis & Congregationis prædictarum, illiùsque Abbates & Monachi juxta solitum, & prout hucusque servatum fuit, etiam in posterum totum quindennium Cameræ nostræ Apostolicæ debitum. Monasterium verò *Septimi* ejusdem Congregationis, illiusque Abbates & Monachi omnia & singula onera cujuscunque speciei solvant, & solvere debeant. Primò dictum autem Monasterium ac prædicti illius Monachi Cessionarii in solutione omnium onerum, in ea duntaxat quantitate & forma, quæ per idem Monasterium hactenus soluta fuerunt, & de præsenti solvuntur, iisque exceptis, quæ in futurum deberentur occasione aliorum bonorum, quæ ad prædicta duo *Cistelli* & *Septimi* Monasteria quomodolibet pervenire & spectare contigerit, continuant, & continuare teneantur. Tertiò: dicti Monachi Cessionarii Regimen Cisterciense Etruriæ, in eorum Superiorem semper & in perpetuum recognoscere teneantur, eisdem modô & formâ, quibus in Gallia pro tempore existentem Abbatem Generalem Cistercii recognoscunt, & recognoscere tenentur, eidem Regimini facultas Monasterium primò dictum, illiusque Monachos per Visitatores à Capitulo Generali deputandos de quinquennio in quinquennium visitandi eisdem pariter modô & formâ, quibus id in Gallia per dictum Abbatem Generalem servatur, competat. Quartò denique in Electionibus novi Abbatis ejusdem Monasterii & quocunque pro tempore faciendis, sive per obitum sive per Resignationem aut aliàs quomodocunque illius Abbatis Officium vacare contigerit, unus Monachus à dicto Regimine deputatus intervenire, ac Electio cum illius præsentia & assistentia fieri debeat, & ad hunc effectum Prior ipsius Monasterii Patres dicti Regiminis monere debeat, ut dictum Deputatum, qui Electioni hujusmodi præsit, nominare curent, & si is intra Mensem post monitionem hujusmodi non venerit, eò elapsô Prior ejusdem Monasteri Capitulum illius Monachorum, ut ad Electionem procedant, convocare possit, hisque omnibus casibus, quisquis ex illis in Abbatem Canonicè assumptus fuerit, de sua Dignitate ac Regimine prædicto investiri debeat, & ita semper & indispensabiliter servetur, & aliàs prout in publico desuper confecto Instrumento uberius dicitur contineri. Quare tam Exponentes, quàm Malachias prædicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ùt infrà indulgere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes & Malachiam specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione aut causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium tantum consequendi. Harum serie absolventes, & absolutas Personas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Conventionem inter partes prædictas initam, ùt præfertur, cum omnibus pactis, conditionibus, & declarationibus suprà expressis Authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos Juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, nec non dictis Exponentibus, ut præfatum Malachiam, dummodò capax & idoneus existat, in Abbatem primò dicti Monasterii S. Bartholomæi Boni Solatii cum omnibus ac singolis Præeminentiis, Prærogativis, Facultatibus, Authoritate, Privilegiis, Gratiis, Indultis, ac Honoribus & Oneribus solitis & consuetis ad ejus vitam Capitulariter servatis, aliàs servandis, eligere liberè, licitè & validè possint, & valeant, quamcunque necessitatem & opportunam facultatem Authoritate & tenore præsentium concedimus & impertimur. Decernentes easdem præsentes lit-

litteras ſemper fixas, firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuosque plenarios, & integros effectus ſortiri ac obtinere, ac dicto Malachiæ & aliis, ad quos ſpectat, & pro tempore, quomodocunque ſervabit in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari & ab eis reſpectivè inviolabiliter ſervari, ſicque in præmiſſis per quoscunque Judices Ordinarios & Delegatos, & cauſarum quoque Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis Authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis, Edictis Generalibus, & ſpecialibus Conſtitutionibus, Ordinationibus, nec non Congregationis, Ordinis, Provinciæ, & prædictorum Monaſteriorum cum Juramento, Confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate aliàs roboratis Statutis & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatorio, die 19. Septembris 1705. Pontificatûs noſtri anno quinto.

F. Oliverius.

Sequuntur jam hujus Religioſæ domus Regulæ per modum Conſtitutionum idiomate Gallico ſequentis tenoris.

LES REGLEMENS

DE L' ABBAYE DE NOSTRE-DAME
DE LA TRAPPE

En forme de Constitutions qui contiennent les Exercices & la maniere de vivre des Religieux.

IN NOMINE DOMINI.

Pour l' Eglise.

I.

ON se levera à minuit, aux Festes où l' on chantera toutes les Matines : à une heure, tous les Dimanches, toutes les Fêtes de garde, & aux Anniversaires solemnels des Morts, qui se font en Novembre, & en Janvier ; & à deux heures, les autres jours. Il vaudroit mieux prévenir d'une heure, que de retarder d' un quart d'heure.

On chantera tout l' Office de Matines & de Laudes, aux Fêtes de Sermon Majeur, qui sont de garde ; à celles de Sermon Mineur, l' Invitatoire, l'Hymne, & depuis *Te Deum* jusqu' à la fin de Laudes; & tous les Dimanches, & les Fêtes de garde, on chantera *Te Deum* & l' Evangile avec le Cantique *Te decet laus*.

On ne fera nul espace entre les deux coups de Matines, pour oster lieu à la paresse.

On ne se levera point pour Matines avant le son de la cloche du Dortoir, quoyque l' horloge ait sonné l'heure de Matines.

Vf. c. 68. En entrant à l' Eglise, on n' accommodera point ses habits, ny quand on y sera arrivé, mais auparavant que d' y venir.

On gardera dans l' Eglise une grande modestie, sur tout au temps des Offices.

On ne dira jamais les Offices immediatement aprés le travail, & on laissera toûjours quelque intervalle pour la recollection.

On y fera tous ensemble les genuflexions, & les inclinations.

On y observera exactement les pauses, & on se tiendra prest pour s' incliner à *Gloria Patri*.

Au cas que l' on précipite l' Office, le Prieur, le sou-Prieur, & le Chantre seront en penitence.

II.

On chantera tous les jours, Prime, Tierce, Sexte, None, Vespres, Complies depuis la fin des Pseaumes, & la grande Messe.

On ne s' appuyera point sur les costez des chaires, & l' on ne mettra point les coudes sur les genoux en s' inclinant.

On ne crachera au chœur que dans les crachoirs, qu' on tiendra les plus nets qu' on pourra. Le Sacriste y mettra de la chaux de temps en temps.

On prendra garde de ne pas bailler durant l' Office d' une maniere, qui puisse mal-édifier.

On sera entierement découvert pendant la grande Messe, à l' exception de l' Epistre ; à Matines depuis le commencement jusqu' à la fin de l' hymne, aux versets, & aux benedictions, & depuis *Te Deum* jusqu' au Pseaume *Dominus regnavit* : & à toutes les heures depuis le commencement jusq' au premier Pseaume, & depuis la fin du dernier Pseaume jusqu' à ce que l' Office soit dit.

On sera aussi découvert tout le temps qu' on sera à l' Eglise, soit en commun, soit en particulier.

On fera Oraison le plus souvent que l' on pourra, estant persuadé qu'il n' y a point de moyen plus efficace pour obtenir de Dieu la fidelité dont on a besoin dans sa vocation, & pour avancer dans la perfection.

Les Novices & les Profez, qui sont au pulpitre d' enbas, s' y placeront avec le plus d' ordre qu' ils pourront. Le Chantre y doit tenir la main.

On ne saluëra personne à l' Eglise, si ce n' est le R. P. Abbé, ou quelqu' autre Abbé qui seroit à sa place, ou un Evesque, ou quelqu' autre personne, aprés en avoir esté averty.

Vf. c. 59. Les Prestres prendront garde à moderer tellement leurs voix en disant la Messe,

Messe, qu'ils ne s'incommodent point les uns les autres. Ils ne la diront point sans fooliers.

Nomast. p. 285. On gardera un silence exact dans tont le Monastere durant les Offices, si ce n'est qu'il survint quelque hoste d'une telle qualité qu'on ne le pust pas faire attendre, ou qu'il arrivât quelque necessité extraordinaire & pressante.

III.

Cap. gen. an. 1204. 1205. 1213. 1231. 1251. 1263. On se conformera aux anciennes constitutions & coûtumes de nostre Ordre pour les paremens des Autels & les ornemens de l'Eglise. Ils ne seront point d'une étoffe de plusieurs couleurs, mais seulement de simple camelot, ou de quelqu'autre étoffe de fil ou de laine, & non pas de soye; encore moins de broderie. La frange, ny le passement ne seront point d'or, ny d'argent. On pourra neanmoins user les ornemens de soye qu'on a déja, si on ne trouve point à s'en défaire; car s'ils estoient d'un grand prix, on ne s'en serviroit point.

Cap. gen. an. 1207.

Le linge sera de simple toile sans façon, sans dantelle, ny passement.

Exord. parvu. c. 17. Les Croix, les chandeliers, les lampes, les bassins, les encensoirs & les burettes ne seront point d'argent, mais seulement les Calices, le saint Ciboire, le Soleil, le vase poor les saintes huiles, & les patenes.

La Crosse du R. P. Abbé ne sera point d'argent, mais de bois, qu'on pourra blanchir, ou grisér sans dorure.

On ne mettra point de chandelier sur le grand Autel, hors le temps que le saint Sacrement y sera exposé: il y aura seulement un bras de bois ou de fer à chaque costé de l'Autel, pour porter les cierges.

Nomast. c. 24. Les fermoirs des Livres de l'Eglise ne feront ny d'or, ny d'atgent, ny dorez, ny argentez.

Exord. parvu. c. 17. Il n'y aura point de dorure dans l'Eglise, ny sur tout ce qui sert à l'Autel, si ce n'est aux Patenes, aux Calices, au Soleil, & au saint Ciboire.

Cap. 1240. Les vitres seront simples, & sans peinture, ny Croix.

Nomast. p. 271. Il n'y aura point de peinture que sur les contretables. Que si elles sont de sculpture, on les blanchira seulement.

Ou ne souffrira point qu'il y ait aux ornemens ny aux Autels les armes des Abbez, ou de quelqo'autre personne que ce soit.

Antiq. Stat. On ne se servira que de deux cloches pour sonner l'Office, que l'on ne sonnera jamais ensemble. Elles seront telles que chacune puisse estre sonnée par un Religieux tout seul.

Les Chantres ne se placeront point sur des chaires au milieu du chœur, en quelque sorte que che soit, mais ils demeureront en leur place ordinaire, comme tous les autres Religieux. On ne se servira pas mesme du pluvial poor quelque ceremonie que ce soit, & le P. Abbé non plus que les autres.

